10-6-K-14

SANCTI
THOMÆ
AQVINATIS
DOCTORIS ANGELICI,
ORDINIS PRÆDICATORVM
BIBLIA
SIVE COLLECTIO ET EXPLICATIO
omnium locorum Sacræ ſcripturæ, quæ ſparſim reperiuntur in omnibus S. Thomæ Scholaſticis operibus, Ordine Biblico.

Tomus Primus complectens quinque libros Moyſi.

Labore F. DAVIDIS L'ENFANT, Pariſini Doctoris Theologi, Ordinis FF. Prædicatorum.

Bibliothecæ Transpontinæ



S. Mariæ de Urbe

PARISIIS,
Apud IOANNEM HENAVLT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Angeli Cuſtodis, & S. Raphaëlis.

M. DC. LVII.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

10-6-k-14

SANCTI THOMÆ AQVINATIS DOCTORIS ANGELICI,

ORDINIS PRÆDICATORVM

BIBLIA

SIVE COLLECTIO ET EXPLICATIO
omnium locorum Sacræ ſcripturæ, quæ ſparſim reperiuntur in omnibus S. Thomæ Scholaſticis operibus, Ordine Biblico.

Tomus Primus complectens quinque libros Moyſi.

Labore F. DAVIDIS L'ENFANT, *Pariſini Doctoris Theologi, Ordinis FF. Prædicatorum.*



Bibliothecæ Transpontinæ S. Mariæ de Vrbe

PARISIIS,
Apud IOANNEM HENAVLT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Angeli Cuſtodis, & S. Raphaëlis.

M. DC. LVII.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

10 · 6 · K · 14

Digitized by Google

OPERIS SCOPVS ET VSVS.

ALIQVID in commendationem doctrinæ ſancti Thomæ Aquinatis in operis huius limine præfigere neceſſarium eſſe non exiſtimaui; cùm tanto ſapientiæ ſplendore in Eccleſia ſemper effulſerit, vt à clariſſimis omnibus ſubſequentium ſeculorum ingeniis Scholarum iubar habitus ſit: tibi tantùm (ſtudioſe Lector) paucis ſcopum huius libri & vſum demonſtratos eſſe volo.

Conſideranti mihi plures huius ſancti Doctoris ſubtiliſſimas in ſacram Scripturam expoſitiones, adeò in eius Scholaſticis operibus eſſe diſperſas, vt non ſine magno labore ab vnoquoque poſſint reperiri, venit in mentem, laborem fore pluribus non iniucundum, ſi eandem doctrinam Biblico ordine diſponerem. Certè vtile erit & gratum (vt opinor) Scripturæ ſanctæ ſimul ac Scolaſticæ Theologiæ operam dare volentibus, ſacrum textum per Scolæ Doctorem expoſitum habere, fere ſemper iuxta literalem ſenſum; quamuis allegoricum & moralem non obmittat: vbi præcipuum aliquod figuratum myſterium occurrit; aut componendæ vitæ ſpeciale quoddam reperitur exemplum.

Inſcribo autem hunc librum, Sancti Thomæ Aquinatis Biblia Scholaſtica, eo quòd de ſolis Scholaſticis operibus (prætermiſſis illius in S. Scripturam commentarijs) explicationes deſumpſi: quia cùm nihil in iſtis commentariis fuſiori oratione amplificauerit, tota tranſcribi debuiſſent. Ea tamen quæ in prologis iſtorum operum explicauit; cùm ad commentarij ſeriem non pertineant, hic quoque inſerui.

Vt autem hoc noſtro labore faciliùs vti poſſis, monitum te velim, Scripturæ S. ſententias hic eſſe expoſitas ſecundùm

Digitized by Google

ordinem ſcriptorum S. Thomæ, qui in impreſſione Antuerpienſi Anni Domini 1612. ſeruatus eſt; quem infra deſcriptum habes. Cæterùm vbicumque reperies *vt patet* vel *dicitur in textu*; illud Scripturæ verbum intelligito cuius tunc explanatio datur, quodque in principio expoſitionis affixi.

Cùm verò apud auctorem noſtrum frequens ſit S. Scripturæ vſus, accuratáque eius explanatio, non potuere libri omnes Bibliorum Tomo vno contineri: quin in ſex Tomos opus iſtud diſtribuere coactus ſum: & vt qui libri in quolibet reperiantur vno intuitu videas, eorum tibi indiculum appono. Fruere interim hoc primo volumine, & ſequentia (Deo dante) in lucem ventura expecta.

Tomus primus Bibliorum S. Thomæ complectitur.

Geneſim, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomiū.

Tomus ſecundus complectitur.

Librum Ioſue, Iudicum, Regum libros quatuor, Paralipomenon libros duos, Eſdræ libros primum & ſecundum, Tobiam, Iudith, Eſter, Iob, & librum Pſalmorum.

Tomus tertius complectitur.

Prouerbia Salomonis, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, librum Sapientiæ, Eccleſiaſticum, Prophetas Maiores & minores, & Machabæorum libros primum & ſecundum.

Tomus quartus complectitur.

Quatuor Euangelia, & Acta Apoſtolorum.

Tomus quintus complectitur.

Epiſtolas omnes D. Pauli.

Tomus ſextus complectitur.

Epiſtolas canonicas, Apocalipſim, Eſdræ librum tertium, & epitome ſermonum eiuſdem Doctoris, & indices Generales.

FINIS.

Digitized by Google

NVMERVS ET ORDO OPERVM Sancti Thomæ Doctoris Angelici 18. Tomis comprehenſorum.

Tomus primus complectitur

EXpoſitionem ipſius Sancti Doctoris in primum & ſecundum Perihermenias.
Item, Expoſitionem in primum & ſecundum Poſteriorum Analyticorum.

Tomus ſecundus complectitur

Expoſitionem in octo libros de Phyſico auditu.
In quatuor libros de Cœlo & Mundo.
In primum & ſecundum de Generatione.

Tomus tertius complectitur.

Expoſitionem in quatuor libros Meteororum.
In tres libros de Anima.
In parua Naturalia.

Tomus quartus complectitur

Expoſitionem in duodecim libros Metaphyſices.
Tractatum de Ente & Eſſentia.
Et expoſitionem in librum de Cauſis.

Tomus quintus complectitur

Expoſitionem in decem libros Ethicorum ad Nicomacum.
In octo libros Polyticorum.

Tomus ſextus complectitur

Scriptum in primum, & ſecundum ſententiarum.

Tomus ſeptimus complectitur.

Scriptum in tertium, & quartum ſententiarum.

Tomus octauus complectitur.

Quæſtiones quæ diſputatæ dicuntur, & Quæſtiones Quodlibetales.

Tonus nonus complectitur.

Summam Catholicæ fidei contra Gentiles.

Digitized by Google

Tomus decimus complectitur.

Primam partem ſummæ Theologiæ.

Tomus vndecimus complectitur.

Primam ſecundæ & ſecundam ſecundæ ſummæ Theologiæ.

Tomus duodecimus complectitur.

Tertiam partem ſummæ Theologiæ.

Tomus decimus tertius complectitur.

Commentaria in Iob, in primam quinquagenam Dauidis, in Canticum Canticorum, in Eſaiam, in Hieremiam, & in eius lamentationes.

Tomus decimus quartus complectitur.

Commentaria in Euangelium ſecundùm Mathæum & Ioannem.

Tomus decimus quintus complectitur.

Catenam auream in quatuor Euangelia.

Tomus decimus ſextus complectitur.

Commentaria in D. Pauli Epiſtolas, ſermones de tempore, & de ſanctis.

Tomus decimus ſeptimus complectitur.

Opuſcula omnia, & ſcriptum (vt dicitur) ſecundum in quatuor libros Sententiarum ad Annibaldum.

Tomus decimus octauus complectitur.

Commentaria in Geneſim, in Danielem, in Machabæos, & in omnes Epiſtolas canonicas.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA CITATIONVM.

PAg. 65. col. 2. vbi legis in margine Gen. 2. v. 3. 23. Dele 23. & lege v. 2. pag. 160. col. 2. linea 4. pro verſu 4. *leg.* v. 3. pag. 369. col. 2. lin. 16. pro leu. 21. v. 17. *leg.* Ex. 20. v. 4.

ERRATA VERBORVM.

PAg. 5. col. 1. linea 22. pro hypotaſes lege hypoſtaſes. p. 8. c. 2. *l.* 17. pro modum *leg.* metum. p. 53. c. 1. *l.* 8. pro leges. *leg.* legé. p. 91. c. 1 *l.* 41. pro viduimus, *leg.* videmus. p. 93. c. 1. *l.* 16. pro alieui, *leg.* aliqui. p. 96. c. 1. *l.* 1. pro culpa leg. culpæ. p. 113. c. 1. *l.* 2. pro ratione *l.* rationes p. 125. c. 1. in margine pro metum *l.* meritum. p. 150. c. 2. *l.* 38. pro perfectiones *l.* paſſiones. p. 156. c. 2. *l.* 23. pro aliquis *l.* aquis. p. 168. c. 2. *l.* 36. pro multum *l.* nullum. p. 183. c. 2. *l.* vlt. pro mandatio *l.* mandato. p. 186. c. 2. *l.* 7. pro hinc *l.* huic. p. 227. c. 1. *l.* 28. pro vtrunque *l.* vtrumque. Ead. p. c. 2. 13. pro aqui *l.* aqui. p. 231. c. 1. *l.* 23. pro ſimili *l.* ſimila. p. 237. c. 1. *l.* 20. pro deuotio *l.* remotio. p. 240. c. 2. l. 42. pro immaculatius *l.* immolatitius. p. 274. c. 1. *l.* 19. pro adaquaue *l.* adaquare. p. 289. c. 2. *l.* 27. pro excluſum *l.* excelſum. p. 307. c. 1. *l.* 11. pro ſiue *l.* ſine p. 331. c. 2. *l.* 43. pro medium *l.* medicum. p. 357. c. 1. *l.* 4. pro contrarium. *l.* contrarium. p. 366. c. 2. *l.* 6. pro augmentum *l.* argumentum. p. 368. c. 1. *l.* 39. pro Sanctuarii *l.* Sanctuarij. p. 371. c. 1. *l.* 38. pro cantelam *l.* cautelam, p. 376. c. 2. *l.* 3. pro Albas *leg.* Abbas. p. 407. c. 2. *l.* 1. pro Propheticam *leg.* Prophetiam.

Digitized by Google

EXTRAICT DV PRIVILEGE
Du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, donné à Paris le ſeptiéme Ianuier 1657. Signé TESSIER, pour le temps & eſpace de vingt ans, il eſt permis à IEAN HENAVLT, Marchand Libraire Iuré de noſtre bonne Ville de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, & debiter vn Liure intitulé, *Sancti Thomæ Aquinatis Biblia Scholaſtica, &c.* Et deffenſes ſont faites à toutes perſonnes de quelque qualité ou condition qu'elles ſoient, d'imprimer, vendre ny diſtribuer ladite impreſſion, que de celle dudit Expoſant à peine de cinq cens liures d'amende, confiſcation des exemplaires, & de tous dépens dommages & intereſts; Comme il eſt plus amplement porté par ledit Priuilege.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 20. Ianuier 1657.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté, le vingtiéme Ianuier 1657. ſuiuant l'Arreſt du Parlement du 9. Auril. 1653.

SANCTI

Digitized by Google

SANCTI THOMÆ AQVINATIS, DOCTORIS ANGELICI, ORDINIS PRÆDICATORVM, BIBLIA.

SIVE COLLECTIO ET EXPLICATIO omnium locorum Sacræ Scripturæ, quæ ſparſim reperiuntur in omnibus S. Thomæ Scolaſticis operibus.

ORDINE BIBLICO.

Scripſit S. Thomas in Geneſ. Extat ille commentarius Tom. 18.

GENESIS CAPVT I. *Verſu I.*

In principio creauit Deus Cælum & Terram.

PER cœlum & terram intelligitur omnis creatura. *Lib. 1. ſententiarum, Diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 1.

Conuenienter exponitur, *In principio creauit Deus, cœlum & ter.* Per hoc enim multiplex error excluditur: Per primum excluditur error Manichæi ponentis plura principia, quia in principio vno effectiuo, & non in pluribus res factæ dicuntur: Per ſecundum excluditur error æternitatis mundi, in hoc quod mundus principium durationis habere ponitur: Per tertium excluditur error ponentium

viſibilia à Deo creata, mediante ſpirituali creatura in hoc, quod ponitur cœlum & terra eſſe primò creata. *Lib. 2. ſent. diſt. 1. q. 1. art. 6. ſimile 1. p. q. 46. a. 3.*

In principio creauit. Videtur quòd incarnatio Patri conueniat, nam Recreatio reſpondet creationi: ſed creatio appropriatur Patri, Vnde cùm dicitur, *In principio &c.* Deus creans exponitur Pater: ergo & incarnatio per quam recreatio facta eſt, Patri potiſſimè conueniet.

Tria opera tribus perſonis appropriantur. Dicendum quòd tria opera tribus perſonis appropriantur: Creatio quaſi prima Patri, qui eſt principium non de principio: glorificatio quæ eſt vltimus finis, Spiritui ſancto, ratione bonitatis: recreatio, quæ media eſt, Filio; qui eſt media in Trinitate perſona. *Lib. 3. ſent. Diſt. 1. q. 2. art. 2. ad. 3.*

In principio creauit. Omne quod eſt ante tempus, eſt æternum, æuum enim non eſt ante tempus; ſed incœpit ſimul cum tempore: ſed mundus fuit ante tempus, fuit enim creatus in primo inſtanti temporis, quod conſtat eſſe ante tempus; dicitur enim, *In principio creauit. &c.* Ergo mundus eſt æternus. Dicendum quòd ante tempus aliquid eſſe, poteſt intelligi dupliciter: vno modo ante totum tempus, & ante omne id quod eſt temporis: & ſic mundus non fuit ante tempus, quia inſtans in quo incœpit mundus, licet non ſit tempus, eſt tamen aliquid temporis, non quidem vt pars, ſed vt terminus. Alio modo intelligitur aliquid eſſe ante tempus, quia eſt ante temporis completionem; quod non completur, niſi in inſtanti, ante quod eſt aliud inſtans. Et ſic mundus eſt ante tempus. Non autem oportet propter hoc, quod ſit æternus; quia nec ipſum inſtans temporis, quod ſic eſt ante tempus eſt æternum. *in qq. Diſp. q. 3. de potentia art. 17.*

Mundus non eſt æternus.

In principio creauit. Per cœlum intelligitur natura angelica, per terram vero natura corporalis. Quare autem ſub metaphora cœli, non expreſsè creationem Angelorum tradidit Moyſes? Quia rudi populo loquebatur, qui ad ſpiritualia capienda idoneus non erat. Et iterum ad vitandam idololatriam, in qua proni erant. Ad quam daretur eis occaſio, ſi plures ſubſtantiæ ſpirituales ponerentur, præter vnum Deum, quæ eſſent cœlo nobiliores; Et præcipuè cùm huiuſmodi ſubſtantiæ à gentilibus dij dicerentur. *in qq. diſp. q. 3. de potent. art. 18.*

In creatione non fit mentio de Angelis, & quare.

In principio creauit Deus cœlum & terram. Per creationem cœli & terræ, etiam Elementa media intelliguntur. Quandoque etiam ſub terræ nomine omnia inferiora comprehenduntur, vt patet; *Laudate Dominum de terra*, & poſtea ſubditur, *ignis, grando &c. in qq. Diſput. q. 5. de potent. art. 7.* Pſ. 48. v. 7.

In principio creauit. Deus ex nihilo produxit res in eſſe, quia illius actio præexiſtentem non requirit: ſed materia prima aliquomodo eſt, eſt enim ens in potentia: Deus autem eſt cauſa omnium quæ ſunt; Deus igitur eſt cauſa materiæ primæ, cui nulla præexiſtit. Hanc autem veritatem Scriptura confirmat, dicens, *In principio creauit.* Nihil enim eſt aliud creare, quàm abſque materia præjacente aliquid in eſſe producere. *Contra Gentiles lib. 2. cap. 16. in qq. diſp. q. 3. de potentia art. 1. & 1. p. q. 45. art. 1. & 2.*

Creare quid ſit.

Digitized by Google

Creatio eſt in inſtanti.

In principio creauit. Creatio eſt abſque ſucceſſione: nam ſucceſſio propria eſt motui: creatio autem neque eſt motus neque terminus motus ſicut generatio; igitur nulla eſt in ipſa ſucceſſio.

Item in omni motu ſucceſſiuo, eſt aliquod medium inter eius extrema; quia medium eſt ad quod continuè motum priùs venit quàm ad vltimum: inter eſſe autem & non eſſe, quæ ſunt quaſi extrema creationis, non poteſt eſſe aliquod medium; igitur non eſt in creatione ſucceſſio.

Adhuc in omni factione in qua eſt ſucceſſio, fieri eſt ante factum eſſe: Hoc autem in creatione non poteſt accidere, quia fieri quod præcederet factum eſſe creaturæ, indigeret aliquo ſubiecto; quod non poſſet eſſe ipſa creatura, de cuius creatione loquimur; quia illa non eſt ante factum eſſe; nec etiam in factore; non enim moueri eſt actus mouentis, ſed moti. Relinquitur igitur quod fieri haberet pro ſubiecto aliquam materiam facti præexiſtentem, quod eſt contra rationem creationis; impoſſibile eſt igitur in creatione ſucceſſionem eſſe.

Præterea, ſucceſſio in rerum factionibus, ex defectu materiæ prouenit; quæ non ſufficienter eſt à principio, ad receptionem formæ diſpoſita: Vnde quando materia iam perfectè diſpoſita eſt ad formam, eam recipit in inſtanti. Et inde eſt quòd quia diaphanum ſemper eſt in vltima diſpoſitione ad lucem; ſtatim ad præſentiam lucidi in actu illuminatur: nec aliquis motus præcedit ex parte illuminabilis; ſed ſolùm motus localis, ex parte illuminantis per quem fit præſens. In creatione autem nihil præexigitur ex parte materiæ; nec aliquid deeſt agenti ad agendum, quod poſtea per motum ei adueniat; cùm ſit immobilis. Relinquitur igitur quod creatio ſit in inſtanti. Vnde ſimul aliquid dum creatur, creatum eſt; ſicut ſimul illuminatur, & illuminatum eſt. Et inde eſt quod ſcriptura creationem rerum in indiuiſibili factam pronunciat dicens, *In principio creauit. Contra Gentiles lib. 2 cap. 19.*

In principio creauit. Creatio eſt propria Dei actio: cùm enim ſecundum ordinem agentium ſit ordo actionum; eò quòd nobilioris agentis nobilior eſt actio, oportet quòd prima actio ſit primi agentis propria. Creatio autem eſt prima actio, eo quòd nullam aliam præſupponit, & omnes aliæ præſupponunt eam; eſt igitur creatio propria Dei ſolius actio, qui eſt agens primum. Hanc veritatem ſcriptura confirmat dicens, *In principio creauit. Contra Gentiles lib. 2. cap. 21.*

In principio creauit. Cauſa diſtinctionis rerum non eſt ſecundorum agentium ordo; quia in omnibus cauſis agentibus ordinatis, vbi agitur propter finem; oportet, quod fines cauſarum ſecundarum, ſint propter finem cauſæ primæ. Proceſſus autem entium à primo ente, eſt per actionem ordinatam ad finem, cùm ſit per intellectum: intellectus autem hominis propter finem ag[illegible] Si igitur in productione rerum aliquæ cauſæ ſecundæ, oporte[illegible] fines earum, & actiones ſint [illegible] finem cauſæ primæ, qui eſt finis in rebus cauſatis. H[illegible] eſt ordo partium vniuerſi, [illegible] ctio, qui eſt quaſi vltima [illegible] non eſt igitur diſtinctio rer[illegible] ordo, propter actiones [illegible]darum.

Digitized by Google

cauſarum ; ſed magis actiones ſecundarum cauſarum ſunt propter ordinem & diſtinctionem in rebus conſtituendam.

Ampliùs, virtus diuina non limitatur ad vnum effectum, & hoc ex eius ſimplicitate prouenit ; quia quantò aliqua virtus eſt magis vnita, tantò eſt magis infinita, & ad plura ſe poteſt extendere. Quòd autem ex vno non fiat niſi vnum, non oportet niſi quando agens ad vnum effectum determinatur. Non oportet igitur dicere, quòd quia Deus eſt vnus & omnino ſimplex ; ex ipſo multitudo prouenire non poſſit, niſi mediantibus aliquibus ab eius ſimplicitate deficientibus.

Propterea ſolus Deus poteſt creare: multa autem ſunt rerum quæ non poſſunt procedere in eſſe, niſi per creationem ; ſicut omnia quæ non ſunt compoſita ex materia & forma contrarietati ſubiecta : Huiuſmodi enim ingenerabilia oportet eſſe, cùm omnis generatio ſit de contrario, & de materia. Talia autem ſunt omnes intellectuales ſubſtantiæ, & omnia corpora cœleſtia, & etiam ipſa materia prima. Oportet igitur ponere omnia huiuſmodi immediatè à Deo ſumpſiſſe ſui eſſe principium. Hinc eſt quod dicitur. *In principio creauit.* *Contra Gentil. lib.* 2. *cap.* 42.

Vbi dicitur *In principio creauit.*
raïca veritas habet, Elohim ;
poteſt interpretari, dij ſiue iu-
Et hoc dicitur propter plu-
n perſonarum ; ergo tres
ſunt plures dij, & non v-
s.
ontra eſt, quod dicitur: *Audi*
, *Dominus Deus tuus, Deus vnus*
. Dicendum quòd nominum eſſentialium, quædam ſignificant eſſentiam ſubſtantiuè, quædam verò adiectiuè. Ea quidem quæ ſubſtantiuè eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus perſonis ſingulariter tantum, & non pluraliter. Quæ verò adiectiuè eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus perſonis in plurali. Cuius ratio eſt, quia nomina ſubſtantiua ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ ; nomina verò adiectiua ſignificant aliquid per modum accidentis quod inhæret ſubiecto. Subſtantia autem ſicut per ſe habet eſſe, ita per ſe habet vnitatem vel multitudinem. Vnde & ſingularitas vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundùm formam ſignificatam per nomen. Accidentia autem ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita de ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem vel multitudinem. Et ideo in adiectiuis attenditur ſingularitas & pluralitas ſecundùm ſuppoſita.

In creaturis autem non inuenitur vna forma in pluribus ſuppoſitis, niſi vnitate ordinis, vt forma multitudinis ordinatæ. Vnde nomina ſignificantia talem formam, ſi ſint ſubſtantiua, prædicantur de pluribus in ſingulari, non autem ſi ſint adiectiua. Dicimus enim quòd multi homines ſunt collegium, vel exercitus, aut populus: Dicimus tamen quod plures homines ſunt collegiati. In diuinis autem eſſentia diuina ſignificatur per modum formæ, quæ quidem ſimplex eſt, & maximè vna. Vnde nomina ſignificantia diuinam eſſentiam ſubſtantiuè, ſingulariter & non pluraliter de tribus perſonis prædicantur.

Hæc igitur eſt ratio quare Socratē, & Platonem & Ciceronem dicimus

Digitized by Google

tres homines; Patrem autem & Filium & Spiritum S. non dicimus tres Deos, ſed vnum Deum: quia in tribus ſuppoſitis humanæ naturæ ſunt tres humanitates: in tribus autem perſonis eſt vna diuina eſſentia.

Ea verò quæ ſignificant eſſentiam adiectiuè, prædicantur pluraliter de tribus, propter pluralitatem ſuppoſitorum. Dicimus enim tres exiſtentes, vel tres ſapientes, aut tres æternos & increatos & immenſos, ſi adiectiuè ſumantur. Si verò ſubſtantiuè ſumantur, dicimus vnum increatum, immenſum & æternum.

Ad argumentum dicendum, quòd diuerſæ linguæ habent diuerſum modum loquendi. Vnde ſicut propter pluralitatem ſuppoſitorum, Græci dicunt tres hypotaſes: ita & in Hebręo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus pluraliter neque deos neque ſubſtantias, ne pluralitas ad ſubſtantiam referatur. *Prima parte q.39. a.3.*

In principio creauit. Videtur quod creari non ſit compoſitorum & ſubſiſtentium. Quod enim creatur eſt ex nihilo: compoſita autem non ſunt ex nihilo, ſed ex ſuis componentibus; ergo compoſitis non conuenit creari.

Sed contra eſt quod dicitur, *in principio creauit Deus cœlum & terram.* Cœlum autem & terra ſunt res compoſitæ ſubſiſtentes; ergo horum propriè eſt creatio.

Dicendum quòd creari eſt quoddam fieri, fieri autem ordinatur ad eſſe rei. Vnde illis propriè conuenit fieri & creari, quibus conuenit eſſe. Quod quidem conuenit propriè ſubſiſtentibus, ſiue ſint ſimplicia, ſicut ſubſtantiæ ſeparatæ: ſiue ſint compoſita, ſicut ſubſtantiæ materiales. Illi enim propriè conuenit eſſe, quod habet eſſe, & quod eſt ſubſiſtens in ſuo eſſe. Formæ autem & accidentia, & alia huiuſmodi non dicuntur entia, quaſi ipſa ſint, ſed quia eis aliquid eſt, vt albedo; eâ ratione dicitur ens, quia in eâ ſubiectum eſt album. Sicut igitur ea quæ non ſubſiſtunt, magis ſunt coëxiſtentia quàm entia: ita magis debent dici concreata quàm creata. Propriè verò creata ſunt ſubſiſtentia.

Ad argumentum dicendum, quòd creatio non dicit conſtitutionem rei compoſitæ, ex principijs pręexiſtentibus: ſed compoſitum ſic dicitur creari, quòd ſimul cum omnibus ſuis principijs in eſſe producitur. 1. *p. q.45. art.3.*

In principio creauit. Videtur quòd mundum incepiſſe non ſit articulus fidei, ſed concluſio demonſtrabilis; quia certum eſt Deo nihil æquari poſſe: ſed ſi mundus ſemper fuiſſet, æquipararetur Deo in duratione; ergo certum eſt non ſemper mundum fuiſſe. Mundum incepiſſe, demonſtrari non poteſt.

Dicendum quod mundum non ſemper fuiſſe, ſolâ fide tenetur, & demonſtratiuè probari non poteſt. Et huius ratio eſt, quia nouitas mundi non poteſt demonſtrationem recipere ex parte ipſius mundi. Demonſtrationis enim principium eſt quod quid eſt. Vnum quodque autem ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei abſtrahit ab hic & nunc; propter quod dicitur quòd vniuerſalia ſunt vbique & ſemper. Vnde demonſtrari non poteſt quod homo, aut cœlum, aut lapis non ſemper fuit. Similiter etiam neque ex parte cauſæ agentis, quæ agit per voluntatem.

Voluntas enim Dei ratione inueſtigari non poteſt, niſi circa ea quæ abſolutè neceſſe eſt Deum velle. Talia autem non ſunt quæ circa creaturas vult. Poteſt autem voluntas diuina homini manifeſtari per reuelationem, cui fides innititur. Vnde mundum incœpiſſe eſt credibile, non autem demonſtrabile, vel ſcibile.

Ad argumentum dicendum, quòd etſi mundus ſemper fuiſſet, non tamen parificaretur Deo in æternitate; quia eſſe diuinum, eſt eſſe totum ſimul abſque ſucceſſione. Non autem ſic eſt de mundo. *1. p. q. 46. art. 2.*

In principio creauit. Non autem hoc eſſet verum, ſi aliquid creaſſet ante ea; ergo Angeli non ſunt ante naturam corpoream creati. *1. p. quæſt. 61. art. 3.*

In principio creauit. Per quæ creatura corporalis intelligitur; ergo creatura corporalis eſt immediatè à Deo producta. *1. p. q. 65. art. 3.*

GENESIS. Cap. I. v. 2.

Terra erat inanis & vacua.

Dicitur quòd in principio creationis *Terra erat inanis & vacua*. Hoc autem non eſſet, ſi in principio omnes ſpecies rerum fuiſſent diſtinctæ; ergo non omnia ſunt ſimul creata ſecundùm ſpecies.

R. quòd per terram inanem & vacuã materia prima intelligitur quæ vt in ſe conſideratur nullam formam, habet. Præcedit autem alia, non tempore ſed naturâ. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 12 q. 1. art. 1. ſimile q. 4. de potentia art. 1 Et 1 p. q. 66. art. 1.*

GENESIS. Cap. I. v. 2.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

Dicitur quòd in principio creationis rerum *Erant tenebræ ſuper faciem abyſſi:* Sed à bono quod habet naturam lucis, non poteſt eſſe creatio tenebrarum; ergo eſt à malo principio.

Dicendum quòd tenebræ, de quibus in principio creationis dicitur, non fuerunt aliqua creatura, ſed ſola carentia lucis in aëre, non tamen malum; quia illa ſola carentia boni, & mali rationem inducit, quæ eſt eius quod poteſt & debet ineſſe. Non enim eſt malum in lapide, qui non habet ſenſum; vel in puero ſtatim nato, qui non ambulat. Nec tamen ex imperfectione agentis prouenit quod aërem ſine luce creauit, ſed ab eius ſapientia; cuius ordo requirit quòd aliquid ex imperfecto ad perfectum ducatur. *in qq. diſput. q. 3. de potentia art. 6. ad 16.*

GENESIS. Cap. I. v. 2.

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Spiritus Sanctus procedit per modum amoris, quo Deus amat ſeipſum; igitur Spiritus Sanctus eſt principium creationis rerum. Et hoc ſignificatur, *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur.* Ex hoc etiam quòd Spiritus. S. per modum amoris procedit, amor autem vim quandam impulſiuam & motiuam habet, motus qui eſt à Deo in rebus, Spiritui Sancto propriè attribui videtur. Prima autem mutatio in rebus à Deo exiſtens, intelligitur ſecundùm quod ex materia creata informi ſpecies diuerſis produxit: Vnde hoc opus Spiritui

Pſ. 103. v. 30.

Spiritus ſancti proceſſio.

ſancto ſcriptura attribuit, dicitur enim *Spiritus Dominus ferebatur.* Vult enim Auguſtinus per aquas intelligi materiam primam, ſuper quam Spiritus Domini ferri dicitur; non quaſi ipſe moueatur, ſed quia eſt motionis principium. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 20.*

Spiritus Domini ferebatur. Conſiderandum eſt quod nomen ſpiritus, à reſpiratione animalium ſumptum videtur, in quo aër cum quodam motu infertur & emittitur. Vnde nomen ſpiritus ad omnem impulſum & motum, vel cuiuſcunque aërei corporis trahitur: Et ſic ventus dicitur ſpiritus ſecundùm illud. *Pſ. 148. v. 8.* *Ignis, grando, nix, glacies, & ſpiritus procellarum.* Sic etiam vapor tenuis diffuſus per membra ad eorum motus, ſpiritus vocatur.

Spiritus multa ſignificat. Rurſus quia aër inuiſibilis eſt, tranſlatum eſt vlteriùs ſpiritus nomen ad omnes virtutes & ſubſtantias inuiſibiles & motiuas; & propter hoc & anima ſenſibilis, & anima rationalis, & Angeli & Deus, ſpiritus dicuntur. Et propriè Deus per modum amoris procedens; quia amor virtutem quandam motiuam inſinuat. Sic igitur quod Amos dicit, *Amos. 4. v. 13.* *Creans Spiritum*, de vento intelligit. Quod vero Zacharias de Deo *Zachar. 12. v. 1.* dicit, quod eſt creans vel fingens ſpiritum hominis in eo; de anima humana intelligit. Vnde concludi non poteſt quòd Spiritus ſanctus ſit creatura.

Similiter autem nec ex hoc quod Dominus dicit de Spiritu S. *Ioan. 16. v. 13.* *Non loquetur à ſemetipſo, ſed quacumque audiet loquetur*, concludi poteſt quod ſit creatura. *Spiritus Sanctus eſt Deus.* Spiritus ſanctus enim eſt Deus de Deo procedens; vnde oportet quòd eſſentiam ſuam ab illo habeat, ſicut & filius Dei. Et ſic cùm in Deo, & ſcientia, & virtus, & operatio Dei ſit eius eſſentia; omnis Filij & Spiritus ſancti ſcientia, & virtus & operatio eſt ab alio: ſed Filij à patre tantùm, Spiritus autem ſancti à Patre & Filio.

Quia igitur vna de operationibus Spiritus ſancti eſt, quòd loquatur in ſanctis viris; propter hoc dicitur quòd non loquitur à ſemetipſo, quia à ſe non operatur. Audire autem ipſius eſt accipere ſcientiam, ſicut & eſſentiam à Patre & Filio; eo quod nos per auditum ſcientiam accipimus. Eſt enim conſuetum in ſcriptura, vt diuina per modum humanorum tradantur. Nec mouere oportet quòd dicit *Audiet*, quaſi de futuro loquens, cum accipere Spiritum ſanctum ſit æternum: Nam æterno verba cuiuſlibet temporis aptari poſſunt, eo quod æternitas totum tempus complectitur.

Secundùm eadem etiam apparet quòd miſſio quâ Spiritus ſanctus mitti dicitur à Patre & Filio, non poteſt concludere eum eſſe creaturã. Nam Filius Dei ſecũdum hoc miſſus fuiſſe dicitur, quòd in carne viſibili hominibus apparuit: & ſic nouo quodam modo fuit in mundo, quo priùs non fuerat, ſcilicet viſibiliter: In quo tamen ſemper fuerat inuiſibiliter vt Deus. Quod autem hoc Filius ageret, ei à Patre fuit; vnde & ſecundùm hoc à Patre dicitur miſſus.

Sic autem & Spiritus ſanctus viſibiliter apparuit, & in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum in baptiſmo; & in linguis igneis ſuper Apoſtolos. Et ſic etiam ipſe quodam nouo modo ſcilicet viſibiliter in mundo fuit: & hoc ei fuit à Patre & Filio

vnde & ipſe à Patre & Filio dicitur miſſus, quod non minorationem in ipſo, ſed proceſſionem oſtendit.

Eſt tamen & alius modus, quo tam Filius quàm Spiritus ſanctus inviſibiliter mitti dicuntur: Nam Filius procedit à Patre per modum notitiæ, qua Deus cognoſcit ſeipſum; & Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio per modum amoris, quo Deus amat ſeipſum. Vnde cùm aliquis per Spiritum ſanctum amator Dei efficitur, Spiritus ſanctus eſt inhabitator ipſius, & ſic quodam nouo modo in homine eſt, ſcilicet ſecundùm nouum proprium effectum ipſum inhabitans. Et quòd hunc effectum in homine faciat Spiritus ſanctus, eſt ei à Patre & Filio: & propter hoc à Patre & Filio inuiſibiliter dicitur mitti.

Et pari ratione in mente hominis Filius dicitur mitti inuiſibiliter, cùm aliquis ſic in diuina cognitione conſtituitur; quòd ex tali cognitione Dei amor procedat in homine. Vnde patet quòd nec iſte etiam modus miſſionis in Filio à Spiritu ſancto minorationem inducit ſed ſolùm proceſſionem ab alio.

Similiter etiam nec Spiritum ſanctum à diuinitate excludit, quòd Pater & Filius interdum connumeratur, non factâ mentione de Spiritu ſancto, ſicut nec Filium à diuinitate excludit, quòd interdum fit mentio de Patre, non factâ mentione de Filio: Per hoc enim ſcriptura tacitè inſinuat, quod; quicquid ad diuinitatem pertinens, de vno trium dicitur, de omnibus eſt intelligendum, eo quod ſunt vnus Deus.

Nec etiam poteſt Deus Pater ſine verbo & amore intelligi, nec è conuerſo: & propter hoc in vno trium omnes tres intelliguntur. Vnde & interdum fit mentio de ſolo Filio, in eo quod eſt commune tribus perſonis; ſicut, *Neque patrem quis nouit, niſi Filius*? Cùm tamen & Pater & Spiritus S. Patrem cognoſcant, ſimiliter etiam de Spiritu S. dicitur. *Quæ ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus Dei*: Cum tamen certum ſit, quòd ab hac cognitione diuinorum, neque Pater, neque Filius excludantur.

Matth. 11. v. 27. *1. Cor. 2. v. 11.*

Patet etiam quòd non poteſt oſtendi Spiritus S. eſſe creatura, per hoc, quòd de ipſo in ſcriptura S. aliqua ad modum pertinentia dicta inueniuntur: ſunt enim accipienda metaphoricè. Sic enim & Deo aliquãdo ſcriptura motum attribuit, vt eſt illud; *Cùm audiſſent vocem Domini deambulantis in paradiſo.* Et *Deſcendam & videbo, vtrum clamorem opere compleuerint.* Quod ergo dicitur, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; Intelligendum eſt eo modo, ſicut dicitur quòd voluntas fertur in volitum, & amor in amatum. Quamuis & hoc quidam, non de Spiritu S. ſed de aëre intelligere velint, qui habet naturalem locum ſuper aquam: Vnde ad eius multimodas tranſmutationes ſignificandas dictum eſt, quòd *ferebatur ſuper aquas*.

Gen. 3. v. 8. *Gen. 18. v. 21.*

Quod etiam dicitur, *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*; eâ ratione dictum eſſe oportet intelligi, qua Spiritus S. dicitur mitti hominibus à Patre vel Filio: Verbo autem effuſionis, abundantia effectus Spiritus ſancti intelligitur, & quòd non ſtabit in vno, ſed ad plures deueniet; à quibus etiam quodammodo in alios delaberetur, ſicut patet in

Ioel. 2. v. 28.

tet in his, quæ corporaliter effunduntur.

Similiter autem quod dicitur, *Auferam de ſpiritu tuo*; Non ad ipſam eſſentiam ſeu perſonam Spiritus ſancti referendum eſt, cùm indiuiſibilis ſit; ſed ad ipſius effectus ſecundùm quos in nobis habitat; qui in homine poſſunt augeri & minui: non tamen ita, quod id, quod ſubtrahitur vni, idem numero alteri conferatur, ſicut in rebus corporalibus accidit: ſed quia aliquid ſimile poteſt accreſcere vni in quo alij decreſcit. Nec tamen requiritur ad hoc, vt accreſcat vni, quod alteri ſubtrahatur, quia res Spiritualis poteſt ſimul abſque detrimento cuiuſlibet, à pluribus poſſideri. Vnde nec intelligendum eſt, quòd de donis Spiritualibus oportuerit aliquid ſubtrahi Moyſi ad hoc, quod alijs conferretur: ſed ad actum ſiue ad officium referendum eſt; quia quòd Spiritus S. priùs per ſolum Moyſen effecerat, poſtea per plures impleuit.

Sic etiam nec Eliſeus petijt, vt Spiritus ſancti eſſentia ſeu perſona duplicata augeretur; ſed vt duos effectus Spiritus ſancti, qui fuerant in Elia, ſcilicet prophetia & operatio miraculorum, eſſent etiam in ipſo. Quamuis etiam non ſit inconveniens, quòd effectibus Spiritus ſancti vnus alio abundantiùs participet ſecundum duplam, vel quantamcumque aliam proportionem; cùm menſurata ſit virtus vnius cuiuſque atque finita. Non tamen hoc præſumpſiſſet Eliſeus petere, vt in effectu Spirituali ſuperaret magiſtrum.

Patet etiam ex conſuetudine S. ſcripturæ, quòd per quamdam ſimilitudinem humani animi paſſiones transferuntur in Deum. Sicut dicitur, *Iratus eſt furore Dominus in* Pſ. 105.
populum ſuum: Dicitur enim Deus v. 40.
iratus per ſimilitudinem effectus; punit enim: quod & irati faciunt. Sic & Spiritus S. contriſtari dicitur per ſimilitudinem effectus; deſerit enim peccatores, ſicut contriſtati deſerunt contriſtantes.

Eſt etiam conſuetus modus loquendi in S. ſcriptura, vt Deo illud attribuatur, quod in homine facit, ſecundùm illud; nunc cognoui
quòd timeas Dominum, id eſt, Ga. 22
nunc cognoſcere feci. Et hoc mo- v. 12.
do dicitur quod *ſpiritus S. poſtulat*, Rom. 8
quia poſtulantes facit: Facit enim v. 26.
amorem Dei in cordibus noſtris ex quo deſideramus ipſo frui, & deſiderantes poſtulamus. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 23.*

Spiritus Domini ferebatur. Spiritus Dei eſt Deus, Deo autem non competit ferri, nec ſitum habere; inconuenienter ergo dicitur quòd Spiritus dei ferebatur.

R. quòd Rabbi Moyſes per Spiritum Domini intelligit aërem vel ventum. Auguſtinus intelligit Spiritum S. qui dicitur ſuperferri aquæ, id eſt, materiæ informi. Non ergo ſuperfertur loco, ſed præexcellente potentiâ. Secundùm Baſilium verò ſuperferebatur elemento aquæ, id eſt, fouebat & viuificabat naturam aquæ, ad ſimilitudinem gallinæ cubantis, vitalem virtutem his quæ fouentur inijciens. Habet enim aqua præcipuè vitalem virtutem, quia plurima animalia generantur in aqua. Et omnium animalium ſemina ſunt humida. Vita etiam ſpiritualis datur per aquam
baptiſmi. Vnde dicitur, *Niſi quis* Ioan. 3. v. 5.

Digitized by Google

fuerit renatus ex aqua & ſpiritu. 1. *p. q.* 74. *art.* 3.

GENESIS. Cap. I. v. 3.

Et dixit Deus, fiat lux.

Res creata habet triplex eſſe, ſcilicet in verbo, quod eſſe ſignificatur cùm dicitur, *Dixit Deus, fiat.* Secundum in mente Angeli, quod ſignificatur in hoc quod dicitur, *Factum eſt*, per influentiam verbi. Tertium in propria natura, quod ſignificatur in hoc quod dicitur, *fecit. Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 12. *art.* 3. *ſimile* 1. *p. q.* 44. *art.* 3.

Et dixit Deus. Dicere Dei intelligitur de æterna Verbi Dei generatione, in quo ab æterno fuit ratio omnium creaturarum condendarum. Nec tamen ideo frequenter repetitur in ſingulis operibus, *Dixit Deus*, Quaſi temporaliter dixerit: ſed quia licet Verbum in ſe ſit vnum, tamen in eo eſt propria ratio ſingularum creaturarum. Sic ergo ſingulis operibus præmittitur Dei Verbum, ſicut propria ratio operis fiendi: ne facto opere neceſſe ſit quærere quare tale opus ſit factum, cùm ante operis conditionem ſit dictum, *Dixit Deus.* Sicut cùm aliquis volens aſſignare alicuius rei cauſam, incipit à cauſæ cognitione. *In qq. Diſp q.* 3. *de potentia art.* 18.

Fiat lux. Videtur quòd inconuenienter lucis productio in prima die ponatur. Eſt enim lux qualitas quædam: Qualitas autem cùm ſit accidens, non habet rationem primi, ſed magis rationem poſtremi; non ergo primâ die debet poni productio lucis.

Lux eſt qualitas. R. quòd ſecundùm opinionem quæ ponit informitatem materiæ duratione præcedere formationem; oportet dicere quòd materia à principio fuerit creata ſub formis ſubſtantialibus, poſtmodum verò fuerit formata ſecundùm aliquas conditiones accidentales, inter quas primum locum obtinet lux. 1. *p. q.* 67. *art.* 4.

GENESIS. Cap. I. v. 4.

Et diuiſit Deus lucem à tenebris.

Rerum diſtinctio non eſt à caſu. Caſus enim non contingit niſi in poſſibilibus aliter ſe habere: Quæ enim ſunt ex neceſſitate, & ſemper; non dicimus eſſe à caſu. Quædam autem res creatæ ſunt, in quarum natura non eſt poſſibilitas ad non eſſe, ſicut ſunt ſubſtantiæ immateriales & abſque contrarietate. Subſtantias igitur earum impoſſibile eſt eſſe à caſu: ſunt autem per ſuam ſubſtantiam diſtinctæ ad inuicem; earum igitur diſtinctio non eſt à caſu.

Adhuc, id quod eſt bonum & optimum in effectu, eſt finis productionis ipſius: ſed bonum & optimum vniuerſi conſiſtit in ordine partium ipſius ad inuicem, qui ſine diſtinctione eſſe non poteſt, per hunc enim ordinem vniuerſum in ſua totalitate conſtituitur, quæ eſt optimum ipſius; ipſe igitur ordo partium vniuerſi; & diſtinctio earum eſt finis productionis vniuerſi, non eſt igitur diſtinctio rerum à caſu. Hanc autem veritatem ſcriptura profitetur, vbi dicit, *Diuiſit Deus lucem à tenebris*, Et ſic de alijs. Vt non ſolùm rerum creatio, ſed etiam rerum diſtinctio à Deo eſſe oſtendatur, non à caſu; ſed quaſi bonum & optimum vni-

Digitized by Google

uerſi. Vnde ſubditur, *Vidit Deus*
Gen. 1. v. 31. *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Libro ſecundo. contra Gentiles capito. 39.*

Et diſtinxit Deus lucem à tenebris. Dicendum eſt quòd diſtinctio rerum, & multitudo eſt ex intentione primi agentis, quod eſt Deus. Produxit enim res in eſſe propter ſuam bonitatem communicandam creaturis, & per eas repræſentandam. Et quia per vnam creaturam ſufficienter repræſentari non poteſt, produxit multas creaturas & diuerſas; vt quod deeſt vni ad repræſentandam diuinam bonitatem, ſuppleatur ex alia. Nam bonitas quæ in Deo eſt ſimpliciter & vniformiter, in creaturis eſt multipliciter & diuiſim. Vnde perfectiùs participat diuinam bonitatem, & repræſentat eam totum vniuerſum, quàm alia quæcumque creatura. *1. p. q. 47. art 1.*

Diſtinxit Deus lucem à tenebris. Videtur quod diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus, quia per hoc quod dicitur, *Facta eſt lux*, intelligitur formatio naturæ angelicæ per conuerſionem ad Verbum; ſimul ergo natura Angeli creata eſt, & facta eſt lux.

Sed ſimul dum facta eſt lux, diſtincta eſt à tenebris, per quas intelliguntur Angeli peccantes, ergo in primo inſtanti ſuæ creationis quidam Angeli fuerunt beati, & quidam peccauerunt.

Gen. 1. v. 31. Sed contra eſt, quod dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: inter ea autem erant etiam dæmones, ergo & dæmones aliquando fuerunt boni.

Angeli non peccauerunt in primo inſtanti. Dicendum quòd impoſſibile fuit Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordinatum actum liberi arbitrij: Quamuis enim res aliqua in primo inſtanti quo eſſe incipit, ſimul incipere poſſit operari, tamen illa operatio quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente à quo habet eſſe: ſicut moueri ſurſum ineſt igni à generante. Vnde ſi aliqua res habeat eſſe ab agente deficiente, quod poſſit eſſe cauſa defectiua actionis, poterit in primo inſtanti in quo incipit eſſe, habere defectiuam operationem: ſicut ſi tibia quæ naſcitur clauda ex debilitate ſeminis, ſtatim incipiat claudicare.

Agens autem quod Angelos in eſſe produxit, ſcilicet Deus, non poteſt eſſe cauſa peccati. Vnde non poteſt dici quod diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuit malus.

Ad argumentum R. quòd illa diſtinctio lucis & tenebrarum, ſecundùm quod per tenebras peccata dæmonum intelliguntur, accipienda eſt ſecundùm Dei præſcientiam. *1. p. q. 63. art. 5.*

Diuiſit Deus lucem à tenebris. Videtur quod Angeli in gratia creati non fuerunt, per hoc enim quod dicitur, *Fiat lux & facta eſt lux*, intelligitur illuminatio bonorum Angelorum per gratiam: ſed per lucem gratiæ *Diuiſum eſt inter lucem & tenebras*, Id eſt, inter bonos Angelos & malos: cùm ergo Angelus non fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis, nec etiam in ipſo inſtanti aliquis Angelus gratiam habuerit, ſequitur quod Angeli in gratia creati non fuerunt.

Præterea, motus liberi arbitrij requiritur ad ſuſceptionem gratiæ, ſicut & ad culpam: ſed diabolus non potuit eſſe malus per motum liberi arbitrij, in primo inſtanti ſuæ crea-

Digitized by Google

tionis, ergo eadem ratione nec in ipſo inſtanti primo, aliqui Angeli gratiam acceperunt.

Dicendum quòd hæc opinio repugnat diuinæ liberalitati, per quam ſuam bonitatem communicat omnibus ſecundum ſuam capacitatem. Vnde & gratiam tribuit omnibus, in quibus impedimentum gratiæ non inuenitur per peccatum actuale, vel originale: Quale impedimentum in primo inſtanti ſuæ creationis Angeli non habuerunt, & ideo probabiliter dicitur, quod omnes Angeli tam boni, quàm mali in gratia creati fuerunt.

Ad 1. argumentum R. quòd illa illuminatio per quam à tenebris, vel à dæmonibus boni Angeli ſunt diuiſi, eſt per gratiam conſummatam, quæ ad gloriam pertinet, quam Angeli in primo inſtanti creationis ſuæ non habuerunt.

Ad 2. R. Quòd non eſt ſimile de motu liberi arbitrij in bonum & malum. Nam ad bonum ordinatur naturaliter, malum autem eſt ei contra naturam. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 4. art. 1.*

Diuiſit Deus lucem à tenebris. Videtur quod Angeli ſint creati beati, beatitudo enim in viſione Dei conſiſtit, *Hæc eſt vita æterna &c.* Sed
Ioan. 17. v. 3 Angeli in principio creationis viderunt Deum, viderunt enim res in verbo, quod eſſe non potuit, ſi Deum per eſſentiam non viderunt; ergo Angeli in principio ſuæ creationis beati fuerunt.

Præterea, Angeli in principio ſuæ creationis naturaliter beatitudinem deſiderabant, ſi ergo non ſtatim beatitudinem habuerunt, fuit eis pœna abſque culpa, vel pro dubitatione, ſi de futura beatitudine certi non erant: vel de dilatione, ſi certi erant: *Spes enim quæ differtur affligit* *Prou. 13.*
animam. Hoc autem eſt inconueniens: ergo Angeli beati fuerunt. *v. 12.*

Sed contra, ſimul Angeli boni fuerunt beati, & mali miſeri, quod deſignatur per hoc quod dicitur, quod, *Diuiſit Deus lucem à tenebris.* ſed nullus Angelus fuit malus, & miſer in principio ſuæ creationis; ergo nec Angeli boni fuerunt creati beati.

Dicendum quòd beatitudo perfectionem quandam operationis importat. Eſt autem duplex perfectio, vna ſecundùm aliquod genus determinatum, alia vero ſimpliciter. Vnde duplex eſt beatitudo, vna per quam habet aliquis perfectam operationem, ſecundùm modum perfectionis ſuæ naturæ: & ſic homo & Angelus, beati creati ſunt: quia ſcilicet in ſui creationis principio, habuerunt perfectam cognitionem de Deo, ad quam natura creata ſe extendere poteſt. In hac autem operatione qua Deus cognoſcitur, beatitudo rationalis conſiſtit.

Alia beatitudo eſt, in quantum rationalis creatura habet perfectam operationem ſimpliciter: prout ſcilicet cognoſcit Deum per eſſentiam ſuam, ſicut eſt. Et hanc beatitudinem Angeli in ſuæ creationis principio non habuerunt.

Ad primum argumentum R. quod Deus tripliciter videtur, vno modo per ſpeciem alicuius rei, in qua eſt aliqua ſimilitudo Dei: & iſta cognitio competit, ſecundùm præſentem ſtatum. Alio modo per aliquam ſimilitudinem diuinæ virtutis, menti intelligentis impreſſam:

Digitized by Google

& iſta eſt Angelis naturalis. Tertio modo abſque ſimilitudine per eſſentiam, & iſta eſt viſio propria beatorum. Secundo ergo modo, & non tertio, Angeli antequam eſſent beati viderunt verbum, & res in verbo: Tertio verò modo poſtquam beati fuerunt.

Ad ſecundum R. quod deſiderium Angelorum erat ordinatum. Vnde non appetebant habere beatitudinem niſi determinato tempore, quod dilatum non fuit: & ideo afflictio in eis eſſe non potuit. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 4. art. 4.*

GENESIS. Cap. I. *v.* 5.

Tenebras appellauit noctem, & lucem diem.

HIc duplex acceptio diei: vna eſt ſecundùm quod dicimus diem naturalem qui habet 24. horas, & ſic ſumitur in textu: Alio modo ſecundùm quod dicitur artificialis, id eſt, tempus quo ſol noſtrum hemiſpherium illuminat: & hoc modo ſumitur cùm dicitur *tenebras*, quod appellauit noctem, & lucem diem. *Lib. 2. ſent. diſt. 13 in expoſit. textus.*

GENESIS Cap. *v.* 15.

Factum eſt veſpere & mane dies vnus.

Eccl. 18. v. 1. VIdetur quòd omnia ſint ſimul creata, quia dicitur, *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* Dicendum quòd quæ ad fidem pertinent, dupliciter diſtinguntur, quædam enim ſunt per ſe de ſubſtantia fidei, vt Deum eſſe trinum & vnum, & huiuſmodi, in quibus nulli licet aliter opinari. Quædam verò per accidens tantùm, in quantùm ſcilicet in ſcriptura traduntur, quam fides ſupponit Spiritu ſancto dictante promulgatam eſſe, quæ quidem ignorari ſine periculo poſſunt ab his qui ſcripturas ſcire non tenentur, ſicut multa hiſtorialia. Et in his etiam ſancti diuerſa ſenſerunt, Scripturam S. diuerſimodè exponentes.

Sic ergo circa mundi principium aliquid eſt quod ad ſubſtantiam fidei pertinet, ſcilicet mundum incepiſſe creatum. Et hoc omnes ſancti concorditer dicunt. Quo autem modo & ordine factus ſit, non pertinet ad fidem niſi per accidens, in quantum in ſcriptura traditur: cuius veritatem diuersâ expoſitione ſancti ſaluantes, diuerſa tradiderunt.

Ad argumentum R. quòd dicuntur omnia ſimul creata per ſubſtantiam materiæ, & non per ſpeciem formæ. Vel etiam in ſui ſimilitudine, ſicut anima rationalis quæ Angelis ſimilis eſt, non ex materia propaganda. *Lib. 2. ſent. diſt. 12. art. 2.*

Factum eſt veſpere. Videtur quod in Angelis diſtingui non debeat cognitio matutina & veſpertina. Veſpere enim & mane diei ſunt tenebris admiſta: ſed in intellectu Angeli nullæ ſunt tenebræ: ergo.

2. Cognitio matutina dicitur qua Angeli cognoſcunt res fiendas in Verbo: veſpertina autem quâ cognoſcunt res in propria natura: ſed non aliter cognoſcunt res antequam ſint, & aliter poſtquam ſunt: cùm intellectum habeant deiformem, & à rebus cognitionem non accipiant: ergo.

3. Cognitio veſpertina eſt qua res cognoſcuntur in propria natura: ſed res in Verbo in propria natura

Digitized by Google

cognoſcuntur : Verbum enim expreſſius propriam rei naturam repreſentat, quàm ipſæ etiam formæ: ergo.

4. Dicitur quod *Factum eſt veſpere & mane dies vnus* : Sed dies accipitur ibi pro ipſa Angeli cognitione : ergo vna & eadem eſt in Angelis cognitio matutina & veſpertina.

5. Priùs eſt cognitio rei fiendæ, quam factæ : ſed cognitio veſpertina præcedit matutinam, dicitur enim. *Factum eſt veſpere & mane* ; ergo non conuenienter diſtinguitur cognitio veſpertina à matutina ; vt cognitio veſpertina ſit cognitio rei jam factæ, matutina, verò rei fiendæ.

6. Angelus in principio ſuæ creationis cognouit cognitione matutinâ : non autem cognouit verbum, quia non fuit creatus beatus : videre autem Verbum eſt actus beatitudinis : ergo cognitio rerum in Verbo non eſt cognitio matutina.

Cognitio matutina & veſpertina.

Dicendum, quod hoc, quod dicitur de matutina & veſpertina Angelorum cognitione, introductum eſt ab Auguſt. hac neceſſitate : vt poſſet ponere ea, quæ in 6 primis diebus facta leguntur, ſine ſucceſſione temporum eſſe completa. Vnde per dies illos non temporum diſtinctiones vult intelligi, ſed Angelorum cognitionem. Sicut enim præſentatio lucis corporalis ſuper hæc inferiora diem facit temporalem : ſic præſentatio vel operatio luminis intellectus angelici ſuper res creatas, diem ſpiritualem facit. Et ſecundùm hoc multi dies diſtinguntur, quòd intellectus Angeli diuerſis rerum generibus cognoſcendis comparatur. Et ſic ordo diei non fuit ordo temporis, ſed ordo naturæ, qui in cognitione Angeli attenditur ſecundùm ordinem cognitorum adinuicem, prout alterum altero eſt prius naturâ. Sicut autem in die temporali mane eſt diei principium, veſpere verò finis : ita in cognitione Angeli reſpectu eiuſdem rei eſt conſiderare principium & finem ſecundùm ordinem rei cognitæ. Principium autem cuiuſlibet rei eſt in cauſa, à qua fluit : terminus autem ipſius eſt in ipſa re, ad quam actio cauſæ producentis terminatur : Vnde primitiua alicuius rei cognitio, eſt ſecundùm quod conſideratur in cauſa ſua, quæ eſt Verbum æternum. Vnde cognitio rerum in Verbo dicitur matutina cognitio, vltima autem rei cognitio eſt ſecundùm quod cognoſcitur in ſeipſa : & talis cognitio dicitur veſpertina.

Ad 1. Argum. R. quòd non accipitur ſimilitudo in cognitione Angeli veſpere & mane ſecundùm hoc, quòd veſpere & mane dici temporalis ſunt cum tenebrarum admiſtione : ſed magis ſecundum rationem principij & termini, vt dictum eſt. Vel poteſt dici quod omnis intellectus creatus, in quantum eſt ex nihilo, tenebroſus eſt, comparatus claritati intellectus diuini. Habet autem lucis admiſtionem in quantum diuinum intellectum imitatur.

Ad 2. R. quòd quamuis per Verbum eodem modo cognoſcant Angeli res fiendas & factas : Tamen alio modo cognoſcunt Angeli res fiendas per verbum, alio modo res factas per propriam naturam ſecundùm ſimilitudinem eius, quam penes ſe habent. Et ſecundùm hoc

Digitized by Google

matutina cognitio à veſpertina diſtinguitur.

Ad 3. R. quòd quamuis res expreſſius repræſententur in Verbo quàm in formis intellectus angelici; tamen formæ intellectus angelici ſunt magis rebus proportionatæ, & quaſi eis adæquatæ. Et ideo iſta cognitio dicitur eſſe rerum in propria, natura & non prima.

Ad 4. R. quod ſicut vna tota ſcientia comprehendit ſub ſe diuerſas ſcientias particulares, quibus concluſiones diuerſæ cognoſcuntur: ita etiam ipſa cognitio Angeli quæ eſt quaſi quoddam totum, comprehendit ſub ſe cognitionem matutinam & veſpertinam quaſi partes: ſicut mane & veſpere ſunt partes diei temporalis.

Ad 5. R. quòd cognitio matutina præcedit veſpertinam ordine naturæ reſpectu vnius & eiuſdem rei: ſed reſpectu diuerſarum rerum veſpertina cognitio prioris intelligitur eſſe prior cognitione matutinà poſterioris, prout in cognitione attenditur ordo reſpectu rerum cognitarum.

Ad 6. R. quod Angelus in principio ſuæ creationis non fuit beatus, nec per eſſentiam Verbum vidit: vnde nec cognitionem matutinam habuit: ſed primò habuit veſpertinam, & ex veſpertina profecit in matutinam. Vnde ſignanter primus dies mane non dicitur habuiſſe: ſed primò veſpere, quod veſpere tranſiuit in mane: Quia lux illa ſpiritualis quæ primo die facta dicitur, ſcilicet ſubſtantia angelica ſtatim facta ſeipſam cognouit, quod fuit cognitionis veſpertinæ: & hanc cognitionem retulit ad laudem Verbi in quo facta eſt ei cognitio matutina. Et propter hoc dicitur, *Factum eſt veſpere & mane.*

Nota quòd cùm cognitio veſpertina à matutina diſtinguatur ex parte medij cognitionis, & non ex parte rei cognitæ. Cognitio Creatoris per creaturam eſt veſpertina: ſicut è contrario cognitio creaturæ per Creatorem eſt matutina. *In qq diſp q. 8. de poten. art. 16. ſimile 1. p. q. 58. art. 6. & 7.*

Factum eſt veſpere & mane. Videtur quòd intellectus dæmonis ſit obtenebratus per priuationem cognitionis omnis veritatis: nam cognitio rerum Angelis conueniens eſt duplex, ſcilicet matutina & veſpertina: ſed cognitio matutina non competit dæmonibus, quia non vident res in verbo: nec cognitio veſpertina, quia cognitio veſpertina refert res cognitas ad laudem creatoris: vnde poſt *Veſpere fit mane*: ergo dæmones priuantur omni cognitione veritatis.

Præt. Quamcumque veritatem aliquis ſcit, aut cognoſcit eam naturaliter, ſicut nos cognoſcimus prima principia: aut accipiendo ab alio, ſicut quæ ſcimus addiſcendo: aut experientiâ longi temporis, ſicut ſcimus inueniendo: ſed dæmones non poſſunt cognoſcere veritatem per ſuam naturam, quia ab eis diuiſi ſunt boni Angeli, ſicut lux à tenebris: Omnis autem manifeſtatio fit per lumen, vt dicitur. *Eph. 5. v. 13.* Similiter etiam neque per reuelationem, neque addiſcendo à bonis Angelis: quia non eſt conuentio lucis ad tenebras, vt dicitur. *2. Cor. 6. v. 14.* Neque per experientiam longi temporis: quia experientia à ſenſu oritur: ergo nulla in eis eſt cognitio veritatis.

Digitized by Google

Dicendum quòd duplex eſt cognitio veritatis: vna quæ habetur per gratiam, alia quæ habetur per naturam. Et iſta quæ habetur per gratiam eſt duplex. Vna quæ eſt ſpeculatiua tantùm, ſicut cum alicui aliqua ſecreta diuinorum reuelantur. Alia verò quæ eſt affectiua producens amorem Dei: & hæc propriè pertinet ad donum ſapientiæ.

Dæmonum cognitio actiua.

Harum autem trium cognitionum prima in dæmonibus nec eſt ablata, nec diminuta: conſequitur enim ipſam naturam Angeli, qui ſecundùm ſuam naturam eſt quidam intellectus vel mens: propter ſimplicitatem autem ſuæ ſubſtantiæ à natura eius aliquid ſubtrahi non poteſt: vt ſic per ſubtractionem naturalium puniatur: ſicut homo punitur per ſubtractionem manus, aut pedis &c. vnde naturalis cognitio in eis non eſt diminuta. Secunda autem cognitio quæ eſt per gratiam, in ſpeculatione conſiſtens, non eſt in eis totaliter ablata, ſed diminuta: quia de huiuſmodi ſecretis diuinis, tantùm reuelatur eis, quantùm oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis effecta. Non autem ſicut ipſis ſanctis Angelis quibus plura & clariùs reuelantur in ipſo verbo. A tertia verò cognitione ſunt totaliter priuati, ſicut & à charitate.

Ad 1. R. quòd creatura tenebra eſt comparata excellentiæ diuini luminis. Et ideo cognitio creaturæ in propria natura, veſpertina dicitur: veſpere enim eſt tenebris adiunctum, habet tamen aliquid de luce: Cùm autem totaliter deficit lux, eſt nox. Sic igitur & cognitio rerum in propria natura, quando refertur ad laudem creatoris, vt in bonis Angelis, habet aliquid de luce diuina, & poteſt dici veſpertina. Si autem non referatur in Deum, ſicut in dæmonibus, non dicitur veſpertina ſed nocturna. Vnde legitur, quòd *Tenebras quas Deus à luce ſeparauit, vocauit noctem.* Gen. 1. v. 5.

Ad 2. R. quòd dæmones tribus modis cognoſcunt veritatem aliquam. Vno modo ſubtilitate ſuæ naturæ: quia licet ſint obtenebrati per priuationem luminis gratiæ: ſunt tamen lucidi lumine intellectualis naturę. Secundò per reuelationem à ſanctis Angelis, cum quibus non conueniunt quidem per conformitatem voluntatis: conueniunt autem ſimilitudine intellectualis naturę, ſecundùm quam poſſunt accipere quod ab alijs manifeſtatur. Tertio modo cognoſcunt per experientiam longi temporis, non quaſi à ſenſu accipientes: ſed dum in rebus ſingularibus completur ſimilitudo eius ſpeciei intelligibilis, quam ſibi naturaliter habent inditam: aliqua cognoſcunt præſentia, quæ non præcognouerunt futura. 1. *p.* *q.* 64. *art.* 1.

Genesis Cap. 1. *v.* 6.

Dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum.

In his quæ fiunt per Verbum, ipſum dicere eſt facere: ſi ergo res ſunt factæ per Verbum, non oportuiſſet quòd poſtquam dictum eſt, *Dixit Deus, fiat firmamentum,* Addetur, & fecit Deus firmamentum.

R. quòd per hoc quod dicitur, *Dixit* Deus, intelligitur eſſe rerum

in

in verbo: per hoc quod dicitur *fecit*, intelligitur eſſe rerum in intelligentia Angelica: Per hoc autem quod dicitur factum eſt, intelligitur eſſe rerum in propria natura. Et quia ſui ipſius Angelus cognitionem habere non potuit, antequam in propria natura eſſet: ideo in opere primæ diei, quod ad Angelos pertinet, ſecundùm Auguſtinum, non interponitur, *Et fecit Deus*. Vel ſi hoc opus ad lucem corporalem referatur: hoc ideo dicitur quia eſſe lucis eſt in continuo fieri, nec in ea differt eſſe factum, & fieri. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 13. q. 1. art. 4.*

GENESIS Cap. 1. v. 7.

Diuiſit aquas quæ erant ſub firmamento.

DE illis aquis affert S. Thomas varias Patrum explicationes. *Lib. 1. ſent. diſt. 14. q. 1. art. 1. in queſt. diſp. q. 4. de potentia art. 1. Quod libeto 4. art. 3. 1. p. q. 68 art. 2. & 3. & Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 14. q. 1. art. 1.*

GENESIS Cap. 1. v. 8.

Vocauit Deus firmamentum Cælum. Explicatur 1 *p. q. 68. a. 1. per totum.*

GENESIS Cap. 1. v. 9.

Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida.

Expl. 1. *p. q. 69. art. 1. per totum.*

Congregentur aquæ in locum vnum

Videtur quod Deus non poſſit immediatè mouere aliquod corpus. Cùm enim mouens & motum oporteat eſſe ſimul, oportet eſſe contactum quendam mouentis & moti: ſed non poteſt eſſe contactus Dei, & corporis alicuius. Ergo.

Sed contra, Opera ſex dierum Deus fecit immediatè, in quibus continetur motus corporum, vt patet in textu: ergo Deus poteſt immediatè mouere corpus.

Dicendum quod erroneum eſt dicere, Deum non poſſe facere per ſeipſum omnes determinatos effectus qui fiunt per quacumque cauſam creatam. Vnde cùm corpora moueantur immediatè à cauſis creatis, nulli debet venire in dubium, quin Deus poſſit mouere immediatè quodcumque corpus. Nam omnis motus corporis cuiuſcumque, vel conſequitur formam aliquam, ſicut motus localis grauium & leuium conſequitur formam quæ datur à generante, ratione cuius generans dicitur mouens. Vel eſt via ad formam aliquam, ſicut calefactio eſt via ad formam ignis. Eiuſdem autem eſt imprimere formam & diſponere ad formam, & dare motum conſequentem formam. Ignis enim non ſolùm generat alium ignem, ſed etiam calefacit, & ſurſum mouet. Cùm igitur Deus poſſit immediatè formam materiæ imprimere, conſequens eſt vt poſſit ſecundùm quemcumque motum corpus quodcumque mouere.

Deus corpora mouet.

Ad argum. R. quòd duplex eſt tactus, ſcilicet corporalis, ſicut duo corpora ſe tangunt: Et virtualis, ſicut dicitur quòd contriſtans tangit contriſtatum. Secundùm igitur primum contactum, Deus, cùm ſit incorporeus, nec tangit, nec tangitur: ſecundùm autem virtualem contactum, tangit quidem mouendo creaturas, ſed non tangitur: quia nullius creaturæ virtus naturalis poteſt ad ipſum pertingere. 1. *p. q.* 105.

Digitized by Google

art. 2.

GENESIS. Cap. I. *v.* 12.

Protulit terra herbam virentem.

TErtià die informitas terræ remouetur. Duplex autem informitas circa terram deſcribebatur; vna quòd erat inuiſibilis & inanis, quia erat aquis cooperta: Alia quòd erat incompoſita ſiue vacua, id eſt, non habens debitum decorem, qui acquiritur terræ ex plantis, eam quodammodo veſtientibus. Et ideo, vtraque informitas in hac tertia die remouetur. Prima quidem per hoc, quòd aquæ congregatæ ſunt in vnum locum, & apparuit arida. Secunda verò per hoc, quod *Protulit terra herbam virentem.* 1. *p. q.* 69. *art.* 2.

GENESIS. Cap. I. *v.* 14.

Fiant luminaria in firmamento cœli.

Stellarum productio explicatur *Lib.* 2 *ſent. diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 1.

GENESIS. Cap. I. *v.* 14.

Vt ſint in ſigna & tempora.

VIdetur quòd inconuenienter cauſa productionis luminarium deſcribatur. Dicitur enim, *à ſignis cœli nolite metuere, quæ gentes* Hierem.
timent; non ergo luminaria in ſigna facta ſunt. 10. *v.* 2.

2. Signum contra cauſam diuiditur: ſed luminaria ſunt cauſa eorum quæ hic aguntur; ergo non ſunt ſigna.

3. Diſtinctio temporum & dierum incœpit à primo die; non ergo facta ſunt luminaria in tempora, & dies & annos, id eſt, in horum diſtinctionem.

4. Nihil fit propter vilius ſe, quia finis eſt melior iis quæ ſunt ad finem: ſed luminaria ſunt meliora quàm terra; non ergo facta ſunt vt illuminent terram.

5. Luna non præeſt nocti quando eſt plena: probabile autem eſt quòd luna facta fuerit plena, ſic enim homines incipiunt computare; ergo luna non eſt facta vt præſit nocti.

Dicendum quòd creatura aliqua corporalis poteſt dici eſſe facta vel propter actum proprium, vel propter aliam creaturam, vel propter totum vniuerſum, vel propter gloriam Dei. Sed Moyſes, vt populum ab idololatria reuocaret, illã ſolam cauſam tetigit, ſecundùm quod ſunt facta ad vtilitatem hominum. Vnde dicitur, *Ne fortè eleuatis oculis ad* Deut. 4.
cœlum videas ſolem, & lunam, & om- v. 19.
nia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus. Hoc autem miniſterium explicat per tria. Primò enim prouenit vtilitas hominibus ex luminaribus quantùm ad viſum, qui eſt directiuus in operibus, & maximè vtilis ad cognoſcendas res: & quantùm ad hoc dicit, *vt luceant in firmamento, & illuminent terram.* 2. quantùm ad viciſſitudines temporum, quibus & faſtidium tollitur, & valetudo conſeruatur, & neceſſaria victui oriuntur: Quæ non eſſent, ſi ſemper eſſet aut æſtas, aut hyems. Et quantùm ad hoc dicit, *vt ſint in tempora, & dies, & annos.* 3. quantùm ad opportunitatem negotiorum & operum, in quantum ex luminaribus cœli accipitur ſignificatio pluuioſi temporis vel ſereni; quæ ſunt apta diuerſis negotijs. Et quantùm ad

hoc dicit, *vt ſint in ſigna.*

Ad 1. R. quòd luminaria ſunt in ſigna corporalium tranſmutationum, non autem eorum quæ dependent ex libero arbitrio.

Ad 2. R. quòd per cauſam ſenſibilem quandoque ducimur in cognitionem effectus occulti, ſicut & è conuerſo. Vnde nihil prohibet, cauſam ſenſibilem eſſe ſignum. Ideo tamen potiùs dicit ſigna, quàm cauſas, vt occaſionem idololatriæ tolleret.

Ad 3. R. quòd in prima die facta eſt communis diſtinctio temporis per diem & noctem ſecundùm motum diurnum, qui eſt communis totius cœli; qui poteſt intelligi incepiſſe primo die. Sed ſpeciales diſtinctiones dierum & temporum ſecundùm quod dies eſt calidior die, & tempus tempore, & annus anno; fiunt ſecundùm ſpeciales motus ſtellarum, qui poſſunt intelligi quarto die incepiſſe.

Ad 4. R. quòd in illuminatione terræ intelligitur vtilitas hominis, qui ſecundùm animam præfertur corporibus luminarium. Nihil tamen prohibet dici, quòd dignior creatura facta eſt propter inferiorem; non ſecundùm quod in ſe conſideratur, ſed ſecundùm quod ordinatur ad integritatem vniuerſi.

Ad 5. R. quòd Luna quando eſt perfecta, oritur veſpere, & occidit mane; Et ſic præeſt nocti. Et ſatis probabile eſt quòd Luna fuerit facta plena: ſicut & herbæ factæ ſunt in ſua perfectione facientes ſemen: & ſimiliter animalia, & homo. Licet enim naturali proceſſu ab imperfecto ad perfectum deueniatur, ſimpliciter tamen perfectum prius eſt imperfecto. 1. *p. q.* 70. *art.* 2.

Et diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna. Illud quod eſt proprium vnius, non debet multis attribui: ſed diſtinguere diem & noctem eſt proprium ſolis; ergo non debet luminaribus communiter attribui.

Præt. Nobilius non eſt propter vilius: ſed luminaria ſunt nobiliora, quàm terra; ergo inconuenienter ponitur terræ illuminatio, luminarium finis.

Ad 1. R. Quod licet ſolis proprium ſit diſtinguere diem à nocte; annos tamen & quatuor anni tempora quantùm ad eſſe eorum, & tanquam ad eorum diſpoſitionem, eſt etiam aliorum luminarium. Nam ſi ſolus ſol eſſet omni anno ver, & æſtas, & alia tempora eſſent eiuſdem diſpoſitionis in calore & frigore. Accidit autem in eis variatio propter alia luminaria.

Ad 2. R. quòd corpora cœleſtia non ſunt propter inferiora, ſicut propter finem, niſi fortè quantùm ad hominem, qui eſt eis dignior propter animam rationalem. Sed finis eorum principaliter eſt aſſimilatio ad Deum, quem conſequuntur in hoc, quòd inferiorum cauſa quodammodo exiſtant; ex quo vtilitas in inferioribus corporibus prouenit. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt.* 15. *q.* 1 *art.* 1.

Vt ſint in ſigna. Plus eſt eſſe cauſam quàm ſignum: ſed corpora cœleſtia ſunt cauſa motuum qui ſunt in iſtis inferioribus; ergo magis debuit dicere, vt ſint in cauſas, quàm *vt ſint in ſigna.*

R. quod aliqua cauſa dicitur ſignum propter duo, primò propter eius ſenſibilitatem, vnde fit vt ſuum effectum denunciet; 2. propter modum cauſandi, quia ſcilicet ex

ea ſuus effectus non neceſſariò ſequitur: & propter hæc duo, cauſæ cœleſtes ſigna dicuntur. Tum quia per hoc quòd ſenſibus patent, denunciant ſuos effectus latentes, quia ſunt cauſæ remotæ, & per defectum cauſarum proximarum, eorum effectus impediuntur interdum. Ideo autem potiùs vti voluit nomine ſigni quàm cauſæ, vt tolleretur populo idololatriæ occaſio; quæ præcipuè in veneratione luminarium conſiſtebat: & iterum quia ad plura ſe extendit eorum ſignatio, quàm cauſalitas. Nam cauſæ ſunt ſolùm corporalium, ſigna autem poſſunt eſſe etiam ſpiritualium; in quantum corporalia ad ſpiritualia diſponunt. *Ibid.*

GENESIS Cap. I. v. 14.

Vt diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos.

Videtur quòd motus corporum cœleſtium in mundi innouatione non ceſſabit, quia ſubſtantia corporum cœleſtium ſemper erit: ſed fruſtra eſt ponere aliquid niſi ponatur illud propter quod eſt factum: corpora autem cœleſtia ad hoc ſunt facta, *vt diuidant diem &c.* quod non poſſunt facere niſi per motum, ergo motus eorum ſemper manebit, aliàs fruſtra illa corpora remanerent.

Motus cœli ceſſabit homine glorificato.

Dicendum quòd motus cœli ceſſabit in illa mundi innouatione, non quidem ex aliqua naturali cauſa, ſed diuinâ voluntate faciente: corpus enim illud, ſicut & alia in miniſterium hominis facta ſunt dupliciter: vno modo ad ſuſtentationem corporalis vitæ; alio modo ad profectum cognitionis diuinæ. Altero autem horum miniſteriorum homo poſt ſtatum gloriæ non indigebit; ſcilicet ſecundùm quòd corpora ei deſeruiunt ad ſuſtentationem corporalis vitæ: hoc autem modo ſeruit ei corpus cœleſte per motum, in quantùm per motum cœli multiplicatur genus humanum, & generantur plantæ & animalia, quæ vſui hominum ſunt neceſſaria; & etiam temperies in aëre efficitur conſeruans ſanitatem: vnde homine glorificato, motus cœli ceſſabit.

Ad argumentum dicendum, quòd finis qui ibi aſſignatur corporibus cœleſtibus, eſt finis proximus, quia eſt proprius eorum actus: ſed iſte actus vlterius ordinatur ad alium finem, ſcilicet ad miniſterium humanum, vt patet, *ne fortè oculis eleuatis ad cœlum videas ſolem & lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.* Et ideo magis debet iudicium ſumi de corporibus cœleſtibus ſecundùm miniſterium hominum, quàm ſecundùm finem in Geneſi aſſignatum. Corpora autem cœleſtia per modum alium in miniſterium hominis glorificati cedent, in quibus manifeſta indicia diuinæ maieſtatis apparebunt. Et ideo non ſequitur quod fruſtra remaneant. *Lib. 4. ſent. Diſt.* 48 *q.* 2. *art.* 2. *& Supplement. q.* 91. *art.* 2.

Deut. 4. *v.* 19.

Dicitur quod luminaria cœli facta ſunt, *vt ſint in tempora &c.* ſi ergo lux initio creata, diem à nocte diſtinguebat, videtur quòd creatio luminarium ſuperflua fuerit.

R. quòd in productione illius lucis ſolis, intelligitur virtus genera-

Digitized by Google

lis corporum cœleſtium: ſol enim quantùm ad ſuam ſubſtantiam creatus fuit inter prima creata, & in primo die intelligitur ſibi fuiſſe lux collata: in quarto verò die intelligitur ſibi collata fuiſſe virtus ſpecialis, in qua ab alijs corporibus cœleſtibus diſtinguitur; & ideo oportuit poſtmodum fieri mentionem de formatione luminarium, in quibus virtutes ſpeciales continentur. *Lib. 2. ſent ad Annibald. Diſt. 13. q. 1. art. 3.*

GENESIS Cap. I. v. 16.

Fecit Deus duo luminaria magna.

MVltæ ſtellæ ſunt maiores lunâ; ergo non debet dici luminare magnum. R. quòd ſol dicitur magnum luminare, & propter quantitatem & propter virtutem: Luna verò dicitur magnum, non tam propter quantitatem veram, quàm propter quantitatem apparentem, & propter exceſſum claritatis reſpectu aliarum ſtellarum, ex propinquitate eius ad nos, & propter euidentiam effectus quem habet in rebus humidis. *Lib. 2. ſent. Diſt. 15. q. 1. art. 1. ſimile 1. p. q. 70. art. 1. & Lib 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 15. q. 1. art. 1.*

Fecit Deus duo luminaria. Luminaria non præſunt diei vel nocti, niſi per illuminationem: ſed luna non ſemper lucet in nocte; ergo inconuenienter dicitur, quòd ſol præeſt diei, & luna nocti.

Ad argum. R. quòd de Luna hic agitur, ſecundùm quod eſt in ſui complemento, ſcilicet cùm eſt quintadecima; tunc enim totam noctem illuminat. Habet etiam ſecundùm ſuam virtutem ſimilitudinem cum nocte, in quantum eſt effectiuè frigida & humida. Vnde ab aſtrologis dicitur planeta nocturnus, & ſol diurnus. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 15. q. 1. art. 1.*

GENESIS Cap. I. v. 20.

Producant aquæ reptile animæ viuentis.

ET ita videtur quòd animæ ſenſibiles reptilium & aliorum animalium ſint ex actione corporalium elementorum. *in qq. diſp. q. 3. de potentia art. 11.*

Poducant aquæ reptile. Explicatur 1. p. q. 71. *per totum.*

GENESIS Cap. I. v. 24.

Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ.

TErreſtria animalia, non ſunt ipſa anima viuens; ergo inconuenienter dicitur *producat terra animam viuentem.*

2. Genus non debet diuidi contra ſpeciem: ſed iumenta & beſtiæ ſub quadrupedibus computantur; inconuenienter ergo quadrupedia connumerantur iumentis, & beſtijs.

3. Quædam animalia ſunt venenoſa & homini noxia: nihil autem debuit eſſe homini nociuum ante peccatum: ergo.

Ad 1. R. quòd terrena animalia vocat animam viuentem propter perfectionem vitæ in eis: Ac ſi piſces ſint corpora habentia aliquid animæ; terreſtria verò animalia propter perfectionem vitæ, ſint quaſi animæ dominantes corporibus.

Ad 2. R. quod per iumenta intelliguntur animalia domeſtica quæ

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

homini ſeruiunt qualitercumque. Per beſtias autem intelliguntur animalia ſæua, vt vrſi & leones. Per reptilia verò, animalia quæ vel non habent pedes quibus eleuentur à terra, vt ſerpentes: vel habent breues, quibus parum eleuantur, vt lacertæ & formicæ. Sed quia ſunt quædam animalia quæ ſub nullo horum comprehenduntur, vt cerui & caprei; vt etiam iſta comprehenderentur, addidit quadrupedia. Vel quadrupedia præmiſit quaſi genus & alia ſubiunxit, quaſi ſpecies. Sunt enim quædam reptilia quadrupedia, vt lacertæ & formicæ.

Ad 3. R. Quòd homo ante peccatum ordinatè fuiſſet vſus rebus mundi: Vnde animalia venenoſa ei noxia non fuiſſent. 1. *p q.* 72. *art.* 1.

GENESIS Cap. I. *v.* 25.

Fecit Deus beſtias terræ & iumenta & omne reptile terræ in genere ſuo.

Reptilium quædam genera ſunt terreſtria, quædam aquatica. Reptile autem dicitur quod ſe rapit. Hoc autem contingit multipliciter, quoddam enim rapit ſe virtute coſtarum, vt ſerpentes: quoddam vi quorundam annulorum: vt animalia annuloſa: quoddam vi oris vt quidã vermes, qui ore terræ affixo, totum corpus poſt ſe trahunt: quoddam verò vi pennularũ quarundam ſe mouet, vt piſces. Et vniuerſaliter omne animal videtur reptile dici, cujus corpus non multùm à terra eleuatur per inſtrumenta motus. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2.

Iumenta dicuntur, quæ adiutorium homini conferunt, præcipuè vehendo ipſum; vt equi vel aſini & huiuſmodi. Beſtiæ dicuntur propter crudelitatem, quaſi vaſtiæ, vt leones, vrſi & huiuſmodi. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 15. *in expoſit textus.*

GENESIS Cap. I. *v.* 26.

Faciamus hominem ad imaginem.

Imago propriè dicitur quod ad alterius imitationem eſt: nec tamen quælibet & imitatio rationem imaginis perficit; vt ſi hoc ſit album, & illud album, non ex hoc dicitur eius imago. Sed ad rationem imaginis exigitur imitatio in aliquo, quod ſpeciem exprimat & eſſentiam; & inde eſt quòd in corporalibus ſecundùm imitationem figuræ, potiſſimùm imago attenditur; quia figura eſt quaſi certum ſignum oſtendens vnitatem & differentiam ſpeciei. Hæc autem imitatio poteſt eſſe dupliciter, aut ſimul quantùm ad ſpeciem, & ſignum ſpeciei: & ſic imago hominis eſt in filio ſuo, qui ipſum in humana ſpecie & figura imitatur; & hæc eſt perfecta imago: Aut quantùm, ad ſignum tantùm, & non quantùm ad veritatem ſpeciei; ſicut imago hominis eſt ſtatua lapidea; & hæc eſt imperfecta imago. Et primo modo filius eſt imago patris, ſicut in natura communicans. Secundo autem modo imago Dei eſt in creaturis: & ideo creatura poteſt eſſe imago Dei, licet non perfecta. *Lib.* 2 *ſent. Diſt.* 16. *q.* 1. *art.* 1. Imago propriè quæ ſit.

Faciamus hominem ad imaginem. Decentia incarnationis filij poteſt attendi ex proprijs: in quibus poſſunt conſiderari quatuor, ſcilicet quòd filius eſt, quòd verbum eſt, quòd imago, quòd media in Trinitate perſona. Secundùm autem quod imago, conuenientiam habet cum eo qui reparandus erat, ſcilicet cum homine qui ad imaginem

Dei factus eſt vnde decuit vt imago imaginem aſſumeret, increata creatam. *Lib. 3. ſent. Diſt. 4. q. 1. art. 2.*

Faciamus hominem. Effectus à ſuis cauſis deficientes, non conueniunt cū eis in nomine & ratione: neceſſe eſt tamen aliquam inter ea ſimilitudinem inueniri, de natura enim agentis eſt, vt agens ſibi ſimile agat; cùm vnumquodque agat ſecundùm quod actu eſt. Vnde forma effectus in cauſa excedente inuenitur quidem aliqualiter, ſed ſecundùm alium modum, & aliam rationem; ratione cuius cauſa æquiuoca dicitur. Sol enim in corporibus inferioribus, calorem cauſat agendo ſecundùm quod actu eſt: Vnde oportet quòd calor à ſole generatus aliqualem ſimilitudinem obtineat, ad virtutem ſolis actiuam, per quam calor in iſtis inferioribus cauſatur, ratione cuius ſol calidus dicitur; quamuis non vnâ ratione: & ſic ſol omnibus illis ſimilis aliqualiter dicitur, in quibus ſuos effectus efficaciter inducit. A quibus tamen rurſus omnibus diſſimilis eſt, in quantùm huiuſmodi effectus non eodem modo poſſident calorem huiuſmodi quo in ſole inuenitur.

Ita etiam & Deus omnes perfectiones rebus tribuit, ac per hoc cum omnibus ſimilitudinem habet, & diſſimilitudinem ſimul. Et inde eſt quòd S. Scriptura aliquando ſimilitudinem inter Deum, & creaturam commemorat; vt cùm dicitur *faciamus hom. &c.* Aliquando verò ſimilitudo negatur, ſecundùm
Eſai. 40. v. 18. illud, *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Et, *Deus, quis ſimilis erit tibi?*
Pſ. 82. v. 2. Secundum tamen hanc ſimimilitudinem conuenientiùs dicitur Deo creatura ſimilis, quàm è conuerſo. Simile enim alicui dicitur quod eius poſſidet qualitatem, vel formā. Quia igitur id quod in Deo perfectè eſt, in rebus alijs per quandam deficientem participationem inuenitur, illud ſecundùm quod ſimilitudo attenditur, Dei quidem ſimpliciter eſt, non autem creaturæ: & ſic creatura habet quod Dei eſt, vnde & Deo rectè ſimilis dicitur. Non autem ſic poteſt dici Deum habere quod creaturæ eſt; vnde nec conuenienter dicitur, Deum creaturæ ſimilem eſſe. Sicut nec hominem dicimus ſuæ imagini fore ſimilem, cui tamen ſua imago rectè ſimilis enuntiatur. Multo igitur etiam minùs propriè dicitur quòd Deus creaturæ aſſimiletur. Nam aſſimilatio motum ad ſimilitudinem dicit, & ſic competit ei, quod ab alio accipit, vnde ſimile ei ſit: Creatura autem accipit à Deo vnde ei ſit ſimilis, non autem è conuerſo. Non igitur Deus creaturæ aſſimilatur, ſed magis è conuerſo. *Contra Gentil. lib. 1. cap. 29.*

Faciamus hominem. In quo expreſſè pluralitas & diſtinctio facientium hominem deſignatur. Homo autem per ſcripturas à ſolo Deo cōditus eſſe docetur; & ſic Dei patris & Dei filij pluralitas & diſtinctio fuit etiam ante chriſti incarnationē; non igitur ipſe pater filius dicitur propter incarnationis myſterium. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 5.*

Faciamus hominem. In diuina natura tres perſonæ ſubſiſtunt, Pater; & Filius, & Spiritus S. & hi tres ſunt vnus Deus, ſolis relationibus ab inuicem diſtincti: Pater enim à Filio paternitatis relatione, & innaſcibili-

Digitized by Google

Tres perſonę ſunt vnus Deus.

tate: Filius autem à patre relatione filiationis: Pater autem & Filius à Spiritu S. ſpiratione, vt ita dicatur: Spiritus autem S. à Patre & Filio proceſſione amoris, qua ab vtroque procedit.

Præter has tres perſonas, non eſt quartam in diuina natura ponere: perſonæ enim diuinæ cùm in eſſentia conueniant, non poſſunt diſtingui, niſi per relationem originis. Has autem relationes accipere oportet non ſecundùm proceſſionem in exteriora tendentem, ſic enim procedens non eſſet coëſſentiale ſuo principio; ſed oportet quòd proceſſio interiùs conſiſtat.

Quod autem aliquid procedat manens intra ſuum principium, inuenitur ſolùm in operatione intellectus & voluntatis: Vnde perſonæ diuinæ multiplicari non poſſunt, niſi ſecundùm quod exigit proceſſio intellectus & voluntatis in Deo. Non eſt autem poſſibile quòd in Deo ſit, niſi vna proceſſio ſecundùm intellectum; eo quòd ſuum intelligere eſt vnum, & ſimplex, & perfectum; quia intelligendo ſe, intelligit omnia alia: & ſic non poteſt eſſe in Deo, niſi vna verbi proceſſio.

Similiter autem oportet & proceſſionem amoris eſſe vnam tantùm; quia etiam diuinum velle eſt vnum tantùm; & ſimplex: Amando enim ſe, amat omnia alia; Non eſt igitur poſſibile quòd ſint in Deo, niſi duæ perſonæ procedentes vna per modum intellectus, vt Verbum, ſcilicet Filius: & alia per modum amoris, ſcilicet vt Spiritus S. Eſt etiam & vna perſona non procedens ſcilicet pater; ſolùm igitur, tres perſonæ in Trinitate eſſe poſſunt.

Huiuſmodi autem diuinæ Trinitatis ſimilitudinem in mente humana poſſumus conſiderare; ipſa enim mens ex hoc, quòd ſe actu intelligit, verbum ſuum concipit in ſeipſa; quod nihil aliud eſt, quàm ipſa intentio intelligibilis mentis: Quæ & intentio intellecta dicitur in mente exiſtens; quæ dum vlterius ſeipſam amat, ſeipſam producit in voluntate, vt amatum. Vlteriùs autem non procedit intra ſe, ſed concluditur circulo, dum per amorem redit ad ipſam ſubſtantiam, à qua proceſſio inceperat per intentionem intellectam: ſed fit proceſſio ad exteriores effectus, dum ex amore ſui procedit ad aliquid faciendum. Et ſic tria in mente inueniuntur; mens ipſa, quæ eſt proceſſionis principium in ſua natura exiſtens; & mens concepta in intellectu; & mens amata in voluntate.

Non tamen hæc tria ſunt vna natura; quia intelligere mentis non eſt eius eſſe; nec eius velle eſt eius eſſe, aut intelligere. Et propter hoc etiam mens intellecta, & mens amata, non ſunt perſonæ; cùm non ſint ſubſiſtentes. Mens etiam ipſa in ſua natura exiſtens, non eſt perſona, cùm non ſit totum quod ſubſiſtit; ſed pars ſubſiſtentis, ſcilicet hominis.

In mente igitur noſtra inuenitur ſimilitudo Trinitatis diuinæ quãtùm ad proceſſionem, quæ multiplicat Trinitatem; Cùm manifeſtum ſit eſſe in diuina natura Deũ ingenitũ, qui eſt totius diuinæ proceſſionis principium, ſcilicet patrẽ: & Deum genitum per modum verbi in intellectu concepti, ſcilicet filium: & Deum per modum amoris procedentem

dentem, ſcilicet Spiritum S. vlterius autem intra diuinam naturam nulla proceſſio inuenitur, ſed ſolùm proceſſio in exteriores effectus.

In hoc autem deficit à repræſentatione diuinæ Trinitatis, quòd Pater, & Filius, & Spiritus S. ſunt vnius naturæ; & ſingulus horum eſt perſona perfecta; eo quòd intelligere & velle ſunt ipſum eſſe diuinum. Et propter hoc ſic conſideratur diuina ſimilitudo in homine, ſicut ſimilitudo Herculis in lapide, quantùm ad repræſentationem formæ, non quantùm ad conuenientiam naturæ. Vnde & in mente hominis dicitur eſſe imago Dei, vt patet in textu.

Inuenitur etiam in alijs rebus diuinæ Trinitatis ſimilitudo, prout quælibet res in ſua ſubſtantia vna eſt, & ſpecie quadam formatur, & ordinem aliquem habet. conceptio autem intellectus in eſſe intelligibili eſt, ſicut informatio ſpeciei in eſſe naturali: Amor autem eſt ſicut inclinatio vel ordo in re naturali. Vnde & ſpecies naturalium rerum à remotis repræſentat filium; ordo autem Spiritum S. & ideo propter remotam repræſentationem, & obſcuram in irrationabilibus rebus; dicitur in eis eſſe Trinitatis veſtigium, non imago. *Contra Gentil. Lib. 4. cap. 26.*

Faciamus hominem. Videtur quòd Deus ſit corpus; corpus enim eſt quod habet trinam dimenſionem: ſed ſcriptura S. attribuit Deo trinam dimenſionem; dicitur enim
Iob. 11. *excelſior cælo eſt, & quid facies? pro-*
v. 8. *fundior inferno, & vnde cognoſces?*
Ergo.

2. Omne figuratum eſt corpus, cùm figura ſit qualitas circa quantitatem: ſed Deus videtur eſſe figuratus, vt patet in textu; figura enim
imago dicitur, ſecundùm illud, *cùm* Hebr. 1.
ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ v. 3.
eius, id eſt, imago; Ergo Deus eſt corpus.

3. Omne quod habet partes corporeas, eſt corpus: ſed ſcriptura attribuit Deo partes corporeas, dici-
tur enim *ſi habes brachium vt Deus.* Iob 40.
Et *oculi Domini ſuper iuſtos*; Et *Dex-* v. 4.
tera Domini fecit virtutem; ergo. Pſ. 33.
4. Situs non conuenit niſi corpo- v. 16.
ri: ſed ea quæ ad ſitum pertinent in Pſ. 117.
ſcripturis dicuntur de Deo: Dicitur v. 16.
enim. *Vidi Dominum ſedentem.* Et Eſai. 6.
ſtat ad iudicandum Dominus; ergo v. 1.
Deus eſt corpus. Eſai. 3.
5. Nihil poteſt eſſe terminus lo- v. 13.
calis à quo, vel ad quem, niſi ſit corpus vel aliquod corporeum: ſed Deus dicitur eſſe terminus localis vt
ad quem, ſecundùm illud, *accedite* Pſ. 33.
ad eum, & illuminamini. Et vt à quo, v. 6.
ſecundùm illud, *recedentes à te in* Hier. 17.
terra ſcribentur; ergo Deus eſt cor- v. 13.
pus.

Sed contra eſt quod dicitur, *Spi-* Ioan. 4.
ritus eſt Deus. Dicendum abſolutè v. 24.
Deum non eſſe corpus, quod tripliciter oſtendi poteſt. Primò quidem; quia nullum corpus mouet non motum, vt patet inducendo per ſingula: Deus autem eſt primum mouens immobile; ergo non eſt corpus. 2. quia neceſſe eſt id, quod eſt primum ens, eſſe in actu, & nullomodo in potentia. Licet enim in vno & eodem quod exit de potentia in actum, priùs ſit potentia, quàm actus tempore; ſimpliciter tamen actus prior eſt potentia; quia quod eſt in potentia, non reducitur in actum niſi per ens actu: Deus autem eſt primum

Deus non eſt corpus.

Digitized by Google

dentem, ſcilicet Spiritum S. vlteriùs autem intra diuinam naturam nulla proceſſio inuenitur, ſed ſolùm proceſſio in exteriores effectus.

In hoc autem deficit à repræſentatione diuinæ Trinitatis, quòd Pater, & Filius, & Spiritus S. ſunt vnius naturæ, & ſingulus horum eſt perſona perfecta; eo quòd intelligere & velle ſunt ipſum eſſe diuinum. Et propter hoc ſic conſideratur diuina ſimilitudo in homine, ſicut ſimilitudo Herculis in lapide, quantùm ad repræſentationem formæ, non quantùm ad conuenientiam naturæ. Vnde & in mente hominis dicitur eſſe imago Dei, vt patet in textu.

Inuenitur etiam in aliis rebus diuinæ Trinitatis ſimilitudo, prout quælibet res in ſua ſubſtantia vna eſt, & ſpecie quadam formatur, & ordinem aliquem habet: conceptio autem intellectus in eſſe intelligibili eſt, ſicut informatio ſpeciei in eſſe naturali: Amor autem eſt ſicut inclinatio vel ordo in re naturali. Vnde & ſpecies naturalium rerum à remotis repræſentat filium; ordo autem Spiritum S. & ideo propter remotam repræſentationem, & obſcuram in irrationabilibus rebus; dicitur in eis eſſe Trinitatis veſtigium, non imago. *Contra Gentil. Lib.* 4. *cap.* 26.

Faciamus hominem. Videtur quòd Deus ſit corpus; corpus enim eſt quod habet trinam dimenſionem: ſed ſcriptura S. attribuit Deo trinam dimenſionem; dicitur enim *excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces?* Ergo. Iob. 11. v. 8.

2. Omne figuratum eſt corpus, cùm figura ſit qualitas circa quantitatem: ſed Deus videtur eſſe figuratus, vt patet in textu; figura enim imago dicitur, ſecundùm illud, *cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius*, id eſt, imago; Ergo Deus eſt corpus. Hebr. 1. v. 3.

3. Omne quod haber partes corporeas, eſt corpus: ſed ſcriptura attribuit Deo partes corporeas, dicitur enim *ſi habes brachium vt Deus.* Et *oculi Domini ſuper iuſtos*; Et *Dextera Domini fecit virtutem*; ergo. Iob. 40. v. 4. Pſal 33. v. 16. Pſal 117. v. 16.

4. Situs non conuenit niſi corpori: ſed ea quæ ad ſitum pertinent in ſcripturis dicuntur de Deo: Dicitur enim. *Vidi Dominum ſedentem.* Et *ſtat ad iudicandum Dominus*; ergo Deus eſt corpus. Eſai. 6. v. 1. Eſai. 3. v. 13.

5. Nihil poteſt eſſe terminus localis à quo, vel ad quem, niſi ſit corpus vel aliquod corporeum: ſed Deus dicitur eſſe terminus localis vt ad quem ſecundùm illud, *accedite ad eum, & illuminamini.* Et vt à quo, ſecundùm illud, *recedentes à te in terra ſcribentur*; Ergo Deus eſt corpus. Pſal. 33. v. 6. Hier. 17. v. 13.

Sed contra eſt quod dicitur, *Spiritus eſt Deus.* Dicendum abſolutè Deum non eſſe corpus, quod tripliciter oſtendi poteſt. Primò quidem, quia nullum corpus mouet nō motum, vt patet inducendo per ſingula: Deus autem eſt primum mouens immobile; ergo non eſt corpus. Ioan. 4. v. 24.

2. quia neceſſe eſt id, quod eſt primū ens, eſſe in actu, & nullomodo in potentia. Licet enim in vno & eodē quod exit de potentia in actū, priùs ſit potentia, quàm actus tempore; ſimpliciter tamen actus prior eſt potentiâ; quia quod eſt in potentia, non reducitur in actum niſi per ens actu: Deus autem eſt primum Deus nō eſt corpus.

ens; impoſſibile eſt igitur quòd in Deo ſit aliquid in potentia: omne autem corpus eſt in potentia; quia continuum in quantum huiuſmodi, diuiſibile eſt in infinitum; impoſſibile eſt igitur Deum eſſe corpus.

3. Quia Deus eſt id quod eſt nobiliſſimum in entibus: impoſſibile eſt autem aliquod corpus eſſe nobiliſſimum in entibus; quia corpus aut eſt viuum, aut non viuum: Corpus autem viuum manifeſtum eſt quod eſt nobilius corpore non viuo: Corpus autem viuum non viuit inquantum corpus; quia ſic omne corpus viueret; oportet igitur quod viuat per aliquid aliud: ſicut corpus noſtrum viuit per animam. Illud autem per quod viuit corpus, eſt nobilius quã corpus; ergo Deus non eſt corpus.

Ad 1. Argum. R. quòd ſcriptura S. tradit nobis ſpiritualia & diuina ſub ſimilitudinibus corporalium: Vnde cùm primam dimenſionem Deo attribuit ſub ſimilitudine quantitatis corporeæ, quantitatem virtualem ipſius deſignat; vt pote per profunditatem, virtutem ad cognoſcendum occulta; per altitudinem, excellentiam virtutis ſuper omnia; per longitudinem, durationem ſui eſſe; per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia.

Ad 2. R. quòd homo dicitur eſſe ad imaginem Dei, non ſecundùm corpus; ſed ſecundùm id, quo homo excedit alia animalia, id eſt, ratione & intellectu: Vnde ſecundùm intellectum & rationem, quæ ſunt incorporea, homo eſt ad imaginem Dei.

Ad 3. R. quòd partes corporeæ attribuuntur Deo in ſcripturis, ratione ſuorum actuum, ſecundùm quandam ſimilitudinem: ſicut actus oculi eſt videre; vnde oculus de Deo dictus ſignificat virtutem eius ad videndum, modo intelligibili non ſenſibili. Et ſimile eſt de aliis partibus.

Ad 4. R. quod etiam ea quæ ad ſitum pertinent, non attribuuntur Deo, niſi ſecundùm quandam ſimilitudinem: ſicut dicitur ſedens propter ſuam immobilitatem & auctoritatem; & ſtans propter ſuam fortitudinem ad debellandum omne quod aduerſatur.

Ad 5. R. quòd ad Deum non acceditur paſſibus corporalibus, cùm vbique ſit; ſed affectibus mentis: & eodem modo ab eo receditur. Et ſic acceſſus & receſſus ſub ſimilitudine localis motus deſignant ſpiritualem affectum. 1. *p. q.* 3. *art.* 1.

Faciamus hominem. Videtur quòd nulla creatura poſſit eſſe ſimilis Deo, dicitur enim, *Non eſt ſimilis tui in dijs Domine*: ſed inter omnes creaturas excellentiores ſunt, quæ dicuntur dij participatiuè; multò ergo minùs aliæ creaturæ poſſunt dici Deo ſimiles. *Pſal.* 85. *v.* 8.

2. Similia dicuntur quæ conueniunt in forma: ſed nihil conuenit cum Deo in forma; nullius enim eſſentia rei eſt ipſum eſſe, niſi ſolius Dei; ergo nulla creatura poteſt eſſe ſimilis Deo.

3. In ſimilibus eſt mutua ſimilitudo; nam ſimile eſt ſimili ſimile: ſi igitur aliqua creatura eſt ſimilis Deo, & Deus erit ſimilis alicui creaturæ; quod eſt contra id quod dicitur, *cui ſimilem feciſtis Deum?* *Eſa.* 40. *v.* 18.

Sed contra eſt quod dicitur in textu, &, *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.* Dicendum quòd cùm ſimilitudo attendatur ſecundum conue- 1. *Ioan.* 3. *v.* 2.

Digitized by Google

nientiam vel communicationem in forma; multiplex eſt ſimilitudo ſecundùm multos modos communicandi in forma. Quædam enim dicuntur ſimilia, quæ communicant in eadem forma ſecundùm eandem rationem, & ſecundùm eundem modum: & hæc non ſolùm dicuntur ſimilia, ſed æqualia in ſua ſimilitudine; ſicut duo æqualiter alba dicuntur ſimilia in albedine: & hæc eſt perfectiſſima ſimilitudo.

Similia tripliciter dicuntur.

Alio modo dicuntur ſimilia, quæ communicant in forma ſecundùm eandem rationem, & non ſecundùm eundem modum; ſed ſecundùm magis & minus: vt album dicitur ſimile magis albo: & hæc eſt ſimilitudo imperfecta.

Tertio modo dicuntur aliqua ſimilia, quæ communicant in eadem forma; ſed non ſecundùm eandem rationem: vt patet in agentibus non vniuocis. Cùm enim omne agens agat ſibi ſimile in quantum eſt agens, agit autem vnumquodque ſecundùm ſuam formam, neceſſe eſt quòd in effectu ſit ſimilitudo formæ agentis. Si ergo agens ſit contentum in eadem ſpecie cum ſuo effectu, erit ſimilitudo inter faciens & factum in forma ſecundùm eandem rationem ſpeciei: ſicut homo generat hominem. Si autem agens non ſit contentum in eadem ſpecie, erit ſimilitudo; ſed non ſecundùm eandem rationem ſpeciei: ſicut ea quæ generantur ex virtute ſolis, accedunt quidem ad aliquam ſimilitudinem ſolis; non tamen vt recipiant formam ſolis, ſecundum ſimilitudinem ſpeciei; ſed ſecundum ſimilitudinem generis.

Si igitur ſit aliquod agens, quod non in genere continea tur, effectus eius adhuc magis accedent remotè ad ſimilitudinem formæ agentis; non tamen ita quòd participent ſimilitudinem formæ agentis ſecundùm eandem rationem ſpeciei aut generis; ſed ſecundùm aliqualem analogiam: ſicut ipſum eſſe eſt commune omnibus. Et hoc modo, illa quæ ſunt à Deo, aſſimilantur ei in quantum ſunt entia, vt primo & vniuerſali principio totius eſſe.

Ad 1. argumentum R. quòd omnia ſunt ſimilia Deo & diſſimilia: ſimilia quidem ſecundùm quod imitantur ipſum, prout contingit eum imitari qui non perfectè imitabilis eſt.

Diſſimilia verò ſecundùm quod deficiunt à ſua cauſa; non ſolùm ſecundùm intenſionem & remiſſionem, ſicut minùs album deficit à magis albo: ſed quia non eſt conuenientia, nec ſecundùm ſpeciem, nec ſecundùm genus.

Ad 2. R. quod non dicitur eſſe ſimilitudo creaturæ ad Deum propter communicantiam in forma, ſecundùm eandem rationem generis & ſpeciei; ſed ſecundùm anologiam tantùm, prout ſcilicet Deus eſt ens per eſſentiam, & alia per participationem.

Ad 3. R. quòd licet aliquo modo concedatur, quòd creatura ſit ſimilis Deo, nullo tamen modo concedendum eſt, quod Deus ſit ſimilis creaturæ: Quia in ijs quæ vnius ordinis ſunt, recipitur mutua ſimilitudo; non autem in cauſa & cauſato. Dicimus enim quòd imago ſit ſimilis homini, & non è conuerſo. Et ſimiliter dici poteſt aliquo modo, quòd creatura ſit ſimilis Deo; non tamen quòd Deus ſit ſimilis creaturæ. 1. *p.* q. 4. *art.* 3. *Et libro ſe-*

cundo ſent. ad Annibald. Diſt. 16. *per totum.*

Faciamus hominem. ſimilitudo Dei ad hominem eſt æquiuoca. 1. *p. q.* 13. *art.* 5.

Faciamus hominem. Videtur quòd inconuenienter corporis humani productio deſcribatur: ſicut enim corpus humanum eſt factum à Deo, & ita alia opera 6. dierum: ſed in alijs operibus dicitur, *fiat*, ergo ſimiliter dici debuit de hominis productione.

2. Corpus humanum à Deo immediatè eſt factum; ergo inconuenienter dicitur *faciamus hominem.*

3. Forma humani corporis eſt ipſa anima, quæ eſt ſpiraculum vitæ; inconuenienter ergo poſtquam dixerat,
Gen. 2. *v.* 7. *Formauit Deus hominem de limo terræ* ſubiunxit, *& inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.*

4. Anima quæ eſt ſpiraculum vitæ, eſt in toto corpore, & principaliter in corde; non ergo debuit dicere, quod
Gen. 2. *v.* 7. *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.*

Ad 1. argum. R. quod vtitur ſcriptura in productione hominis ſpeciali modo loquendi; ad oſtendendum quòd alia propter hominem facta ſunt. Ea enim quæ principaliter intendimus, cum maiori deliberatione & ſtudio conſueuimus facere.

Ad 2. R. hoc dictum fuiſſe ad ſignandam pluralitatem diuinarum perſonarum, quarum imago expreſſiùs inuenitur in homine.

Ad 3. R. quòd per ſpiraculum vitæ intelligitur anima; vt ſic quod dicitur, *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, ſit quaſi expoſitio eius quod præmiſerat: Nam anima eſt corporis forma.

Ad 4. R. quòd quia operationes vitæ magis manifeſtantur in facie hominis propter ſenſus ibi exiſtentes, ideo dicit, in faciem hominis inſpiratum eſſe ſpiraculum vitæ. 1. *p. q.* 91. *art.* 4.

Faciamus hominem. Videtur quòd imago Dei non ſit in homine; dicitur enim. *Cui ſimilem feciſtis Deum,* *Eſai.*
aut quam imaginem ponetis ei? 40. *v.* 18.

2. Eſſe Dei imaginem eſt proprium primogeniti, de quo dicitur; *Qui eſt imago Dei inuiſibilis primo-* *Col.* 1.
genitus omnis creaturæ; Non ergo in homine inuenitur Dei imago. *v.* 15.

Dicendum quòd vbi eſt imago, continuò eſt ſimilitudo: ſed vbi eſt ſimilitudo, non continuò eſt imago. Ex quo patet quòd ſimilitudo eſt de ratione imaginis, & imago aliquid addit ſupra rationem ſimilitudinis, ſcilicet quòd ſit ex alio expreſſum. Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius. Vnde ouum quantumcumque ſit alteri ouo ſimile, & æquale, quia tamen non eſt expreſſum ex illo; non dicitur ad imaginem eius. Æqualitas autem non eſt de ratione imaginis, quia vbi eſt imago, non continuò eſt æqualitas; vt patet in imagine alicuius in ſpeculo relucente. Eſt tamen de ratione perfectæ imaginis: nam in perfecta imagine, non deeſt aliquid imagini, quod inſit illi de quo expreſſa eſt. Imago propriè quę ſit.

Manifeſtum eſt autem quòd in homine inuenitur aliqua Dei ſimilitudo, quæ deducitur à Deo, ſicut ab exemplari: Non tamen eſt ſimilitudo ſecundùm æqualitatem; quia in infinitum excedit exemplar hoc, tale exemplatum. Et ideo in homine dicitur eſſe imago Dei, ſed imperfecta. Et hoc ſignificat ſcri-

Digitized by Google

ptura, cùm dicit hominem factum ad imaginem Dei.

Præpoſitio enim *Ad*, acceſſum quendam ſignificat, qui competit rei diſtanti.

Ad 1. argumentum R. quòd Propheta loquitur de corporalibus imaginibus ab homine fabricatis. Et ideo ſignanter dicit, *quam imaginem ponetis ei*? Sed Deus ipſe ſibi in homine poſuit ſpiritualem imaginem.

Ad 2. R. quòd primogenitus omnis creaturæ, eſt imago Dei perfecta, perfectè implens illud cuius imago eſt. Et ideo dicitur imago, & numquam ad imaginem. Homo verò & propter ſimilitudinem dicitur imago; & propter imperfectionem ſimilitudinis dicitur ad imaginem. Et quia ſimilitudo perfecta Dei, non poteſt eſſe niſi in identitate naturæ, imago Dei eſt in filio ſuo primogenito; ſicut imago regis in filio ſibi connaturali: in homine autem ſicut in aliena natura, ſicut imago regis in numo argenteo. 1. p. q. 93. art 1.

Faciamus hominem. Videtur quòd imago Dei non inueniatur in quolibet homine, dicitur enim. Quòd
1. Cor. 11. v. *vir eſt imago Dei, mulier autem eſt imago viri*; Cùm ergo mulier ſit indiuiduum humanæ ſpeciei, non cui libet indiuiduo conuenit eſſe imaginem Dei.

Rom. 8. v. 29. 2. Dicitur quòd illos *quos Deus præſciuit conformes fieri* imagini filij ſui, hos prædeſtinauit: ſed non omnes homines prædeſtinati ſunt; ergo.

3. Similitudo eſt de ratione imaginis: ſed per peccatum fit homo Deo diſſimilis, ergo amittit Dei imaginem.

Dicendum quòd cùm homo ſecundùm intellectualem naturam ad imaginem Dei eſſe dicatur; ſecundùm hoc eſt maxime ad imaginem Dei, ſecundùm quod intellectualis natura Deum maximè imitari poteſt. Imitatur autem intellectualis natura maximè Deum quantùm ad hoc, quòd Deus ſeipſum intelligit & amat. Vnde imago Dei tripliciter poteſt conſiderari in homine: Vno quidem modo ſecundùm quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum & amandum Deum. Et hæc aptitudo conſiſtit in ipſa natura mentis, quæ eſt communis omnibus hominibus. Alio modo ſecundùm quod homo actu vel habitu Deum cognoſcit & amat, ſed tamen imperfectè. Et hæc eſt imago per conformitatem gratiæ. Tertio modo ſecundùm quod homo Deum actu cognoſcit & amat perfectè. Et ſic attenditur imago ſecundùm ſimilitudinem gloriæ. Prima ergo imago inuenitur in omnibus hominibus, ſecunda in iuſtis tantùm, Tertia verò ſolùm in beatis. Imago Dei tripliciter in homine.

Ad 1 argum. R. quòd tam in viro quàm in muliere, inuenitur Dei imago quantùm ad id in quo principaliter ratio imaginis conſiſtit; ſcilicet quantùm ad intellectualem naturam. Vnde cùm dixiſſet *Ad imaginem Dei creauit illum*, ſcilicet hominem, ſubdidit, *maſculum & fœminam creauit eos*. Et dixit pluraliter *eos*, ne intelligatur in vno indiuiduo vterque ſexus fuiſſe coniunctus. Sed quantùm ad aliquid ſecundarium, imago Dei inuenitur in viro ſecundum quod non inuenitur in muliere. Nam vir eſt principium mulieris & finis, ſicut Deus eſt prin- Gen. 1. v. 27.

Digitized by Google

cipium & finis totius creaturæ. Vnde cùm Apoſtolus dixiſſet, quod vir imago & gloria eſt Dei, mulier autem eſt gloria viri; oſtendit quare hoc dixerit, ſubdens, *non enim vir eſt ex muliere, ſed mulier ex viro; & vir non eſt creatus propter mulierem, ſed mulier propter virum.* (1 Cor. 11. v. 8.)

Ad 2. & 3. R. quòd illæ rationes procedunt de imagine quæ eſt ſecundùm conformitatem gratiæ & gloriæ. 1. *p.* *q.* 93. *art.* 4.

Imago Dei in homine.

Faciamus hominem. Videtur quòd in homine non ſit imago Dei quantùm ad Trinitatem diuinarum perſonarum: imago enim ducit ad cognitionem eius cuius eſt imago: ſi igitur in homine eſt imago Dei ſecundùm Trinitatem perſonarum, cùm homo per naturalem rationem ſeipſum cognoſcere poſſit; ſequeretur quòd per naturalem cognitionem poſſet homo cognoſcere Trinitatem perſonarum diuinarum, quod eſt falſum.

Præt. Nomen imaginis non cuilibet trium perſonarum conuenit, ſed ſoli filio; ſi igitur in homine attenderetur Dei imago ſecundùm perſonam, non eſſet in homine imago totius Trinitatis, ſed filij tantùm.

Dicendum quòd diſtinctio diuinarum perſonarum non eſt niſi ſecundùm originem, vel potiùs ſecundùm relationes originis. Non autem eſt idem modus originis in omnibus: ſed modus originis vniuſcuiuſque eſt ſecundùm conuenientiam ſuæ naturæ. Aliter enim producuntur animata, aliter inanimata; aliter animalia, atque aliter plantæ. Vnde manifeſtum eſt quòd diſtinctio diuinarum perſonarum eſt ſecundùm quod diuinæ naturæ conuenit. Vnde eſſe ad imaginem Dei ſecundùm imitationem diuinæ naturæ, non excludit hoc quod eſt eſſe ad imaginem Dei ſecundùm repræſentationem trium perſonarum: ſed magis vnum ad alterum ſequitur. Sic igitur dicendum eſt in homine eſſe imaginem Dei; & quantùm ad naturam diuinam, & quantum ad Trinitatem perſonarum. Nam & in ipſo Deo in tribus perſonis vna exiſtit natura.

Ad 1. argum. R. quòd ratio illa procederet; ſi imago Dei eſſet in homine perfectè repræſentans Deū.

Ad 2. R. quòd ſi homo eſſet factus ſolùm ad imaginem filij, non diceret pater, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, ſed tuam. Cùm ergo dicitur, *Ad imaginem Dei fecit illum*, non eſt intelligendum quod pater fecit hominem ſolùm ad imaginem filij qui eſt Deus; ſed intelligendum eſt quòd Trinitas Deus fecit hominem ad imaginem ſuam, id eſt, totius Trinitatis.

Cùm autem dicitur quod Deus fecit hominem ad imaginem ſuam, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo quòd hæc præpoſitio, *Ad*, deſignet terminum factionis, vt ſit ſenſus, faciamus hominem taliter, vt ſit in eo imago noſtra. Alio modo hæc præpoſitio, *Ad*, poteſt deſignare cauſam exemplarem; ſicut cùm dicitur, iſte liber eſt factus ad illum. Et ſic imago Dei eſt ipſa eſſentia diuina, quæ abuſiuè imago dicitur; ſecundùm quod imago ponitur pro exemplari: vel ſecundùm quod quidam dicunt, Diuina eſſentia dicitur imago; quia ſecundùm eam vna perſona aliam imitatur. 1. *p.* *q.* 93. *art.* 5.

Faciamus hominem. Videtur quòd

Digitized by Google

imago Dei non ſit in homine ſolùm ſecundùm mentem, dicitur enim quod *vir eſt imago Dei*: ſed vir non eſt ſolùm mens; ergo imago Dei non attenditur ſolùm ſecundùm mentem.

1. Cor. 11. v. 7.

2. Dicitur, *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit eos*: ſed diſtinctio maſculi & fœminæ eſt ſecundùm corpus; ergo ſecundùm corpus attenditur Dei imago in homine, & non ſecundùm mentem tantùm.

Gen. 1. v. 27.

3. Imago præcipuè videtur attendi ſecundùm figuram: ſed figura ad corpus pertinet; ergo.

4. Secundùm Auguſt. triplex viſio inuenitur in nobis, ſcilicet corporalis, ſpiritualis, ſiue imaginaria, & intellectualis. Si ergo ſecundùm viſionem intellectualem, quæ ad mentem pertinet, eſt aliqua Trinitas in nobis ſecundùm quam ſumus ad imaginem Dei; pari ratione & in alijs viſionibus.

Sed contra eſt quod dicitur, *Renouamini ſpiritu mentis veſtra, & induite nouum hominem.* Ex quo datur intelligi quòd renouatio noſtra, quæ fit ſecundùm noui hominis indumentum, ad mentem pertinet. Sed dicitur, *Induentes nouum hominem qui renouatur in agnitionem Dei ſecundùm imaginem eius qui creauit eum.* Vnde renouationem quæ eſt ſecundùm noui hominis indumentum, attribuit imagini Dei; eſſe ergo ad imaginem Dei pertinet ſolùm ad mentem.

Ephſ. 4. v. 23.

Col 3. v. 10.

Dicendum quòd cùm in omnibus creaturis ſit aliqualis Dei ſimilitudo, in ſola creatura rationali inuenitur ſimilitudo Dei per modum imaginis; in alijs autem creaturis per modum veſtigij. Id autem in quo creatura rationalis excedit alias creaturas, eſt intellectus ſiue mens. Vnde relinquitur quod nec in ipſa rationali creatura inuenitur Dei imago, niſi ſecundùm mentem. In alijs vero partibus ſi quas habet rationalis creatura, inuenitur ſimilitudo veſtigij, ſicut & in cæteris rebus quibus ſecundùm partes huiuſmodi aſſimilatur. Cuius ratio maniſeſtè cognoſci poteſt, ſi attendatur modus quo repræſentat veſtigium, & quo repræſentat imago. Imago enim repræſentat ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei; veſtigium autem repræſentat per modum effectus: Qui ſic repræſentat ſuam cauſam, quòd tamen ad ſpeciei ſimilitudinem non pertingit. Impreſſiones enim quæ ex motu animalium relinquuntur, dicuntur veſtigia: & ſimiliter cinis dicitur veſtigium ignis: & deſolatio terræ, veſtigium hoſtilis exercitus.

Quomodo differunt imago & veſtigium.

Poteſt ergo huiuſmodi differentia attendi inter creaturas rationales & alias creaturas: & quantùm ad hoc quòd in creaturis rationalibus repreſentatur ſimilitudo diuinæ naturæ, & quantùm ad hoc quòd in eis repræſentatur ſimilitudo Trinitatis increatæ. Nam quantùm ad ſimilitudinem diuinæ naturæ pertinet, creaturæ rationales videntur quodammodo ad repræſentationem ſpeciei pertingere, in quantum imitantur Deum; non ſolùm in hoc quod eſt & viuit, ſed etiam in hoc quòd intelligit. Aliæ verò creaturæ non intelligunt, ſed apparet in eis quoddam veſtigium intellectus producentis, ſi earum diſpoſitio conſideretur.

Similiter cùm increata Trinitas

diſtinguatur ſecundùm proceſſionem verbi à dicente, & amoris ab vtroque; in creatura rationali, in qua inuenitur proceſſio verbi ſecundùm intellectum, & proceſſio amoris ſecundùm voluntatem; poteſt dici imago Trinitatis increatæ per quandam repræſentationem ſpeciei. In alijs autem creaturis non inuenitur principium verbi, & verbum, & amor: ſed apparet in eis quoddam veſtigium, quòd hæc inueniantur in cauſa producente. Nam hoc ipſum quòd creatura habet ſubſtantiam modificatam & finitã, demonſtrat quòd ſit à quodam principio: ſpecies verò eius, demõſtrat verbum facientis, ſicut forma domus demonſtrat conceptionem artificis. Ordo verò demonſtrat amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum; ſicut vſus ædificij demonſtrat artificis voluntatem. Sic igitur in homine inuenitur Dei ſimilitudo per modum imaginis ſecundùm mentem: ſed ſecundùm alias partes eius, per modum veſtigij.

Ad 1. argum. R. quòd homo dicitur imago Dei, non quia ipſe eſſentialiter ſit imago: ſed quia in eo eſt Dei imago impreſſa ſecundùm mentem. Sicut denarius dicitur imago Cæſaris, in quantùm habet Cæſaris imaginem. Vnde non oportet quòd ſecundùm quamlibet partem hominis accipiatur Dei imago.

Ad 2. R. quòd ſcriptura poſtquam dixit, *Ad imaginem Dei creauit illum* addidit, *maſculum & fæminam creauit eos*; Non vt imago Dei ſecundùm diſtinctiones ſexuum attendatur: ſed quia imago Dei vtrique ſexui eſt communis; cum ſit ſecundùm mentem, in qua non eſt diſtinctio ſexuum. Vnde Apoſtolus poſtquam dixerat, *ſecundùm imaginem eius qui creauit illum*; ſubdit, *vbi non eſt maſculus & fæmina.* Col. 3. v. 10. Gal. 3. v. 28.

Ad 3. R. quòd quamuis imago Dei in homine, non accipiatur ſecundum figuram corpoream, tamen quia corpus hominis ſolum inter terrenorum animalium corpora non pronum in aluum proſtratum eſt: ſed tale eſt vt ad contemplandum cœlum ſit aptius, in hoc magis ad imaginem & ſimilitudinem Dei quàm cætera corpora animalium factum iure videri poteſt. Quod tamen non ſic eſt intelligendum, quaſi in corpore hominis ſit imago Dei: ſed quia ipſa figura humani corporis repræſentat imaginem Dei in anima per modum veſtigij.

Ad 4. R. quòd tam in viſione corporali, quàm imaginaria inuenitur quædam imago Trinitatis: in viſione enim corporali eſt quidẽ primò ſpecies exterioris corporis, 2. verò ipſa viſio, quæ fit per impreſſionem cuiuſdam ſimilitudinis prædictæ ſpeciei in viſum; 3. eſt ibi intentio voluntatis applicans viſum ad videndum, & eum in re viſa detinens

Similiter etiam in viſione imaginaria, inuenitur primò ſpecies in memoria reſeruata; 2. ipſa imaginaria viſio quæ prouenit ex hoc, quòd acies animæ, id eſt, ipſa vis imaginaria informatur ſecundum prædictam ſpeciem; 3. verò inuenitur intentio voluntatis coniungens vtrumque.

Sed vtraque Trinitas deficit à ratione diuinæ imaginis: Nam ipſa ſpecies exterioris corporis eſt extra naturam animæ: ſpecies autem quæ

eſt

Digitized by Google

eſt in memoria, & ſi non ſit extra animam, eſt tamen aduentitia animæ. Et ita vtrobique deficit repræſentatio connaturalitatis & coëternitatis diuinarum perſonarum. Viſio verò corporalis non procedit tantùm à ſpecie exterioris corporis, ſed ſimul cum hoc à ſenſu videntis. Et ſimiliter viſio imaginaria non ſolùm procedit à ſpecie quæ in memoria conſeruatur, ſed etiam à virtute imaginatiua. Et ita per hoc non repræſentatur conuenienter proceſſio filij à ſolo Patre. Intentio vero voluntatis quæ conjungit duo prædicta, non ex eis procedit, neque in viſione corporea, neque in ſpirituali: Vnde non conuenienter repræſentatur proceſſio Spiritus ſancti à Patre & Filio. 1. *p. q.* 93. *art.* 6.

Imago Dei inuenitur in homine ſecundùm actus.

Faciamus hominem. Videtur quòd imago Dei non inueniatur in anima ſecundùm actus: Nam imago Trinitatis ſemper manet in animâ: ſed actus non ſemper manet; ergo.

Dicendum quòd primò & principaliter attenditur imago Trinitatis in mente ſecundum actus, prout ſcilicet ex notitia quam habemus cogitando interius, verbum formamus, & ex hoc in amorem prorumpimus. Sed quia principia actuum ſunt habitus & potentiæ, vnumquodque autem virtualiter eſt in ſuo principio, ſecundariò & quaſi ex conſequenti; imago Trinitatis poteſt attendi in anima ſecundùm potentias, & præcipuè ſecundùm habitus, prout in eis ſcilicet actus virtualiter exiſtunt. Et ſic patet ſolutio ad argumentum. 1. *p. q.* 93. *art.* 7.

Faciamus hominem. Anima rationalis eſt ad imaginem Dei & diuinæ Trinitatis, ſecundùm quod fertur, vel nata eſt ferri in Deum notitiâ & amore. 1. *p. q.* 93. *art.* 8.

Faciamus hominem. Similitudo non diſtinguitur ab imagine ſecundùm communem rationem ſimilitudinis; ſic enim includitur in ratione ipſius imaginis: ſed ſecundùm quod aliqua ſimilitudo deficit à ratione imaginis, vel etiam eſt imaginis perfectiua. 1. *p. q.* 93. *art.* 9.

Faciamus hominem. Videtur quòd credere Trinitatem explicitè non fuerit de neceſſitate ſalutis, dicitur enim *credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt*: ſed hoc poteſt credi abſque fide Trinitatis; ergo. *Hebr.* 11. *v.* 6.

2. Illud tenemur explicitè credere in Deo quod eſt beatitudinis obiectum: ſed obiectum beatitudinis eſt bonitas ſumma, quæ poteſt intelligi in Deo, etiam ſine perſonarum diſtinctione; ergo.

Trinitatis myſterium credere neceſſe eſt.

Sed contra, in principio Gen. dicitur ad expreſſionem Trinitatis, *faciamus hom. &c.* Ergo à principio de neceſſitate ſalutis fuit, credere Trinitatem explicitè.

Dicendum quòd myſterium incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt ſine fide Trinitatis; quia in illo myſterio hoc continetur, quòd filius Dei carnem aſſumpſerit, quòd per gratiam ſpiritus ſancti mundum renouauerit: & iterum quòd de ſpiritu S. conceptus fuerit. Et ideo eodem modo quo myſterium incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicitè creditum, à maioribus, implicitè autem & quaſi obumbratè à minoribus; ita etiam & myſterium Trinitatis. Et ideo etiam poſt tempus gratiæ diuinæ tenentur omnes ad explicitè

credendum myſterium Trinitatis: & omnes qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per inuocationem Trinitatis, ſecundum illud, Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

Ad argumentum 1. R. quòd illa duo explicitè credere de Deo omni tempore, & quo ad omnes neceſſarium fuit: non tamen eſt ſufficiens omni tempore, & quoad omnes

Ad 2. argum. R. quòd ſumma bonitas Dei ſecundùm modum, quo nunc intelligitur per effectus; poteſt intelligi abſque Trinitate perſonarum. Sed ſecundùm quod intelligitur in ſeipſo, prout videtur à beatis; non poteſt intelligi ſine Trinitate perſonarum. Et iterum ipſa viſio perſonarum diuinarum perducit nos in beatitudinem. 1. 2. *q.* 2. *art.* 8.

Faciamus hominem ad imaginem. Videtur quod ſuperbia primi hominis non fuerit in hoc quod appetierit diuinam ſimilitudinem: nullus enim peccat appetendo id quod ſibi competit ſecundùm ſuam naturam: ſed ſimilitudo Dei competit homini ſecundùm ſuam naturam; vt patet in textu; ergo non peccauit diuinam ſimilitudinem appetendo.

2. Homo videtur primus in hoc diuinam ſimilitudinem appetiiſſe, vt ſcientiâ boni & mali potiretur, hoc enim ei à ſerpente ſuggerebatur, Gen. 3. v. 5. *Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*: Sed appetitus ſcientiæ eſt homini naturalis; ergo non peccauit appetendo diuinam ſimilitudinem.

3. Nullus ſapiens eligit id quod eſt impoſſibile: primus autem homo ſapientiâ præditus erat, ſecundùm illud, Eccl. 17. v. 5. *Diſciplina intellectus repleuit illos.* Cùm ergo omne peccatum conſiſtat in appetitu deliberato, qui eſt electio; videtur quòd primus homo non peccauerit appetendo aliquid impoſſibile: ſed impoſſibile eſt eſſe hominem ſimilem Deo, ſecundùm illud, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Ex. 15. v. 11. ergo homo non peccauit appetendo diuinam ſimilitudinem.

Dicendum quòd duplex eſt ſimilitudo, vna omnimodæ æquiparentiæ: & hanc ſimilitudinem primi parentes non appetierunt; quia talis ſimilitudo ad Deum non cadit in apprehenſione præcipuè ſapientis. Alia autem eſt ſimilitudo imitationis, qualis poſſibilis eſt creaturæ ad Deum, in quantum videlicet participat aliquid de ſimilitudine ipſius ſecundùm ſuum modum. Quodlibet autem bonum in creatura exiſtens, eſt quædam participata ſimilitudo primi boni: & ideo ex hoc ipſo quòd homo appetijt aliquod ſpirituale bonum ſupra ſuam menſuram; conſequens eſt quod appetierit diuinam ſimilitudinem inordinatè.

Similitudo Dei duplex.

Conſiderandum tamen eſt quod apppetitus eſt propriè rei non habitæ: Bonum autem ſpirituale ſecundùm quod creatura rationalis diuinam participat ſimilitudinem, poteſt ſecundùm tria attendi. Primò quidem ſecundùm ipſum eſſe naturæ: & talis ſimilitudo ab ipſo creationis principio fuit impreſſa & homini, de quo dicitur, quod *Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*: Gen. 1. v. 27. Et Angelo de quo dicitur, *Tu ſignaculum ſimilitudinis.* Ezech. 28. v. 12. Secundò verò quantum ad cognitionem: & hanc etiam ſimilitudinem in ſui creatione Angelus ac-

cepit; vnde in præmiſſis verbis cùm dictum eſſet; *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, ſtatim ſubditur, *plenus ſapientiâ*.

Sed primus homo in ſua creatione iſtam ſimilitudinem nondum actu adeptus erat, ſed ſolùm in potentia. Tertiò quantùm ad poteſtatem operãdi: & hanc ſimilitudinem nondum erant in actu aſſecuti, neque Angelus, neque homo in ipſo creationis principio; quia vterque reſtabat aliquid agendum quo ad beatitudinem peruenirent. Et ideo cùm vterque ſcilicet diabolus & primus homo inordinatè diuinam ſimilitudinem appetierit, neuter eorum peccauit appetendo ſimilitudinem naturæ.

Sed primus homo peccauit principaliter appetendo ſimilitudinem Dei quantùm ad ſcientiam boni & mali, ſicut ſerpens ei ſuggeſſit; vt ſcilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret ſibi quid eſſet bonum, & quid malum ad agendum: vel etiam vt per ſeipſum præcognoſceret quid ſibi boni vel mali eſſet futurum. Et ſecundariò peccauit appetendo ſimilitudinem Dei quantùm ad propriam poteſtatem operandi, vt ſcilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem conſequendam. Sed diabolus peccauit appetendo ſimilitudinem Dei quãtum ad poteſtatem. Veruntamen quantum ad aliquid, vterque Deo æquiparari appetiit, in quantum ſcilicet vterque ſibi inniti voluit contempto diuinæ regulæ ordine.

Ad 1. R. quod ratio illa procedit de ſimilitudine naturæ, ex cuius appetitu homo non peccauit, vt dictum eſt;

Ad 2. R. quòd appetere ſimilitudinem Dei abſolutè quantum ad ſcientiam non eſt peccatum: ſed appetere huiuſmodi ſimilitudinem inordinatè, id eſt, ſupra menſuram ſuam, peccatum eſt.

Ad 3. R. quòd ratio illa procedit de ſimilitudine æquiparentiæ. 2. 2. *q. 163. art. 2.*

Faciamus hominẽ. Deus eodem modo ſe habet ad omnia, quamuis non omnia eodem modo ſe habeant ad ipſum: ſed de alijs operibus Dei dictum eſt, *Dixit Deus fiat lux*: & iterum *fecit Deus*; ergo inconuenienter ſpeciali modo loquendi dicitur de homine, *Faciamus hominem. & creauit Deus hominem.*

R. quòd ad deſignandum nobilitatem hominis, præ cæteris corporalibus creaturis; vtitur ſpeciali modo loquendi. Quia enim in homine ſingulariter eſt Dei imago impreſſa, conſequenter in eius conſtitutione fit mentio de pluralitate perſonarum, cùm dicitur, *Faciamus* Quia verò corpus humanum ad nobiliſſimam formam producitur, conuenienter præ cæteris materialibus formis per creationem educitur; vt pote in naturæ ſeminibus non præexiſtens; decuit in eius conſtitutione, de creatione fieri mentionem. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 15. q. 1. art. 3.*

GENESIS Cap. I. v. 26.

Et præſit piſcibus maris. &c.

Dicitur vir imago Dei, & mulier imago viri. Et ita non in omnibus habentibus imaginem, imago æqualiter inuenitur. *1. Cor. 11. v. 7.*

Dicendum quòd de imagine poſſumus loqui dupliciter, aut quantum ad id in quo propriè conſiſtit imaginis ratio; aut quantum ad id

Digitized by Google

Imago propriè eſt intellectualis naturæ.

ad quod ſecundariò aſſignatur ſimilitudo imaginis. Propriè enim & principaliter imago intellectualem naturam conſequitur: Vnde oportet quòd vbi intellectualis natura perfectiùs inuenitur, etiam ibi ſit imago expreſſior. Et ſic cùm natura intellectualis multò ſit dignior in Angelis quàm in homine; eo quod propter obumbrationem intellectualis luminis, homo rationalis dicitur, cùm ratio ſit quidam intellectus obumbratus; oportet quòd in Angelis ſit expreſſior Dei imago quàm in anima, & in Angelis ſuperioribus quàm in inferioribus, & in viro quàm in muliere; quamuis iſta diuerſitas ſit minor quàm prima; quia non ſequitur diuerſitatem naturæ ſecundùm ſpeciem.

Aſſignatur etiam imago Dei in homine, ſed non ita propriè quantum ad aliquas proprietates conſequentes: ſicut quòd homo dominatur inferioribus creaturis, ſicut etiam Deus in toto vniuerſo, & eſt quodammodo finis earum. Et hoc innuitur, vbi poſt id quod dictum eſt, *Faciamus hominem ad imaginem &c.* ſubiungitur, *vt præſit piſcibus &c.* Et ſimiliter ſicut Deus eſt totus in qualibet parte vniuerſi, ita anima in qualibet parte corporis. Et ſecundum hoc & huiuſmodi alia nihil prohibet, hominem magis ad imaginem Dei eſſe quàm Angelum: ſed hoc eſt ſecundum quid, & non ſimpliciter; quia iudicium ſimilitudinis vel diuerſitatis, quod ſumitur ab eſſentialibus rei, eſt multò firmius. *Lib. 2. ſent. Diſt. 16. q. 1. art. 3.*

Et præſit piſcibus maris. Inter ſubſtantias intellectuales, humanæ animæ infimum gradum habent; quia in ſui inſtitutione cognitionem ordinis prouidentiæ diuinæ in ſola quadam vniuerſali cognitione ſuſcipiunt: Ad perfectam verò ordinis ſingularium cognitionem oportet, quod ex ipſis rebus in quibus ordo diuinæ prouidentiæ iam particulariter inſtitutus eſt, perducantur. Vnde oportuit quòd haberent organa corporea, per quæ à rebus corporalibus cognitionem haurirent: ex quibus tamen propter debilitatem intellectualis luminis, perfectam notitiam eorum, quæ ad hominem ſpectant, adipiſci non valent, niſi per lumen ſuperioris Spiritus adiuuentur; hoc exigente diuinâ diſpoſitione, vt inferiores per ſuperiores ſpiritus perfectionem acquirant.

Quia tamen aliquid homo de lumine intellectuali participat, ei ſecundùm prouidentiæ diuinæ ordinem ſubduntur animalia bruta, quæ intellectu nullomodo participant. Vnde dicitur, *Faciamus hominem ad imag. & ſimil. noſtram*; ſcilicet ſecundùm quod intellectum habet, *Et præſit piſcibus maris &c.*

Animalia verò bruta & ſi intellectu careant, quia tamen cognitionem aliquam habent; plantis & alijs quæ cognitione carent, ſecundùm diuinæ prouidentiæ ordinem præferuntur. Vnde dicitur, *Ecce dedi vobis omnem herbam &c.* vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ. Gen. 1. v. 29.

Inter ea verò quæ penitus cognitione carent, vnum ſubiacet alteri ſecundùm quod vnum eſt altero potentius in agendo; non enim participant aliquid de diſpoſitione prouidentiæ, ſed ſolùm de executione. Quia verò homo habet intellectum, & ſenſum, & corpora-

Digitized by Google

lem virtutem; hæc in ipſo adinuicem ordinantur ſecundùm diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem ad ſimilitudinem ordinis, qui in vniuerſo inuenitur: Nam virtus corporea ſubditur ſenſitiuæ, & intellectiuæ virtuti, velut exequens eiuum imperium: ipſa verò ſenſitiua potentia intellectiuæ ſubditur, & ſub eius imperio continetur.

Ex eadem ratione & inter ipſos homines ordo inuenitur; nam illi qui intellectu præeminent, naturaliter dominantur: illi verò qui ſunt intellectu deficientes, corpore verò robuſti; à natura videntur inſtitui ad ſeruiendum. Vnde dicitur, *qui ſtultus eſt ſeruiet ſapienti.* Et, *prouide de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, qui iudicent populum omni tempore.*

Prou. 11 v. 29

Exod. 18. v. 21.

Sicut autem in operibus vnius hominis ex hoc inordinatio prouenit, quòd intellectus ſenſualem virtutem ſequitur; ſenſualis verò virtus propter corporis indiſpoſitionem trahitur ad corporis motum, vt in claudicantibus apparet: ita & in regimine humano inordinatio prouenit ex eo quod non propter intellectus præeminentiam aliquis præeſt; ſed vel robore corporali dominium ſibi vſurpat; vel propter ſenſualem affectionem aliquis ad regendum præficitur, quam quidem inordinationem nec Salomon tacet qui dicit, *Eſt malum quod vidi ſub ſole quaſi per errorem egrediens à facie principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi.*

Eccleſ. 10. v. 5.

Huiuſmodi autem inordinatio diuinam prouidentiam non excludit, prouenit enim ex permiſſione diuina propter defectum inferiorum agentium; neque per huiuſmodi inordinationem totaliter naturalis ordo peruertitur. Nam ſtultorum dominium infirmum eſt, niſi ſapientum conſilio roboretur. Vnde dicitur, *cogitationes conſiliis roborabuntur*. Et quia conſilians regit eum qui conſilium accipit, & quodammodo ei dominatur; dicitur, quòd *ſeruus ſapiens dominabitur filijs ſtultis.* Patet ergo quòd diuina prouidentia omnibus rebus ordinem imponit; vt ſic verum ſit quod dicitur, *quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Contra Gentiles lib. 3. cap 81.*

Prou. 20. v. 18.

Rom. 13. v. 1.

Præſit piſcibus maris. Videtur quòd Adam in ſtatu innocentiæ animalibus non dominabatur; dicit enim Auguſt. quòd miniſterio Angelorum animalia ſunt adducta ad Adam, vt eis nomina imponeret: non autem fuiſſet ibi neceſſarium Angelorum miniſterium, ſi homo per ſeipſum animalibus dominabatur; ergo.

2. Ea quæ ab inuicem diſcordant, non rectè ſub vno dominio congregantur: ſed multa animalia naturaliter ab inuicem diſcordant, ſicut ouis & lupus; ergo omnia animalia ſub hominis dominio non continebantur.

3. Homo non indigebat animalibus ante peccatum; ergo non erant ſub dominio illius.

4. Proprium Domini eſſe videtur præcipere; ſed præceptum non rectè fertur niſi ad habentem rationem; ergo homo non habet dominium ſuper animalia.

Sed contra eſt quod dicitur, *præſit piſcibus maris &c.* Dicendum quòd inobedientia ad hominem, eorum quæ ei debent eſſe ſubiecta, ſubſecuta eſt in pœnam eius; eo quòd ipſe fuit inobediens Deo. Et

id eo in ſtatu innocentiæ ante inobedientiam prædictam, nihil ei repugnabat quod naturaliter deberet ei eſſe ſubiectum. Omnia autem animalia ſunt homini naturaliter ſubiecta; quod apparet ex tribus.

Animalia homini naturaliter ſubiecta.

Primò ex ipſo naturæ proceſſu; ſicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum, nam materia eſt propter formam, & forma imperfectior propter perfectiorem: ita etiam eſt in vſu rerum naturalium; nam imperfectiora cedunt in vſum perfectorum. Plantæ enim vtuntur terrâ ad ſui nutrimentum; animalia verò plantis; & homines plantis & animalibus: Vnde naturaliter homo dominatur animalibus.

Secundò apparet ex ordine diuinæ prouidentiæ, quæ ſemper inferiora per ſuperiora gubernat. Vnde cùm homo ſit ſupra cætera animalia, vt pote ad imaginem Dei factus, conuenienter eius gubernationi alia animalia ſubduntur.

Tertio apparet idem ex proprietate hominis & aliorum animalium: in alijs enim animalibus inuenitur ſecundùm æſtimationem naturalem quædam participatio prudentiæ ad aliquos particulares actus: in homine autem vniuerſalis prudentia, quæ eſt ratio omnium agibilium. Omne autem quod eſt per participationem, ſubditur ei quod eſt per eſſentiam, & vniuerſaliter. Vnde patet quòd naturalis eſt ſubiectio aliorum animalium ad hominem.

Ad 1. argum. R. quòd in ſubiectos multa poteſt facere ſuperior poteſtas, quæ non poteſt facere inferior: Angelus autem eſt naturaliter ſuperior homine. Vnde aliquis effectus poterat fieri circa animalia virtute angelicâ, qui non poterat fieri poteſtate humanâ; ſcilicet quòd ſtatim omnia animalia congregarentur.

Ad 2. R. quòd quidam dicunt quòd animalia quæ nunc ſunt ferocia, & occidunt alia animalia; in ſtatu illo fuiſſent manſueta, non ſolùm circa hominem, ſed etiam circa alia animalia. Sed hoc eſt omnino irrationabile; Non enim per peccatum hominis natura animalium eſt mutata, vt quibus nunc naturale eſt comedere aliorum animalium carnes, tunc vixiſſent de herbis, ſicut leones & falcones. Fuiſſet ergo naturalis diſcordia inter quædam animalia: nec tamen propter hoc ſubtraherentur dominio hominis; ſicut nec nunc propter hoc ſubtrahuntur dominio Dei, cujus prouidentiâ hîc totum diſpenſatur, Et huius prouidentiæ homo executor fuiſſet; vt etiam nunc apparet in animalibus domeſticis: miniſtrantur enim falconibus domeſticis per homines gallinæ in cibum.

Ad 3. R. quòd homines in ſtatu innocentiæ non indigebant animalibus ad neceſſitatem corporalem; neque ad tegumentum, quia nudi erant, & non erubeſcebant nullo inſtãte inordinatæ concupiſcẽtiæ motu; neque ad cibũ, quia lignis paradiſi veſcebantur; neque ad vehiculum, propter corporis robur. Indigebant tamen eis ad experimentalem cognitionem ſumendam de naturis eorum. Quod ſignificatum eſt per hoc quod Deus ad eum animalia adduxit, vt eis nomina impo-

neret, quæ eorum naturas deſignant.

Ad 4. R. quòd omnia animalia habent quandam participationem prudentiæ & rationis ſecundùm æſtimationem naturalem: ex qua contingit quòd grues ſequuntur ducem, & apes obediunt regi. Et ſic tunc omnia animalia per ſeipſa homini obediuiſſent, ſicut nunc quædam domeſtica ei obediunt. 1. *p. q.* 96. *art.* 1.

GENESIS Cap. I. *v.* 26.

Præſit vniuerſæ creaturæ.

Videtur quòd homo in ſtatu innocentiæ non habuiſſet dominium ſuper omnes alias creaturas; Angelus enim naturaliter eſt maioris poteſtatis quàm homo: ſed ex Auguſt. materia corporalis non obediuiſſet ad nutum etiam ſanctis Angelis; ergo multò minus homini.

2. Quicumque dominatur alicui rei, poteſt illam rem mutare: ſed homo non potuiſſet mutare curſum cœleſtium corporum; ergo.

Sed contra eſt quod dicitur, *præſit vniuerſæ creaturæ.* Dicendum quòd in homine quodammodo ſunt omnia: & ideo ſecundùm modum quo dominatur his quæ in ſeipſo ſunt, ſecundùm hunc modum competit ei dominari alijs. Eſt autem in homine quatuor conſiderare, ſcilicet rationem, ſecundùm quam conuenit cum Angelis; vires ſenſitiuas, ſecundùm quas conuenit cum animalibus; vires naturales, ſecundùm quas conuenit cum plantis; & ipſum corpus, ſecundùm quod conuenit cum rebus inanimatis.

Ratio autem in homine habet locum dominantis, & non ſubiecti dominio: Vnde homo Angelis non dominabatur in primo ſtatu. Et quod dicitur, *omni creaturæ*, intelligitur quæ non eſt ad imaginem Dei. Viribus autem ſenſitiuis ſicut iraſcibili & concupiſcibili, quæ aliqualiter obediût rationi dominatur anima imperando. Vnde in ſtatu innocentiæ animalibus alijs per imperium dominabatur. Viribus autem naturalibus & ipſi corpori homo dominabatur, non quidem imperando, ſed vtendo. Et ſic etiam homo in ſtatu innocentiæ dominabatur plantis & rebus inanimatis, non per imperium vel immutationem; ſed abſque impedimento vtendo eorum auxilio. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta 1. *p. q.* 96. *art.* 2.

GENESIS Cap. I. *v.* 27.

Et creauit Deus hominem.

Videtur quod non omnia facta ſint propter hominem. Quandocumque enim id quod fit propter aliquem cedit in nocumentum eius, fruſtratur intentio agentis: ſed Dei intentio non fruſtratur; cùm ergo creaturæ cedant in nocumentum hominis, ſecundùm illud, *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum*, videtur quod creaturæ non ſint factæ propter hominem. *Sap.* 14 *v.* 11.

Sed contra: omne bonum quod accidit in vniuerſo eſt intentum à Deo, alias caſu accideret: ſed ex omnibus creaturis aliquid cedit in bonum hominis, ſecundùm illud, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; ergo omnes creaturæ aliquomodo factæ ſunt propter bonum hominis. *Rom.* 8. *v.* 28.

2. In omnibus quæ ſunt propter ſi-

nem poſterius eſt finis prioris : ſed creaturæ ſunt factæ propter finem ; cùm ergo homo inter cætera ſit vltimò creatus, vt patet in textu ; videtur quòd omnia ſint propter hominem facta.

Deus & homo finis creaturarum.

Dicendum quòd alicuius rei finis dicitur dupliciter : vno modo principaliter ad quem res principaliter ordinatur : & talis rerum finis eſt diuina bonitas. Alio modo ſecundarius per quem res principalem finem conſequitur : & hoc modo finis omnium creaturarum eſt homo.

Differenter tamen ad hominem ordinantur creaturæ ſuperiores & inferiores. Superiores quidem vt Angeli & corpora cœleſtia, per ſolam operationem per quam hominem perficiunt ; & ſic diuinam ſimilitudinem conſequuntur, in quantùm Deus eſt cauſa rerum ; quæquidem aſſimilatio eſt finis cuiuſlibet creaturæ.

Creaturæ verò inferiores ordinantur ad hominem dupliciter. Vno modo quantùm ad eſſe, in quantùm imperfectiora appetunt formam perfectiorem ; ſicut elementa formam mixti, & ſic deinceps vſque ad formam hominis ; quæ eſt nobiliſſima inter formas inferiores. Alio modo quantùm ad operationem, in quantùm ex earum operationibus, aliquod commodum homini acquiritur. Eſt etiam & tertius modus, quo omnia ad hominem ordinantur, ſcilicet per operationem hominis, qui ex cognitione creaturarum in Dei cognitionem adducitur.

Ad argum. R. quòd ex hoc ipſo quod creaturæ aliquæ nocent homini, vel quantùm ad culpam occaſionaliter, vel ad pœnam actiuè ; cedunt in bonum hominis vel eiuſdem, vel alterius. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 1. q. 2. art. 2.*

Et Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam.

Homo factus eſt ad imaginem Dei : ſed quod inuenitur in imagine, oportet inueniri in exemplari. Hominis autem voluntas eſt ad vtrumlibet ergo & voluntas Dei ; & ita poteſt peccare, & non peccare.

Dicendum quòd non eſt neceſſarium quicquid in homine inuenitur, quamuis ſit ad dei imaginem, in Deo inueniri : & tamen in propoſito voluntas Dei eſt ad vtrumlibet, quia non eſt ad vnum obiectum determinata. Poteſt enim hoc facere vel non facere ; aut facere hoc vel illud Non tamen ſequitur, quòd aliquid iſtorum poſſit malè facere ; quod eſt peccare. *q. 1. de potentia art. 6.*

Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Videtur quod anima non ſit producta in eſſe per creationem : Quod enim in ſe habet aliquid materiale, ſit ex materia : ſed anima habet in ſe aliquid materiale, cùm non ſit actus purus ; ergo anima eſt facta ex materia ; non ergo eſt creata.

2. Omnis actus materiæ alicuius videtur educi de potentia materiæ : cùm enim materia ſit in potentia ad actum, actus quilibet præexiſtit in materia in potentia : ſed anima eſt actus materiæ corporalis, vt ex eius diffinitione apparet ; ergo anima educitur de potentia materiæ.

3. Anima eſt forma quædam, ſi igitur anima ſit per creationem, pari ratione omnes aliæ formæ ; & ſic nulla forma exibit in eſſe per generationem

rationem ; quod eſt inconueniens.

Sed contra eſt quod dicitur, *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam.* Eſt autem homo ad imaginem Dei ſecundùm animam ; ergo anima exiuit in eſſe per creationem.

Dicendum quòd anima rationalis non poteſt fieri niſi per creationem; quod non eſt verum de alijs formis : cuius ratio eſt, quia cùm fieri ſit via ad eſſe, hoc modo alicui competit fieri, ſicut ei competit eſſe illud autem propriè dicitur eſſe quod ipſum habet eſſe quaſi in ſuo eſſe ſubſiſtens. Vnde ſolæ ſubſtantiæ propriè & verè dicuntur entia: Accidens verò non habet eſſe, ſed eo aliquid eſt ; & hac ratione ens dicitur : ſicut albedo dicitur ens, quia eâ aliquid eſt album. Et eadem ratio eſt de omnibus alijs formis non ſubſiſtentibus. Et ideo nulli formæ non ſubſiſtenti propriè conuenit fieri ; ſed dicuntur fieri per hoc quod compoſita ſubſiſtentia fiunt.

Anima autem rationalis eſt forma ſubſiſtens ; manifeſtum eſt enim quòd homo per intellectum cognoſcere poteſt naturas omnium corporum, Quod autem poteſt cognoſcere aliqua, oportet vt nihil eorum habeat in ſua natura ; quia illud quod ineſſet ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum. ſicut videmus quòd lingua infirmi quæ infecta eſt amaro humore, non poteſt percipere aliquid dulce ; ſed omnia videntur ei amara : ſi igitur principium intellectuale haberet in ſe naturam alicuius corporis, non poſſet omnia corpora cognoſcere. Omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam ; impoſſibile eſt igitur quòd principium intellectuale ſit corpus.

Et ſimiliter impoſſibile eſt quod intelligat per organum corporeum ; quia ſi eſſet natura determinata illius organi corporei, prohiberet cognitionem omnium corporum. Sicut ſi aliquis determinatus color ſit non ſolùm in pupilla ; ſed etiam in vaſe vitreo, liquor infuſus eiuſdem coloris videtur. Vnde licet intelligat cum phantaſmate, quod non eſt ſine corpore ; quia non vtitur illo ſicut organo, ſed ratione obiecti ; cùm phantaſma comparetur ad intellectum ſicut color ad viſum ; ſequitur ipſum intellectuale principium quod dicitur mens, vel intellectus, habere operationem per ſe, cui non communicat corpus : nihil autem poteſt per ſe operari, niſi quod per ſe ſubſiſtit : non enim eſt operatio niſi entis in actu ; relinquitur igitur animam humanam quæ dicitur intellectus vel mens eſſe aliquid incorporeum & ſubſiſtens. Vnde ſibi propriè competit eſſe & fieri. Et quia non poteſt fieri ex materia præiacente, neque corporali ; quia ſic eſſet naturæ corporeæ : neque ſpirituali, quia ſic ſubſtantiæ ſpirituales inuicem tranſmutarentur ; neceſſe eſt dicere quòd non fiat niſi per creationem.

Ad 1. argum. R. quòd in anima eſt ſicut materiale ipſa ſimplex eſſentia ; formale autem in ipſa eſt eſſe participatum : quodquidem ex neceſſitate ſimul eſt cum eſſentia animæ ; quia eſſe per ſe conſequitur ad formam.

Ad 2. R. quòd actum extrahi de potentia materiæ nihil aliud eſt, quàm aliquid fieri actu quod priùs erat in potentia. Sed quia anima

rationalis non habet eſſe ſuum dependens à materia corporali, ſed habet eſſe ſubſiſtens, & excedit capacitatem materiæ corporalis; propterea non educitur de potentia materiæ.

Ad 3. R. quòd non eſt ſimile de anima rationali, & de alijs formis, vt dictum eſt in corpore articuli. 1. *p. q.* 90. *art.* 2.

GENESIS Cap. I. v. 27.

Maſculum & fœminam fecit eos.

Videtur quòd in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio per coitum; quia primus homo erat in paradiſo terreſtri ſicut Angelus quidam: ſed in futuro reſurrectionis ſtatu, quando erunt homines Angelis ſimiles, *neque nubent neque nubentur*; Ergo neque in paradiſo fuiſſet generatio per coitum. *Matt.* 22. *v.* 30.

2. Primi homines in perfecta ætate conditi fuerunt. Si igitur in eis ante peccatum generatio fuiſſet per coitum, fuiſſent etiam in paradiſo carnaliter coniuncti; quod patet eſſe falſum ſecundùm ſcripturam. Inſtatu innocentiæ generatio fuiſſet per coitum.

3. In coniunctione carnali maximè efficitur homo ſimilis beſtijs, propter vehementiam delectationis. Vnde etiam continentia laudatur, per quam homines ab huiuſmodi delectationibus abſtinent. Sed beſtiis homo comparatur propter peccatum ſecundùm illud, *homo cùm in honore eſſet &c.* Ergo ante peccatum non fuiſſet maris & fœminæ carnalis coniunctio. *Pſ.* 48. *v.* 13.

4. Inſtatu innocentiæ nulla fuiſſet corruptio: ſed per coitum corrumpitur integritas virginalis; ergo coitus in ſtatu innocentiæ non fuiſſet.

Sed contra eſt, quod Deus ante peccatum *maſculum & fœminam fœminam fecit*: nihil autem fruſtra in operibus Dei; ergo etiam ſi homo non peccaſſet fuiſſet coitus, ad quem diſtinctio ſexuum ordinatur. *Gen.* 1. *v.* 18.

Præterea, dicitur, mulier eſt facta in adiutorium viri: ſed non ad aliud niſi ad generationem, quæ fit per coitum; quia ad quodlibet aliud opus conuenientiùs adiuuari poſſet vir per virum, quàm per fœminam; ergo.

Dicendum quòd quidam antiquorum doctorum conſiderantes concupiſcentiæ fœditatem quæ inuenitur in coitu in iſto ſtatu, poſuerunt quòd in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio per coitum; ſed fuiſſet multiplicatum genus humanum, ſicut multiplicati ſunt Angeli abſque concubitu per operationem diuinæ virtutis. Et dicunt quòd Deus ante peccatum fecit maſculum & fœminam, reſpiciens ad modum generationis, qui futurus erat poſt peccatum, cuius Deus præſcius erat.

Sed hoc non dicitur rationabilibiliter: Ea enim quæ ſunt naturalia homini neque ſubtrahuntur, neque dantur homini poſt peccatum. Manifeſtum eſt autem quòd homini ſecundùm animalem vitam, quam etiam ante peccatum habebat, naturale eſt generare per coitum, ſicut & cæteris animalibus perfectis. Et hoc declarant naturalia membra ad hunc vſum deputata. Et ideo non eſt dicendum quod vſus horum membrorum naturalium non fuiſſet ante peccatum, ſicut & cæterorum membrorum.

Sunt igitur in coitu duo conſideranda ſecundùm præſentem ſtatum:

Vnum quod naturæ eſt, ſcilicet coniunctio maris & fœminæ ad generandum. In omni enim generatione requiritur virtus actiua & paſſiua. Vnde cùm in omnibus in quibus eſt diſtinctio ſexuum, virtus actiua ſit in mare, virtus verò paſſiua in fœmina; naturæ ordo exigit vt ad generandum conueniant per coitum mas & fœmina.

Aliud autem quod conſiderari poteſt, eſt quædam deformitas immoderatæ concupiſcentiæ, quæ in ſtatu innocentiæ non fuiſſet; quando inferiores vires omnino rationi ſubdebantur.

Ad 1. argum. R. quòd homo in paradiſo fuiſſet ſicut Angelus per ſpiritualem mentem, cùm tamen haberet vitam animalem quantùm ad corpus. Sed poſt reſurrectionem erit homo ſimilis Angelo, ſpiritualis effectus & ſecundùm animam, & ſecundùm corpus. Vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad 2. R. quòd ideo primi parentes in paradiſo non coierunt, quia formatâ muliere poſt modicum propter peccatum de paradiſo eiecti ſunt. Vel quia expectabatur diuina auctoritas ad determinatum tempus commixtionis, à qua acceperunt vniuerſale mandatum.

Ad 3. R. quòd beſtiæ carent ratione. Vnde ſecundum hoc primò in coitu beſtialis efficitur, quia delectationem coitus & feruorem concupiſcentiæ ratione moderari non poteſt. Sed in ſtatu innocentiæ, nihil huiuſmodi fuiſſet, quod ratione non moderaretur; nō quia eſſet minor delectatio ſecundùm ſenſum, vt quidam dicunt (fuiſſet enim tantò maior delectatio ſenſibilis, quantò eſſet purior natura, & corpus magis ſenſibile) ſed quia vis concupiſcibilis non ita inordinatè ſe extuliſſet ſuper huiuſmodi delectatione regulata per rationem. Ad quam non pertinet vt ſit minor delectatio in ſenſu, ſed vt vis concupiſcibilis non immoderatè delectationi inhæreat. Et dico immoderatè, propter menſuram rationis: ſicut ſobrius in cibo moderatè aſſumpto, non minorem habet delectationem quàm guloſus, ſed minùs eius concupiſcibilis ſuper huiuſmodi delectatione requieſcit. Et ideo continentia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet laudabilis, quæ in tempore iſto laudatur; non propter defectum fœcunditatis, ſed propter remotionem inordinatæ libidinis. Tunc autem fuiſſet fœcunditas abſque libidine.

Ad 4. R quòd in illo ſtatu ex Auguſt. nulla corruptione integritatis, infunderetur gremio maritus vxoris. Ita enim potuit vtero coniugis ſalua integritate fœminei genitalis virile ſemen immitti: ſicut nunc poteſt eadem integritate ſalua, ex vtero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. Vt enim ad pariendum non doloris gemitus, ſed naturalis impulſus fœminea viſcera relaxaret; ſic ad concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam vtramque coniungeret. 1. *p. q. 98. art. 2. Simile lib. 2. ſent. Diſt. 20. q. 1. art. 2. Et lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 20. q. 1. art. 1.*

Maſculum & fœminam creauit eos. Videtur quòd in primo ſtatu fœminæ natæ non fuiſſent; dicit enim philoſophus quòd fœmina eſt mas occaſionatus, quaſi præter intentionem naturæ proueniens: ſed in ſtatu illo nihil eueniſſet innaturale in

Digitized by Google

Vnum quod naturæ eſt, ſcilicer coniunctio maris & fœminæ ad generandum. In omni enim generatione requiritur virtus actiua & paſſiua. Vnde cùm in omnibus in quibus eſt diſtinctio ſexuum, virtus actiua ſit in mare, virtus verò paſſiua in fœmina; naturæ ordo exigit vt ad generandum conueniant per coitum mas & fœmina.

Aliud autem quod conſiderari poteſt, eſt quædam deformitas immoderatæ concupiſcentiæ, quæ in ſtatu innocentiæ non fuiſſet; quando inferiores vires omnino rationi ſubdebantur.

Ad 1. argum. R. quòd homo in paradiſo fuiſſet ſicut Angelus per ſpiritualem mentem, cùm tamen haberet vitam animalem quantùm ad corpus. Sed poſt reſurrectionem erit homo ſimilis Angelo, ſpiritualis effectus & ſecundùm animam, & ſecundùm corpus. Vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad 2. R. quòd ideo primi parentes in paradiſo non coierunt, quia formatâ muliere poſt modicum propter peccatum de paradiſo eiecti ſunt. Vel quia expectabatur diuina auctoritas ad determinatum tempus commixtionis, à qua acceperunt vniuerſale mandatum.

Ad 3. R. quòd beſtiæ carent ratione. Vnde ſecundum hoc primò in coitu beſtialis efficitur, quia delectationem coitus & feruorem concupiſcentiæ ratione moderari non poteſt. Sed in ſtatu innocentiæ, nihil hujuſmodi fuiſſet, quod ratione non moderaretur; nō quia eſſet minor delectatio ſecundùm ſenſum, vt quidam dicunt (fuiſſet enim tantò maior delectatio ſenſibilis, quantò eſſet purior natura, & corpus magis ſenſibile) ſed quia vis concupiſcibilis non ita inordinatè ſe extuliſſet ſuper huiuſmodi delectatione regulata per rationem. Ad quam non pertinet vt ſit minor delectatio in ſenſu, ſed vt vis concupiſcibilis non immoderatè delectationi inhærear. Et dico immoderatè, propter menſuram rationis: ſicut ſobrius in cibo moderatè aſſumpto, non minorem haber delectationem quàm guloſus, ſed minùs eius concupiſcibilis ſuper huiuſmodi delectatione requieſcit. Et ideo continentia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet laudabilis, quæ in tempore iſtó laudatur; non propter defectum fœcunditatis, ſed propter remotionem inordinatæ libidinis. Tunc autem fuiſſet fœcunditas abſque libidine.

Ad 4. R. quòd in illo ſtatu ex Auguſt. nullâ corruptione integritatis, infunderetur gremio maritus vxoris. Ita enim potuit vtero coniugis ſaluâ integritate fœminei genitalis virile ſemen immitti: ſicut nunc poteſt eadem integritate ſaluâ, ex vtero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. Vt enim ad patiendum non doloris gemitus, ſed naturalis impulſus fœminea viſcera relaxaret; ſic ad concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam vtramque coniungeret, *1. p. q. 98. art. 2. Simile lib. 2. ſent. Diſt. 20. q. 1. art. 2. Et lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 20. q. 1. art. 1.*

Maſculum & fœminam creauit eos. Videtur quòd in primo ſtatu fœminæ natæ non fuiſſent; dicit enim philoſophus quòd fœmina eſt mas occaſionatus, quaſi præter intentionem naturæ proueniens: ſed in ſtatu illo nihil eueniſſet innaturale in-

hominis generatione; ergo fœminæ natæ non fuiſſent.

2. Omne generans generat ſibi ſimile, niſi impediatur, vel propter defectum virtutis, vel propter indiſpoſitionem materiæ: ſicut paruus ignis non poteſt comburere ligna viridia. In generatione autem vis actiua eſt in mare; cum igitur in ſtatu innocentiæ nullus fuiſſet defectus virtutis ex parte maris, nec indiſpoſitio materiæ ex parte fœminæ; videtur quòd ſemper maſculi nati fuiſſent.

3. In ſtatu innocentiæ generatio ad multiplicationem hominum ordinabatur: ſed ſufficienter homines multiplicari potuiſſent per primum hominem, & per primam fœminam; ex quo in perpetuum victuri erant, ergo non fuiſſet neceſſarium quod in ſtatu innocentiæ fœminæ naſcerentur.

Sed contra eſt, quod ſic natura proceſſiſſet in generando, ſicut eam Deus inſtituit: ſed Deus inſtituit marem & fœminam in natura humana, vt patet in textu; ergo etiam in ſtatu illo fuiſſent mares & fœminæ generati.

Fœminæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ. Dicendum quòd nihil eorum quæ ad complementum humanæ naturæ pertinent, in ſtatu innocentiæ defuiſſet. Sicut autem ad perfectionem vniuerſi pertinent diuerſi gradus rerum, ita etiam diuerſitas ſexus eſt ad perfectionem humanæ naturæ; Et ideo in ſtatu innocentiæ vterque ſexus per generationem productus fuiſſet.

Ad 1. argum. R. quod fœmina dicitur mas occaſionatus, quia eſt præter intentionem naturæ particularis; non autem præter intentionem naturæ vniuerſalis.

Ad 2. R. quod generatio fœminæ non ſolùm contingit ex defectu virtutis actiuæ, vel indiſpoſitione materiæ, vt obiectio tangit; ſed quandoque quidem ex aliquo accidenti extrinſeco: ſicut Philoſophus dicit quod ventus ſeptentrionalis coadiuuat ad generationem maſculorum; auſtralis verò ad generationem fœminarum. Quandoque etiam ex conceptione animæ ad quam de facili immutatur corpus.

Et præcipuè in ſtatu innocentiæ hoc eſſe poterat, quando corpus magis erat animæ ſubiectum, vt ſcilicet ſecundùm voluntatem generantis diſtingueretur ſexus in prole.

Ad 3. R. quod proles fuiſſet genita viuens vitâ animali. Ad quam ſicut pertinet alimento vti, ſic etiam generare. Vnde conueniebat quòd omnes generarent, & non ſolùm primi parentes. Ad quod conſequens videtur quod tot fuiſſent generatæ fœminæ, quot & mares. 1. p. q. 99. art. 2.

Idem locus explicatur ſuprà *Gen.* 1. v. 27.

GENESIS Cap. 1. v. 28.

Benedixit illis Deus.

Animalia terreſtria magis ſunt ſimilia homini, qui à Deo dicitur benedici, quàm aues & piſces. Cùm igitur aues & piſces dicantur benedici, multo fortiùs hoc dici debuit de aliis animalibus.

R. quod benedictio Dei dat virtutem multiplicandi per generationem. Et ideo quod poſitum eſt in auibus & piſcibus, quæ primò oc-

currunt; non fuit neceſſarium repeti in terrenis animalibus, ſed intelligitur. In hominibus autem iteratur benedictio, quia in eis eſt quędam ſpecialis multiplicationis ratio, propter complendum numerum electorum. Et ne quiſquam diceret in officio gignendi filios, nullum eſſe peccatum, Plantæ verò nullum habent propagandę prolis affectum, ac ſine vllo ſenſu generant. Vnde indignę iudicatæ ſunt benedictionis verbis. *1. p. q. 72. art. 1.*

GENESIS Cap. 1. v. 28.

Creſcite & multiplicamini.

Videtur quod in ſtatu innocentiæ generatio non fuiſſet: generatio enim non eſt niſi ad multiplicationem indiuiduorum: ſed poterat Deus genus humanum ſine generatione multiplicare; cùm ergo via compendioſior ſemper eligenda ſit, videtur quod generatio non fuiſſet.

2. Omne generabile eſt corruptibile, & è conuerſo: ſed corpora humana in primo ſtatu erant incorruptibilia; ergo videtur quod per generationem in eſſe non producerentur.

3. Finis generationis eſt vt id quod non poteſt conſeruari in eſſe perpetuo idem in numero, perpetuetur in eſſe ſecundùm ſpeciem: ſed corpus humanum ſecundùm idem in numero, in perpetua vita conſeruari potuiſſet in ſtatu innocentiæ; ergo videtur quod generatio non fuiſſet, cùm in operationibus Dei nihil ſit fruſtra.

4. Eorum quæ ſunt idem in ſpecie, eſt etiam vnus modus originis: ſed primi parentes non ſunt producti in eſſe per generationem naturalem, ſed per operationem diuinam; ergo & eorum poſteritas ſine generatione naturali propaganda eſſet.

Sed contra eſt quod dicitur, *Creſcite & multipl. & replete terram.* Sed imperium ad aliquos factum, non eſt niſi de actibus, quorum ipſi ſunt cauſa; ergo multiplicationis humani generis primi parentes naturali generatione cauſa fuiſſent.

Præterea imago diuinitatis in homine per innocentiam in nullo diminuta fuiſſet: ſed in hoc quodammodo homo diuinæ imaginis ſimilitudinem gerit, quod omnium ſui generis principium fuiſſet poſteriorum.

Dicendum quod per peccatum natura ſpecie variata nō eſt, vnde quæcumque ad perfectionem humanæ ſpeciei pertinent, oportet homini in ſtatu innocentiæ attribuere. In omnibus autem per naturam generabilibus ad perfectionem pertinet, vt vnumquodque tale alterum facere poſſit, quale ipſum eſt. Et ideo oportet in natura humana ponere aliquem ſtatum naturalis generationis, etiam ſi in ea numquam peccatum fuiſſet. Et hic eſt ſtatus innocentiæ, priuſquam homines transferendi erant in ſtatu gloriæ; vbi omnino generationis ceſſat officium, vt dicitur, in reſurrectione *neque nubent, neque nubentur.* *Matt. 22. v. 30.*

Ad 1. argum. R. quod quamuis Deus potuiſſet ſine operatione alicuius naturalis principii humanum genus multiplicare, tamen hoc magis congruum ex ordine ſuæ ſapientiae decreuit; vt rebus omnibus operationes propriè conferret, in

Digitized by Google

quibus earum perfectio conſiſtit; quia tanto in eis diuina bonitas magis relucet, quanto res perfectiores ſunt.

Ad 2. R quod corpus humanum quamuis in ſtatu innocentiæ fuerit incorruptibile, per gratiam innocentiæ; erat tamen corruptibile per naturam. Et ideo naturali virtute ad generandum non priuabatur; quia etſi quodammodo immortalis eſſet, vt poſſet non mori; alio tamen modo mortalis erat, quia poterat etiam mori.

Ad 3. R. quod omne perpetuum eſt per ſe intentum in natura: Vnde ſecundùm quod aliqua ſe habent ad perpetuitatem, hoc modo ſunt de intentione naturæ. Quædam igitur ſunt quæ non habent perpetuitatem, niſi ratione ſpeciei: & in his multiplicatio indiuiduorum non eſt per ſe intenta à natura, ſed per accidens, prout ſcilicet in tali multiplicatione, ſpeciei perpetuitas conſeruatur. Vnde in his non eſt generatio, niſi vt conſeruetur idem ſecundùm ſpeciem; quod ſecundùm numerum idem conſeruari non poteſt. In hominibus autem ſecus eſt, quia quantum ad aliquam partem ſui (ſcilicet animā) incorruptibilitatem habent etiam ſecundùm naturam. Et ideo hominum multiplicatio eſt per ſe intenta, etiam ſine hoc, quod ad conſeruationem ſpeciei pertinet.

Ad 4. R. quod in primis operibus natura inſtituenda erat: Et ideo oportebat illa opera immediatè à principio ſupernaturali eſſe: ſed poſtmodū natura inſtituta, in proprios effectus per naturalem operationem peruenire poterat; & hoc de perfectione ipſius erat. *Lib.* 2. *Sent. Diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 1.

Creſcite & multiplicamini. Videtur non eſſe licitum perpetuam continentiam ſeruare: Viri enim & mulieris coniunctio ad bonum ſpeciei ordinatur: diuinius autem eſt bonum ſpeciei quàm bonum indiuidui; magis ergo peccat qui omnino abſtinet ab actu quo conſeruatur ſpecies, quàm, peccaret ſi abſtineret ab actu quo conſeruatur indiuiduum; ſicut ſunt comeſtio, potus, & alia huiuſmodi.

2. Ex diuina ordinatione dantur homini membra ad generationem apta, & etiam vis concupiſcibilis incitans, & alia huiuſmodi ad hoc ordinata; videtur igitur contra diuinam ordinationem agere, qui omnino ab actu generationis abſtinet.

3. Si bonum eſt quod vnus contineat, melius eſt quod multi, & optimum quod omnes: Sed ex hoc ſequitur quod genus humanum deficiat; non igitur bonum eſt quod aliquis homo omnino contineat.

4. Caſtitas ſicut & aliæ virtutes in medio conſiſtit, ſicut igitur contra virtutem agit, qui omnino concupiſcentias inſequitur, & intemperatus eſt; ita contra virtutem agit qui omnino à concupiſcentiis abſtinet, & inſenſibilis eſt.

5. Non eſt poſſibile quin in homine concupiſcentiæ venereorum oriantur, cum naturales ſint: reſiſtere autem omnino concupiſcentiis, & quaſi continuam pugnam habere, maiorem inquietudinem animo tribuit, quàm ſi aliquis moderatè concupiſcentiis vteretur; cum igitur inquietudo animi maximè perfectioni virtutis repugnet, videtur perfectioni virtutis aduerſari, quod aliquis perpetuam continen-

Digitized by Google

tiam ſeruet.

Quibus etiam adiungi poteſt præceptum Domini primis parentibus datum, vt patet in textu; quod non eſt remotum, ſed magis videtur à Domino in Euangelio eſſe confir-

Matth. 19. v. 6. matum, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, de coniunctione matrimonii loquens: contra autem hoc præceptum expreſſè facit qui perpetuam continentiam ſeruat; ergo non eſt licitum.

Virginitas & continentia licitæ. Dicendum quod alia ratio eſt habenda in his quæ ad neceſſitatem vniuſcuiuſque hominis pertinent; atque alia in his quæ pertinent ad multitudinis neceſſitatem. In his enim quæ ad vniuſcuiuſque neceſſitatem pertinent, oportet quod cuilibet prouideatur: huiuſmodi autem ſunt cibi, & potus, & alia quæ ad ſuſtentationem indiuidui pertinent. Vnde neceſſarium eſt quod quilibet cibo, & potu vtatur. In his autem quæ neceſſaria ſunt multitudini, non oportet quod cuilibet de multitudine attribuatur; neque etiam eſt poſſibile: patet enim multa eſſe neceſſaria multitudini hominum, vt ſunt cibus, potus, indumentum, domus, & alia huiuſmodi, quæ impoſſibile eſt quod per vnum procurentur. Et ideo diuerſorum oportet eſſe diuerſa officia: ſicut etiam in corpore diuerſa mēbra ad diuerſos actus ordinantur.

Quia igitur generatio non eſt de neceſſitate indiuidui, ſed de neceſſitate totius ſpeciei; non eſt neceſſarium quod omnes homines actibus generationis vacent: ſed quidam ab his actibus abſtinentes aliis officiis mancipentur; puta militiæ vel contemplationi. Ex quo patet ſolutio ad primum & ſecundum. Ex diuina enim prouidentia dantur homini ea quæ ſunt toti ſpeciei neceſſaria; nec tamen oportet quod quilibet homo quolibet illorum vtatur: Data eſt enim homini induſtria ædificandi, virtus ad pugnandum; nec tamen oportet quod omnes ſint ædificatores aut milites. Similiter licet ſit homini diuinitus prouiſa virtus generatiua, & ea quæ ad actum eius ordinantur; non tamen oportet quod quilibet generationi intendat.

Vnde etiam patet ſolutio ad tertium: Ab his enim quæ ſunt neceſſaria, quamuis quantum ad ſingulos melius ſit quod abſtineat melioribus deditus; non tamen eſt bonum quod omnes abſtineant, ſicut & in ordine vniuerſi apparet: Quamuis enim ſubſtantia ſpiritualis ſit melior quam corporalis, non tamen eſſet melius vniuerſum in quo eſſent ſolum ſubſtantiæ ſpirituales, ſed imperfectius. Et quamuis ſit melius oculus pede in corpore animalis; non tamen eſſet perfectum animal niſi haberet oculum, & pedem. Ita etiam nec multitudo humani generis haberet ſtatum perfectum, niſi eſſent aliqui intendentes generationis actibus, & aliqui ab his abſtinentes, & contemplationi vacantes.

Ad 4. R. quod medium virtutis non accipitur ſemper ſecundum quantitatem rei quæ ordinatur ratione, ſed ſecundum regulam rationis quæ debitum finem attingit, & circunſtantias conuenientes metitur. Et ſic ab omnibus venererorum delectationibus abſtinere præter rationem, vitium inſenſibilitatis dicitur: ſi autem ſecundum rationem fiat, virtus eſt quæ etiam communem hominis modum excedit. Facit enim homines eſſe in diuinæ

quadam ſimilitudinis participatione: vnde virginitas Angelis dicitur eſſe cognita.

Ad 5. R. quod ſolicitudo, & occupatio quam habent hi qui coniugio vtuntur de vxoribus filiis & neceſſariis vitæ acquirendis, eſt continua: inquietatio autem quam homo patitur ex pugna concupiſcentiarum, eſt ad aliquam horam; quæ etiam minoratur per hoc quod eis aliquis non conſentit. Nam quantò magis aliquis delectabilibus vtitur, tantò magis creſcit in eo delectabilis appetitus. Debilitantur enim concupiſcentiæ per abſtinentiam, & alia exercitia corporalia, quæ conueniunt his qui continentiæ propoſitum habent. Vſus etiam corporalium delectabilium magis abducit mentem à ſua altitudine, & impedit à contemplatione ſpiritualium, quàm inquietudo quæ prouenit in reſiſtendo concupiſcentiis horum delectabilium: quia per vſum delectabilium, & maximè venereorum, mens maximè carnalibus inhæret; cum delectatio faciat quieſcere appetitum in re delectabili. Et ideo his qui ad contemplationem diuinorum, & cuiuſque veritatis intendunt; maximè nociuum eſt venereis deditos eſſe, & maximè vtile ab his abſtinere Nihil autem prohibet, quamuis vniuerſaliter dicatur vni homini melius eſſe continentiam ſeruare, quàm matrimonio vti, quin alicui illud melius ſit. Vnde & Dominus facta de continentia mentione dicit, *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed qui poteſt capere capiat.*

Ad 6. R. quod præceptum illud reſpicit inclinationem naturalem, quæ eſt in hominibus ad conſeruandam ſpeciem per actum generationis: Quod tamen non eſt neceſſarium per omnes exequi, ſed per aliquos. Sicut autem non expedit cuilibet omni tempore actui generationis vacare; ita nec expedit ab eo omni tempore abſtinere: maximè quando neceſſaria erat multiplicatio generationis, vel propter hominum paucitatem; ſicut in principio quando humanum genus cœpit multiplicari; ſiue propter paucitatem fidelis populi, quando oportebat ipſum per carnalem generationem multiplicari; vt fuit in veteri Teſtamento. Et ideo conſilium de continentia perpetua obſeruanda, reſeruatum eſt temporibus noui Teſtamenti, quando ſpiritualis populus per ſpiritualem generationem multiplicatur. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 136.*

Creſcite & multiplicamini. Videtur quod in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio; Generationi enim corruptio eſt contraria: ſed in ſtatu innocentiæ non fuiſſet corruptio; ergo neque generatio

2. Generatio ordinatur ad hoc quod conſeruetur in ſpecie, quod ſecundum indiuiduum conſeruari non poteſt. Vnde & in illis indiuiduis quæ in perpetuum durant, generatio non inuenitur: ſed in ſtatu innocentiæ homo in perpetuum abſque morte vixiſſet; ergo.

3. Per generationem homines multiplicantur: ſed multiplicatis Dominis neceſſe eſt fieri poſſeſſionum diuiſionem ad euitandam confuſionem dominii: ergo cum homo ſit conſtitutus dominus animalium facta multiplicatione humani generis per generationem, ſecuta fuiſſet diuiſio dominij: quod videtur eſſe contra-

contrarium iuri naturali, ſecundùm quod omnia ſunt communia; non ergo fuiſſet generatio in ſtatu innocentiæ.

In ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio.

Sed contra eſt quod dicitur *Creſcite & multiplicam*. Huiuſmodi autẽ multiplicatio abſque noua generatione fieri non potuiſſet; cùm duo tantùm fuerint primitus inſtituti; ergo in primo ſtatu generatio fuiſſet.

Dicendum quòd in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio ad multiplicationem humani generis, alioqui peccatum hominis fuiſſet valde neceſſarium, ex quo tantum bonum conſecutum eſt. Eſt ergo conſiderandum quòd homo ſecundùm ſuam naturam eſt conſtitutus quaſi medium quoddam inter creaturas corruptibiles & incorruptibiles. Nam anima eius eſt naturaliter incorruptibilis, corpus verò naturaliter corruptibile.

Eſt autem conſiderandum quòd alio modo intentio naturæ fertur ad corruptibiles, & incorruptibiles creaturas. Id autem per ſe videtur eſſe de intentione naturæ, quod eſt ſemper & perpetuum: Quod autem eſt ſolùm ſecundùm aliquod tempus, non videtur eſſe principaliter de intentione naturæ, ſed quaſi ad aliud ordinatum; alioquin eo corrupto, naturæ intentio caſſaretur.

Quia igitur in rebus corruptibilibus nihil eſt perpetuum & ſemper manens, niſi ſpecies, bonum ſpeciei eſt de principali intentione naturæ; ad cuius conſeruationem naturalis generatio ordinatur. Subſtantiæ verò incorruptibiles manent ſemper, non ſolùm ſecundùm ſpeciem, ſed etiam ſecundùm indiuidua: & ideo etiam ipſa indiuidua ſunt de principali intentione naturæ. Sic igitur homini ex parte corporis, quod corruptibile eſt ſecundùm naturam ſuam, competit generatio: ex parte verò animæ quæ incorruptibilis eſt, competit ei quòd multitudo indiuiduorum ſit per ſe intenta à natura; vel potiùs à naturæ auctore, qui ſolus eſt humanarum animarum creator. Et ideo ad multiplicationem humani generis, generationem in humano genere ſtatuit, etiam in ſtatu innocentiæ.

Ad 1. argum. R. quòd corpus hominis in ſtatu innocentiæ quantùm erat de ſe, corruptibile erat: ſed potuit præſeruari à corruptione per animam. Et ideo non fuit homini ſubtrahenda generatio quæ debetur corruptibilibus rebus.

Ad 2. R. quòd generatio in ſtatu innocentiæ & ſi non fuiſſet propter conſeruationem ſpeciei, fuiſſet tamen propter multiplicationem indiuiduorum.

Ad 3. R. quòd in ſtatu iſto multiplicatis dominis, neceſſe eſt fieri diuiſionem poſſeſſionum; quià communitas poſſeſſionis, eſt occaſio diſcordiæ. Sed in ſtatu innocentiæ fuiſſent voluntates hominum ſic ordinatæ, quòd abſque omni periculo diſcordiæ communiter vſi fuiſſent, ſecundùm quod vnicuique eorum competeret, rebus, quæ eorum dominio ſubdebantur; cùm hoc etiam modo apud multos bonos viros obſeruetur. *prima part. q.* 98. *art.* 1.

Creſcite & multiplicamini. Videtur quod virginitas ſit illicita: Omne enim quod contrariatur præcepto legis naturæ eſt illicitum: ſed ſicut præceptum legis naturæ

ad conſeruationem indiuidui eſt quod tangitur, *De omni ligno quod eſt in paradiſo comede*; ita etiam præceptum legis naturæ eſt ad conſeruationem ſpeciei, quod eſt in textu; ergo ſicut peccaret qui abſtineret ab omni cibo, vt pote faciens contra bonum indiuidui; ita etiam peccat qui omnino abſtinet ab actu generationis, vt pote faciens contra bonum ſpeciei. Gen. 2. v. 16.

Sed contra eſt quòd nullum peccatum rectè cadit ſub conſilio: ſed virginitas rectè cadit ſub conſilio, dicitur enim. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*; ergo virginitas non eſt aliquid illicitum. 1. Cor. 7. v. 25.

Virginitas ſuadetur.

Dicendum quòd in humanis actibus illud eſt vitioſum, quod eſt præter rectam rationem. Habet autem hoc recta ratio, vt his quæ ſunt ad finem, vtatur aliquis ſecundùm eam menſuram quæ congruit fini. Eſt autem triplex hominis bonum: vnum quidem quod conſiſtit in exterioribus rebus, puta diuitijs: Aliud autem quod conſiſtit in bonis corporis: Tertium autem quod conſiſtit in bonis animæ. Inter quæ etiam bona contemplatiuæ vitæ ſunt potiora bonis vitæ actiuæ; dicitur enim. *Maria optimam partem elegit.* Quorum bonorum exteriora quidem ordinantur ad ea quæ ſunt corporis: Ea verò quæ ſunt corporis, ad ea quæ ſunt animæ: & vlteriùs ea quæ ſunt vitæ actiuæ, ad ea quæ ſunt vitæ contemplatiuæ. Luc. 10. v. 42.

Pertinet igitur ad rectitudinem rationis, vt aliquis vtatur exterioribus bonis ſecundùm eam menſuram quæ competit corpori; & ſimiliter de alijs. Vnde ſi quis abſtineat ab aliquibus poſſidendis, quæ aliàs eſſet bonum poſſidere, vt conſulat ſaluti corporali, vel etiam contemplationi veritatis; non eſſet hoc vitioſum, ſed ſecundùm rationem rectam. Et ſimiliter ſi quis abſtineat à delectationibus corporalibus, vt liberiùs vacet contemplationi veritatis; pertinet hoc ad rectitudinem rationis. Ad hoc autem pia virginitas ab omni delectatione venerea abſtinet, vt liberiùs diuinæ contemplationi vacet. Dicit enim Apoſtolus, *Mulier innupta & Virgo, cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, & quomodo placeat viro.* Vnde relinquitur quòd virginitas non eſt aliquid vitioſum, ſed potiùs laudabile. 1. Cor. 7. v. 34.

Ad argum. R. quòd præceptum habet rationem debiti. Dupliciter autem aliquid eſt debitum; Vno modo vt impleatur ab vno: & hoc debitum ſine peccato præteriri non poteſt: Aliud autem eſt debitum implendum à multitudine: Et ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine. Multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda vnus non ſufficit: ſed implentur à multitudine dum vnus hoc, alius illud facit. Præceptum igitur legis naturæ homini datum de comeſtione, neceſſe eſt quòd ab vnoquoque impleatur: Aliter enim indiuiduum conſeruari non poſſet. Sed præceptum datum de generatione, reſpicit totam multitudinem hominum cui neceſſarium eſt non ſolùm quòd multiplicetur corporaliter, ſed etiam quòd ſpiritualiter proficiat. Et ideo ſufficienter prouidetur humanæ multitudini, ſi quidam carnali generationi operam dent; quidam verò ab hac

Digitized by Google

abſtinentes, contemplationi diuinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem & ſalutem. 2. 2. q. 152. art. 2.

GENESIS Cap. I. v. 28.

Creſcite & multiplicamini.

INſtitutio ſacramenti debet eſſe à Deo: ſed ante peccatum verba quæ ad matrimonium pertinent, non ſunt determinatè dicta à Deo, ſed ab Adam. Illa autem verba quæ Deus dixit, *Creſcite &c.* dicta ſunt brutis etiam, in quibus non eſt matrimonium; ergo matrimonium non fuit inſtitutum ante peccatum.

Matrimoniũ quando inſtitutum. Dicendum quòd matrimonium ante peccatum inſtitutum fuit à Deo, quando homini mulierem de coſta formauit in adiutorium, & dixit eis. *Creſcite & multiplicamini.* Quod quamuis etiam aliis animalibus dixerit, non tamen per ea, eodem modo implendum fuit, ſicut per homines. Adam verò illa verba protulit à Deo inſpiratus, vt intelligeret matrimonii inſtitutionem à deo factam. *ſupplem. q. 42. art. 2.*

GENESIS Cap. I. v. 28.

Creſcite & multiplicamini & replete terram.

EI quod non eſt ſecundùm omne tempus laudabile, non debetur præmium excellens: ſed virginitatem ſeruare in ſtatu innocentiæ, non fuiſſet laudabile; cùm tunc præceptum eſſet, *creſcite &c.* Nec etiam

Virginitati aureola debetur. tempore legis cùm ſteriles erant maledictæ; ergo virginitati aureola non debetur.

Dicendum quòd vbi eſt præcellens ratio victoriæ, ibi debetur aliqua ſpecialis corona: Vnde cùm per virginitatem aliquis ſingularem quandam victoriam obtineat de carne, contra quam continuè bellum geritur, vt patet; *Spiritus concupiſcit aduerſus carnem &c.* virginitati ſpecialis corona debetur, quæ aureola nominatur. Gal. 5. v. 17.

Ad argumentum dicendum quòd virginitati non debetur aureola, niſi in quantùm addit quandam excellentiam ſuper alios continentiæ gradus. Si autem Adam non peccaſſet, virginitas nullam perfectionem ſupra continentiam coniugalem habuiſſet; quia fuiſſent tunc honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus, nullâ concupiſcentiæ fœditate exiſtente. Vnde virginitas tunc ſeruata non fuiſſet, nec ei tunc aureola deberetur. Sed mutatâ humanæ naturæ conditione, virginitas ſpecialem decorem habet; & ideo ei ſpeciale redditur præmium.

Tempore etiam legis Moyſi, quando cultus Dei per carnalem actum propagandus erat: non erat omnino laudabile à commixtione carnis abſtinere: Vnde nec tali propoſito ſpeciale præmium redderetur, niſi ex diuino proceſſiſſet inſtinctu, vt creditur de Hieremia, & de Elia, quorum coniugia non leguntur. *ſupplem. q. 96. art. 5.*

Creſcite & multiplicamini. Videtur quod virginitas non ſit virtus; Omnis enim virtus conſiſtit ſolùm in mente; ſed virginitas conſiſtit etiam in carne; ergo non eſt virtus.

2. Nulla virtus repugnat præcepto legis naturalis. virginitas autem repugnat, vt patet in textu; ergo non eſt virtus.

3. Omnis virtus conſiſtit in medio: ſed virginitas conſiſtit in extremo; quia abſtinet ab omni; ergo.

Dicendum quòd virginitas virtus eſt. Nec tamen nomine virginitatis ſola virtus deſignatur, ſed cùm virtute quoddam accidens eius, ſiue ſtatus aliquis ipſius: ſignificat enim virginitatis nomen virtutem continentiæ, quæ numquam in actum carnalis commiſtionis proceſſit, cum propoſito perpetuo conſeruandi huiuſmodi ſtatum. Aliàs virginitas non haberet rationem virtutis; ſicut patet in ijs qui nondum contraxerunt, habent tamen propoſitum contrahendi, vel etiam fornicandi.

Virginitas eſt virtus.

Ad 1. R. quòd virginitas eſſentialiter conſiſtit in mente: ſed materiam ſuam habet in carne. Vnde virginitati non fit præiudicium, ſi omnino præter conſenſum mentis caro corrumpatur.

Ad 2. R. quòd omnis virtus requirit tempus opportunum, ſicut & cæteras circunſtantias debitas. Vnde virginitas obſeruata pro illo tempore, in quo ad contrarium præceptum legis naturalis non obligat, virtutis rationem habet, aliàs non.

Ad 3. R. quod medium virtutis non accipitur ſecundum quantitatem, cùm aliqua virtus ſit, quæ maximum in ſua materia operatur; ſicut magnificentia vel magnanimitas. Sed medium virtutis attenditur ſecundùm rationem rectam, vt ſcilicet actus virtutis fiat illis circumſtantijs adhibitis quæ ratio recta determinat; alias non. Et ſic virginitas in medio eſt, ſi obſeruetur quando debet, & prout debet, & à quo debet, & ſic de alijs. *Lib. 4. ſent. ad Annibald. Diſt. 33. art. 4. Simile lib. 4. ſent. Diſt. 33. q. 3. art. 2. & 2. 2. q. 152. art. 3.*

GENESIS Cap. I. v. 29.

Ecce dedi vobis omnem herbam &c. vt ſint vobis in eſcam.

VIdetur quòd lex noua debuerit dari à principio mundi, quia omnes homines peccauerunt, & egent gratiâ Dei, ergo à principio mundi lex Euangelij dari debuit, vt omnibus per eam ſubueniretur.

2. Sicut in diuerſis locis ſunt diuerſi homines, ita etiam in diuerſis temporibus: Sed Deus qui vult omnes homines ſaluos fieri, mandauit Euangelium prædicari in omnibus locis; ergo omnibus temporibus debuit adeſſe lex Euangelii, quod à principio mundi daretur.

3. Magis eſt neceſſaria homini ſalus ſpiritualis quæ eſt æterna, quàm ſalus corporalis quæ eſt temporalis: Sed Deus ab initio mundi prouidit homini ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem corporalem, tradens eius poteſtati omnia, quæ erant propter hominem creata; vt patet in textu; ergo etiam lex noua quæ maximè eſt neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem, debuit hominibus à principio mundi dari.

Sed contra eſt, *Non priùs quod ſpirituale eſt, ſed quod animale*: ſed lex noua eſt maximè ſpiritualis; ergo nō debuit dari à principio mūdi. *1. Cor. 15. v. 46.*

Dicendum quòd triplex ratio poteſt aſſignari quare lex noua non debuit dari à principio mundi. Quarum prima eſt, quia lex noua principaliter eſt gratia Spiritus ſancti, quæ abundanter dari non de-

Lex noua non debuit dari à principio mundi.

buit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummatâ redemptione per Chriſtum. Vnde dicitur, *nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Et hanc rationem aſſignat, Paul. vbi poſtquam præmiſerat de lege *ſpiritus vitæ*, ſubiungit, *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne; vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.*

Ioan. 7. v. 39.

Rom 8. v. 3.

Secunda ratio poteſt aſſignari ex perfectione legis nouæ: non enim aliquid ad perfectum adducitur ſtatim à principio; ſed quodam temporali ſucceſſionis ordine: ſicut aliquis priùs ſit puer, & poſtmodum vir. Et hanc rationem aſſignat Apoſtolus, *lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt de fide iuſtificemur*: At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo.

Gal. 3. v. 24.

Tertia ratio ſumitur ex hoc, quòd lex noua eſt lex gratiæ: Et ideo primò oportuit quòd homo relinqueretur ſibi in ſtatu veteris legis; vt in peccatum cadendo ſuam infirmitatem cognoſcens, recognoſceret ſe gratiâ indigere. Et hanc rationem aſſignat Apoſtolus dicens, *lex ſubintrauit vt abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.*

Rom. 5. v. 20.

Ad 1 argum. R. quòd humanum genus propter peccatum primi parentis meruit priuari auxilio gratiæ, & ideò quibuſcumque non datur, hoc eſt ex iuſtitia: quibuſcumque autem datur, hoc eſt ex gratia.

Ad 2. R. quòd diuerſitas locorum, non variat diuerſum ſtatum humani generis, qui variatur per temporis ſucceſſionem. Et ideò omnib. locis proponitur lex noua, non autem omnib. temporibus; licet omni tempore fuerint aliqui ad nouum Teſtamentũ pertinentes.

Ad 3. R. quòd ea quæ pertinent ad ſalutem corporalem, deſeruiunt homini quantùm ad naturam, quæ non tollitur per peccatum: ſed ea quæ pertinent ad ſpiritualem ſalutem, ordinantur ad gratiam; quæ amittitur per peccatum: & ideò non eſt ſimilis ratio de vtriſque. 1. 2. *q. 106. art. 3.*

Ecce dedi vobis omnem herbam. Videtur quòd occidere quæcumque viuentia, ſit illicitum: quia in lege diuina non determinatur ſpecialis pœna niſi pro peccato: ſed occidenti bouem vel ouem alterius, ſtatuitur pœna; ergo occiſio animalium eſt peccatum. *Ex. 22. v. 1.*

Dicendum quòd nullus peccat ex hoc, quòd vtitur re aliquâ ad hoc, ad quod eſt. In rerum autem ordine imperfectiora ſunt propter perfectiora: ſicut etiam in generationis via, natura ab imperfectis ad perfecta procedit. Et inde eſt quòd ſicut in generatione hominis priùs eſt viuum, deinde animal, vltimò autem homo: ita etiã ea quæ tantũ viuunt vt plantæ, ſunt communiter propter animalia: omnia autem animalia ſunt propter hominem. Et ideò ſi homo vtatur plantis ad vtilitatem animalium, & animalibus ad vtilitatem hominum, non eſt illicitum.

Inter alios autem vſus, maximè neceſſarius eſſe videtur, vt animalia plantis vtantur in cibum, & homines animalibus; quod ſine mortificatione eorum fieri non poteſt. Et ideo licitum eſt & plantas mortificare in vſum ani-

Digitized by Google

malium, & animalia in vſus hominum, ex ipſa ordinatione diuina. Dicitur enim *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuerſa ligna, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ.* Et, *omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.*

Gen. 9. v. 3.

Ad argum R. quòd ille qui occidit bouem alterius, peccat quidem; non quia occidit bouem: ſed quia damnificat hominem in re ſua. Vnde non continetur ſub peccato homicidij; ſed ſub peccato furti vel rapinæ. *Secunda ſecundæ q. 64. art. 1.*

Idem locus explicatur ſuprà. *Gen. 1. v. 29.*

GENESIS Cap. I. v. 31.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.

VIdetur quòd Deus nullam creaturam meliorem facere potuerit quàm ſit; quia effectus qui producitur à cauſa ſecundùm totam ſuam potentiam, non poteſt ab iſta melior fieri: ſed quamlibet creaturam Deus operatur totâ ſuâ potentiâ, quia per eſſentiam ſuam quæ indiuiſibilis eſt; ergo nullam rem meliorem poteſt facere quàm ſit.

Dicendum quòd vnicuique rei in ſe conſideratæ, eſt duplex bonitas, ſicut & duplex eſſe, cùm ens & bonum conuertantur; ſcilicet bonitas eſſentialis, vt homini eſſe viuum & rationale: & bonitas accidentalis, vt ſanitas, ſcientia, & huiuſmodi. Loquendo de bonitate accidentali vnicuique rei maiorem bonitatem Deus conferre potuiſſet. Loqēdo autem de bonitate eſſentiali, qualibet re creatâ meliorem aliam rem facere potuiſſet: non tamen potuit hanc rem facere eſſe maioris bonitatis: quia ſi adderetur ad bonitatem eſſentialem aliquid, non eſſet eadem res, ſed alia: quia ſicut numeris vnitas addita, vel ſubtracta, ſemper variat ſpeciem; ita in diffinitionibus differentia addita vel ſubtracta. Verbi gratia ſi diffinitioni bouis addatur rationale, iam non erit bos, ſed alia ſpecies, ſcilicet homo. Si ſubtrahatur ſenſibile, remanebit viuens vita arborum. Vnde ſicut Deus non poteſt facere quòd ternarius manens ternarius, habeat quatuor vnitates; quamuis quolibet numero maiorem numerum facere poſſit: ita non poteſt facere quod hæc res maneat eadem, & maiorem bonitatem eſſentialem habeat, vel minorem.

Ad argum R. quòd quamuis Deus producat vnumquodque creatum totâ ſuâ potentiâ infinitâ; non tamen ſequitur quantitas bonitatis in effectu, niſi ſecundùm voluntatem opificis; quæ ſe habet vt imperans ad opus, quod potentia exequendo educit. *Lib. 1. ſent. Diſt. 44 q. 1. art. 1. ſimile 1. p. q. 25. art. 6.*

Et erant valde bona. Videtur quòd vniuerſum Deus melius facere non potuerit, quia quod eſt ſuperlatiuè bonum, nihil melius eſſe poteſt: ſic autem eſt vniuerſum, vt patet in textu.

2. Vniuerſum includit omne bonum: ſed nihil poteſt eſſe omni bono melius; ergo.

Dicendum quòd bonum vniuerſi conſiſtit in duplici ordine, ſcilicet in ordine partium vniuerſi ad inuicem, & in ordine totius vniuerſi ad finem, qui eſt ipſe Deus. Sicut etiam eſt in exercitu, ordo

partium exercitus adinuicem ſecundùm diuerſa officia; & eſt ordo ad bonum ducis, quod eſt victoria. Et hic ordo eſt præcipuus, propter quem eſt primus ordo.

Primo modo poteſt eſſe melius, non ſecundo modo; quia Deo nihil melius eſſe poteſt.

Ad 1. argum. R. quòd ſuppoſitâ naturâ eâdem talium partium vniuerſi, ſic melior ordo eſſe non potuit.

Ad 2. R. quòd nos non loquimur de vniuerſo quantùm ad hoc nomen, ſed quantùm ad hanc rem, quæ modò vniuerſum dicitur; in quo, quamuis omne quod actu bonum eſt contineatur; non tamen omne bonum quod Deus poteſt facile. *Lib. 1. ſent. Diſt. 44. q. 1. art. 2.*

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Per hoc ſignificatur quòd omnia approbauit: ſed nihil approbatur niſi quod amatur; ergo Deus omnia amat.

Amoris & amicitiæ differẽtia. Dicendum quòd amicitia addit aliquid ſupra amorem, quia ad rationem amoris ſufficit quòd homo velit bonum quodcumque alicui; ad rationem autem amicitiæ oportet quòd aliquis velit ei bonum quod vult ſibi, vt ſcilicet velit conuerſati cum ipſo, & conuiuere in illis quæ maximè amat.

Sic ergo Deus communiter loquendo de dilectione, diligit omnia in quantùm vult eis bonum aliquod ſcilicet naturale ipſorum: ſed bonum quod ipſe ſibi vult, ſcilicet viſionem ſui, & fruitionem qua ipſe beatus eſt, vult quidem omni creaturæ rationali voluntate antecedente; ſed voluntate conſequente ſolùm electis, quæ eſt voluntas ſimpliciter. Et ideo ſolos electos diligit amore amicitiæ, alia autem diligit amore communiter dicto, in quantùm ſunt bona. *Lib. 3. ſent. Diſt. 32. q. 1. art. 2.*

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Ibi manifeſtè oſtenditur bonitatem Dei, & non malitiam cuiuſcumque creaturæ fuiſſe cauſam bonorum operum condendorum. *In qq. diſp. q. 3. de potentia art. 10. in corp.*

Et erant valde bona. Videtur quòd circumſcripta omni Dei actione, per ſe res in eſſe remaneant. Dicitur enim, *Dei perfecta ſunt opera.* Ex hoc ſic arguitur: perfectum eſt cui nihil deeſt: ei autem aliquid deeſt ad ſuum eſſe, quod non poteſt eſſe, niſi aliquo exteriori agente; ergo huiuſmodi perfectum non eſt Dei; ergo talia opera non ſunt. *Deut. 32. v. 4.*

2. Deus eſt cauſa rerum ſicut efficiens: ſed ceſſante actione cauſæ efficientis, remanet effectus; ergo ceſſante omni Dei actione, adhuc poſſunt creaturæ in eſſe remanere.

3. Si res aliqua deſinit eſſe, aut hoc eſt propter materiam, aut propter hoc quod eſt ex nihilo: materia autem non eſt cauſa corruptionis, niſi ſecundùm quod eſt ſubiecta contrarietati: non autem in omnibus creaturis eſt materia contrarietati ſubiecta; ergo illa in quibus non eſt materia contrarietati ſubiecta, ſicut ſunt corpora cœleſtia & Angeli; non poſſunt deficere ratione materiæ. Nec iterum ratione eius quòd ſunt ex nihilo, quia ex nihilo nihil ſequitur, & in nihilum nihil agit; & ita non corrumpitur; ergo ceſſante omni

actione diuinâ; huiuſmodi res eſſe non deſinerent.

Eccl. 33. v. 15. 4. Dicitur, *intuere in omnia opera Altiſſimi, duo contra duo, vnum contra vnum*: ſed inter opera altiſſimi inuenitur aliquid quod indiget Dei conſeruatione; ergo etiam inuenitur inter opera Dei eius oppoſitum, ſcilicet quòd non eget Dei conſeruatione.

5. Appetitus naturalis non poteſt eſſe caſſus & vanus: ſed quælibet res naturaliter conſeruationem ſui eſſe appetit; poteſt ergo res per ſeipſam conſeruari in eſſe; aliàs appetitus naturalis eſſet vanus.

6. Ipſa vniuerſitas creaturarum eſt valde bona, vt patet in textu: ſed melius eſt quod non indiget aliquo exteriori ad ſui conſeruationem, eo quod indiget; ergo vniuerſitas creaturarum non indiget aliquo exteriori conſeruante.

Dicendum quòd omnis effectus à ſua cauſa dependet, ſecundùm quod eſt eius cauſa: ſed Deus eſt cauſa omnium; ergo omnia ab illo dependent etiam in conſeruari. Nec poteſt alicui creaturæ communicare quòd per ſe in eſſe conſeruetur abſque eo; non enim poteſt aliquid facere in diminutionem ſuæ auctoritatis: Hoc autem ſuo dominio præiudicaret, ſi aliquid abſque ipſius conſeruatione poſſet eſſe; ergo Deus hoc facere non poteſt.

Ad 1. argum. R. quod creaturæ Dei, ſunt perfectæ in ſua natura & in ſuo ordine: ſed inter alia quæ ad earum perfectionem requiruntur, hoc eſt etiam quòd à Deo contineantur in eſſe.

Ad 2. R. quòd inferiora agentia ſunt cauſa rerum quantùm ad earum fieri, non quantùm ad eſſe rerum per ſe loquendo: Deus autem per ſe eſt cauſa eſſendi; & ideo non eſt ſimile.

Ad 3. R. quòd creatura deficeret diuinâ actione ceſſante, non propter contrarium quod ſit in materia, quia ipſum etiam cum materia ceſſaret: ſed propter hoc quòd creatura eſt ex nihilo; non propter hoc quòd nihilum aliquid ageret ad corruptionem, ſed quòd non ageret ad conſeruationem.

Ad 4. R. quòd non oportet inter opera Dei, vno contradictoriè oppoſitorum inuento aliud inueniri, ſic enim eſſet inter ea aliquid increatum; cùm ſit ibi aliquid creatum: Quamuis hoc verum ſit de alijs oppoſitis. Ea verò de quibus eſt obiectio, ſunt contradictoriè oppoſita; vnde ratio non ſequitur.

Ad 5. R. quòd licet quælibet res naturaliter appetat ſui conſeruationem; non tamen quòd à ſe conſeruetur, ſed à ſua cauſa.

Ad 6. R. quòd vniuerſitas creaturarum non eſt optima ſimpliciter, ſed in genere creatorum: Vnde nihil prohibet eâ aliquid melius eſſe. *In quæſt. diſp. q. 5. de potentia art. 1. & 2.*

Et erant valde bona. Talis videtur eſſe vniuerſi perfectio, vt non deſit ei aliqua natura, quam poſſibile ſit eſſe: propter quod ſingula dicuntur bona, omnia autem ſimul valde bona. *In quæſt. diſp. q. vnica de ſpiritual. creatur. art. 5. in corp.*

Et erant valde bona. Videtur quod anima rationalis non debuerit vniri tali corpori humano; anima enim rationalis eſt ſubtiliſſima formarum corpori vnitarum: Terra

autem

autem eſt infima corporum; non ergo fuit conueniens quod corpori terreno vniretur.

2. Anima eſt ſubſtantia incorruptibilis: corpora autem noſtra ſunt corruptibilia; ergo non conuenienter vniuntur.

3. Anima eſt forma ſimplex: formæ autem ſimplici conuenit materia ſimplex; debuit igitur ſimplici corpori vniri, vt pote igni vel, aëri.

4. Anima vnitur corpori vt forma & vt motor; debuit igitur anima rationalis quæ eſt nobiliſſima formarum vniri corpori agilliſſimo ad motum; cuius contrarium videmus. Nam corpora auium ſunt agiliora ad motum; & ſimiliter corpora multorum animalium, quàm corpora hominum.

Pſ. 18. *v.* 2. 5. Enarrare eſt actus ſubſtantiæ intelligentis; ſed *cæli enarrant gloriam Dei*, ergo ſunt intelligentes, & ita habent animam intellectiuam.

6. Anima eſt perfectiſſima formarum; debuit ergo vniri perfectiori corpori: Corpus autem humanum videtur eſſe imperfectiſſimum; non enim habet arma ad defendendum vel impugnandum; neque operimenta, &c. quæ natura corporibus aliorum animalium tribuit; non igitur talis anima tali corpori debuit vniri.

Eccl 17. *v.* 1. Sed contra eſt quod dicitur; *Deus de terra creauit hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum*: ſed opera Dei ſunt conuenientia vt patet in textu; ergo conueniens fuit vt anima rationalis, corpori terreno vniretur.

Dicendum quòd cùm materia ſit propter formam, & non è conuerſo; ex parte animæ oportet accipere rationem, quale debeat eſſe corpus cui vnitur: Anima enim nõ ſolùm eſt corporis forma & motor, ſed etiam finis. Eſt autem naturale animæ humanæ corpori vniri; quia cùm ſit infima in ordine intellectualium ſubſtantiarum; non habet intelligibiles ſpecies ſibi naturaliter inditas, quibus in operationem propriam exire poſſit, quæ eſt intelligere; ſicut habent ſuperiores ſubſtantię intellectuales, ſed eſt in potentia ad eas, cùm ſit ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt ſcriptum. Vnde oportet quòd ſpecies intelligibiles à rebus exterioribus accipiat, mediantibus potentiis ſenſitiuis; quæ ſine corporeis organis operationes proprias habere non poſſunt: vnde & animam humanam neceſſe eſt corpori vniri.

Si ergo propter hoc anima humana vnibilis eſt corpori, quia indiget accipere ſpecies intelligibiles à rebus mediante ſenſu; neceſſarium eſt quòd corpus, cui anima rationalis vnitur, tale ſit; vt poſſit eſſe aptiſſimum ad repræſentandum intellectui ſpecies ſenſibiles, ex quibus in intellectu intelligibiles ſpecies reſultent. Sic ergo oportet corpus, cui anima rationalis vnitur, eſſe optimè diſpoſitum ad ſentiendum.

Sed cùm plures ſint ſenſus, vnus tamen eſt qui eſt fundamentum aliorum, ſcilicet tactus, in quo principaliter tota natura ſenſitiua conſiſtit. Vnde propter hunc ſenſum primò animal dicitur: & inde eſt, quòd immobilitato hoc ſenſu, vt in ſomno accidit, omnes alii ſenſus immobilitantur. Et iterum,

Digitized by Google

omnes alii ſenſus non ſolùm ſoluuntur ab excellentia propriorum ſenſibilium, ſicut viſus à rebus multùm fulgidis, & auditus à maximis ſonis: ſed etiam ab excellentia ſenſibilium ſecundùm tactum, vt à forti calore vel frigore.

Cùm igitur corpus, cui anima rationalis vnitur, debeat eſſe optimè diſpoſitum ad naturam ſenſitiuam; neceſſarium eſt vt habeat conuenientiſſimum organum ſenſus tactus; propter quod dicitur quòd hunc ſenſum habemus altiorem inter omnia animalia; & quòd propter bonitatem huius ſenſus, etiam vnus homo alio eſt habilior ad intellectuales operationes: molles enim carne (qui ſunt boni tactus) aptos mente videmus.

Cùm autem organum cuiuſlibet ſenſus non debeat habere in actu contraria, quorum ſenſus eſt perceptiuus; ſed eſſe in potentia ad illa vt poſſit ea recipere; quia recipiens debet eſſe denudatum à recepto: Organum enim viſus, ſcilicet pupilla, caret omni colore; & ſimiliter eſt in auditu & olfactu. Hoc autem in tactu accidere non poteſt: nam tactus eſt cognoſcitiuus eorum; ex quibus neceſſe eſt componi corpus animalis; ſcilicet caloris & frigoris, humidi & ſicci, Vnde impoſſibile eſt quod organum tactus omnino ſit denudatum à genere ſui ſenſibilis: ſed oportet quod ſit reductum ad medium; ſic enim eſt in potentia ad contraria.

Corpus ergo, cui anima rationalis vnitur, cùm debeat eſſe conuenientiſſimum ad ſenſum tactus; oportet quòd ſit maximè reductum ad medium per æqualitatem complexionis. In quo apparet quòd tota operatio inferioris naturæ terminatur ad hominem, ſicut ad perfectiſſimum. Hanc igitur oportet eſſe diſpoſitionem corporis, cui anima rationalis vnitur, vt ſcilicet ſit temperatiſſimæ complexionis.

Si quis autem conſiderare velit etiam particulares humani corporis diſpoſitiones, ad hoc inueniet ordinatas, vt homo ſit optimi ſenſus. Vnde quia ad bonam habitudinem potentiarum ſenſitiuarum interiorum, puta, imaginationis, & memoriæ & cogitatiuæ virtutis, neceſſaria eſt bona diſpoſitio cerebri; ideo factus eſt homo habens maius cerebrum inter omnia animalia, ſecundùm proportionem ſuæ quantitatis. Et vt liberior ſit eius operatio, habet caput ſurſum poſitum; quia ſolus homo eſt animal rectum. Alia verò animalia curua incedunt, Et ad hanc rectitudinem habendam & conſeruandam, neceſſaria fuit abundantia caloris in corde, per quam multi ſpiritus generentur; vt per caloris abundantiam & ſpirituum, corpus poſſit in directum ſuſtineri: cuius ſignum eſt, quòd in ſenio incuruatur homo, cùm calor naturalis debilitatur, Et per iſtum modum ratio diſpoſitionis humani corporis eſt aſſignanda quantùm ad ſingula, quæ ſunt homini propria.

Sed tamen conſiderandum eſt, quòd in his quæ ſunt ex materia, ſunt quædam diſpoſitiones in ipſa materia, propter quas talis materia eligitur ad hanc formam. Et ſunt aliquæ quæ conſequuntur ex neceſſitate materiæ, & non ex ele-

Digitized by Google

ctione agentis; ſicut ad faciendam ſerram, artifex eligit duritiem in ferro; vt ſit ſerra vtilis ad ſecandum: ſed quòd acies ferri hebetari poſſit & fieri rubiginoſa, hoc accidit ex neceſſitate materiæ. Magis enim artifex eligeret materiam ad quam hoc non conſequeretur, ſi poſſet inueniri: ſed quia inueniri non poteſt, propter huiuſmodi defectus conſequentes; non prætermittit ex huiuſmodi materia conuenienti facere opus.

Sic igitur & in corpore humano contingit; quod enim taliter ſit commiſtum, & ſecundùm partes diſpoſitum, vt ſit conuenientiſſimum ad operationes ſenſitiuas; eſt electa in hoc materia à factore hominis: ſed quòd hoc corpus ſit corruptibile, fatigabile, & huiuſmodi defectus habeat; conſequitur ex neceſſitate materiæ: neceſſe eſt enim corpus ſic miſtum ex contrariis, ſubiacere talibus defectibus.

Nec poteſt obuiari per hoc quòd Deus potuit aliter facere, quia in inſtitutione naturæ, non quæritur quid Deus facere potuit; ſed quid rerum natura patitur vt fiat.

Sciendum tamen eſt quòd in remedium horum defectuum, Deus homini in ſua inſtitutione contulit auxilium iuſtitiæ originalis; per quam corpus eſſet omnino ſubditum animæ, quandiu anima Deo ſubderetur: ita quod nec mors, nec aliqua paſſio vel defectus homini accideret, niſi priùs anima ſepararetur à Deo. Sed per peccatum animâ recedente à Deo, homo priuatus eſt hoc beneficio, & ſubiacet defectibus, ſecundùm quod natura materiæ requirit.

Ad 1. argum. R. quòd licet anima ſit ſubtiliſſima formarum, in quantum eſt intelligens; quia tamen cùm ſit infima in genere formarum intelligibilium, indiget corpori vniri, quod ſit mediante complexione ad hoc, quòd per ſenſus ſpecies intelligibiles poſſit acquirere; neceſſarium fuit quòd corpus cui vnitur, haberet plus in quantitate de grauibus elementis, ſcilicet terra & aqua. Cum enim ignis ſit efficaciſſimæ virtutis in agendo, niſi ſecundùm quantitatem inferiora elementa excederent; non poſſet fieri commiſtio, & maximè reducta ad medium: ignis enim alia elementa conſumeret.

Ad 2. R. quòd corruptibilitas eſt ex defectibus qui conſequuntur corpus humanum ex neceſſitate materiæ; & maximè poſt peccatum, quod ſubtraxit auxilium gratiæ.

Ad 3. R. quòd corpus hominis non potuit eſſe corpus ſimplex, nec corpus cœleſte potuit eſſe propter paſſibilitatem organi ſenſus, & præcipuè tactus. Neque corpus ſimplex elementare; quia in elemento ſunt contraria in actu: corpus autem humanum oportet eſſe reductum ad medium.

Ad 4. R. quòd anima non vnitur corpori propter motum localem: ſed magis motus localis hominis, ſicut & aliorum animalium, ordinatur ad conſeruationem corporis vniti animæ: ſed anima vnitur corpori propter intelligere, quod eſt propria & principalis eius operatio. Et ideo requiritur quòd corpus vnitum animæ rationali, ſit optimè diſpoſitum ad ſeruiendum animæ in his, quæ ſunt

turis bonum naturæ, propter quod dicitur omnia diligere, *Diligis omnia quæ ſunt.* Sed ratione huiuſmodi acceptationis, non conſueuimus dicere aliquem habere gratiam Dei; ſed in quantum Deus vult ei aliquod bonum ſupernaturale, quod eſt vita æterna: ſed hoc bonum Deus non vult alicui indigno. Ex natura autem ſua homo non eſt dignus tanto bono, cùm ſit ſupernaturale; & ideo ex hoc ipſo quod ponitur aliquis Deo gratus reſpectu huius boni, ponitur quòd ſit dignus tali bono ſupra ſua naturalia; quodquidem non mouet diuinam voluntatem, vt hominem ad bonum illud ordinet, ſed potiùs è conuerſo; quia ex hoc ipſo quòd Deus ſua voluntate aliquem ordinat ad vitam æternam, præſtat ei aliquid, per quod ſit dignus vita eterna. Et huius ratio eſt, quia ſicut ſcientia Dei eſt cauſa rerum, non cauſata à rebus, vt noſtra; ita voluntas eius eſt effectrix boni, & non cauſata à bono, ſicut noſtra.

Sap 11. v. 25.

Sic ergo homo dicitur Dei gratiam habere, non ſolùm ex hoc quòd à Deo diligitur in vitam æternam; ſed ex hoc quòd datur ei aliquod donum, per quod eſt dignus vita æterna: & hoc donum dicitur gratia gratum faciens; aliter enim in peccato mortaliter exiſtens, poſſet dici in gratia eſſe; ſi gratia ſolam acceptationem diuinam diceret: cùm contingat aliquem peccatorem eſſe prædeſtinatum ad vitam æternam habendam.

Sic igitur gratia gratum faciens poteſt dici gratis data, ſed non è conuerſo; quia non omne donum gratis datum nos dignos vita æterna facit.

Ad 1. argum. R. quòd eſſe naturale per creationem Deus facit in nobis nullâ cauſâ agente mediante; ſed tamen mediante aliquâ cauſâ formali. Sicut pictor album facit parietem effectiuè albedine mediante; albedo verò nullâ formâ mediante, quia facit album formaliter. Et ſimiliter eſſe ſpirituale gratuitum, Deus facit in nobis nullo agente mediante; ſed tamen mediante aliquâ formâ creatâ, quæ eſt gratia.

Ad 2. R. quòd nulla creatura ſimpliciter eſt animâ Chriſti nobilior, ſed ſecundùm quid. Sic omne accidens animæ eſt ea nobilior, in quantum comparatur ad ipſam vt forma eius. Vel poteſt dici quòd gratia in quantum creatum, non eſt nobilior anima Chriſti: ſed in quantum eſt quædam ſimilitudo diuinæ bonitatis expreſſior quàm ſimilitudo naturalis, quæ eſt in anima Chriſti.

Ad 3 R. quòd aliæ creaturæ irrationales acceptantur à Deo ſolummodo reſpectu bonorum naturalium. Vnde diuina acceptatio nihil in eis addit ſupra naturalem conditionem, per quam huiuſmodi bonis proportionata ſunt: Homo autem acceptatur à Deo reſpectu boni ſupernaturalis: & ideo requiritur aliquid ſuperadditum naturalibus, per quod ad illud bonum proportionetur. *In quæſt. diſp. q. 27. quæ eſt de gratia art. 1.*

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Deus omnes res cognoſcit prout abinuicem ſunt diſtinctæ, quod eſt cognoſcere res ſecundùm proprias rationes earum. Sic autem cognoſcit quia eſt cauſa omnis entis, & agit per intelle-

Bibliotheq. d. M. Transpontine de Verbo

ctum : omnis autem qui agit per intellectum, habet cognitionem de re quam agit ſecundùm propriam facti rationem : quia cognitio facientis determinat formam facto.

Ampliùs rerum diſtinctio non poteſt eſſe caſu, habet enim ordinem certum : oportet igitur ex alicuius cauſæ intentione diſtinctionem in rebus eſſe ; non autem ex intentione alicuius cauſæ per neceſſitatem naturæ agentis, quia natura determinatur ad vnum : & ſic nullius rei per naturæ neceſſitatem agentis intentio poteſt eſſe ad multa, in quantùm diſtincta ſunt. Reſtat ergo quòd diſtinctio in rebus prouenit ex intentione alicuius cauſæ cognoſcentis.

Vniuerſalis autem rerum diſtinctio non poteſt eſſe ex intentione alicuius cauſarum ſecundarum: quia omnes huiuſmodi cauſæ ſunt de vniuerſitate cauſatorum diſtinctorum. Eſt igitur primæ cauſæ, quæ per ſeipſam ab omnibus aliis diſtinguitur, intendere diſtinctionem omnium rerum ; Deus igitur cognoſcit res vt diſtinctas.

Cognitio Dei perfecta.

Item quicquid Deus cognoſcit, perfectiſſimè cognoſcit ; eſt enim in eo omnis perfectio, ſicut in ſimpliciter perfecto : quod autem cognoſcitur in communi tantùm, non perfectè cognoſcitur ; ignorantur enim ea quæ ſunt præcipua illius rei, ſcilicet vltimæ perfectiones, quibus perficitur proprium eſſe eius. Vnde tali cognitione magis cognoſcitur res in potentia quàm in actu.

Adhuc quicumque cognoſcit naturam aliquam, cognoſcit per ſe accidentia illius naturæ : per ſe autem accidentia entis in quantùm eſt ens, ſunt vnum & multa : Deus igitur ſi cognoſcendo eſſentiam ſiue naturam, cognoſcit in vniuerſali naturam entis, ſequitur quòd cognoſcat multitudinem : multitudo autem ſine diſtinctione intelligi non poteſt ; intelligit igitur res prout ſunt ab inuicem diſtinctæ.

Præterea quicumque cognoſcit perfectè aliquid, cognoſcit omnia quæ ſunt in illo : ſed Deus cognoſcit ſeipſum perfectè ; ergo cognoſcit omnia quæ ſunt in ipſo ſecundùm potentiam actiuam : ſed omniaq; ſecundùm proprias formas ſunt in ipſo ſecundùm potentiam actiuam, cùm ipſe ſit omnis entis principium ; ipſe igitur habet cognitionem propriam de omnibus rebus.

Adhuc quicumque ſcit aliquam naturam, ſcit an illa natura ſit communicabilis : non enim animalis naturam ſciret perfectè, qui neſciret illam pluribus communicabilem eſſe : Diuina autem natura communicabilis eſt per ſimilitudinem ; ſcit ergo Deus quot modis eius eſſentiæ aliquid ſimile eſſe poteſt. Sed ex hoc ſunt diuerſitates formarum, quia diuinam eſſentiam res diuerſimodè imitantur ; Deus igitur de rebus habet cognitionem ſecundùm proprias formas. Propter quod dicitur *vidit Deus cuncta, &c.* Et *non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius ; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius. Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 50. *Hebr.* 4. *v.* 13.

Et erant valde bona. Rerum diſtinctio non proceſſit ex meritorum vel demeritorum diuerſitate, vt poſuit Origenes : quia quantò aliquid eſt melius in effectibus,

Digitized by Google

tantò eſt priùs in intentione agentis. Optimum autem in rebus creatis eſt perfectio vniuerſi, quæ conſiſtit in ordine diſtinctarum rerum: in omnibus enim perfectio totius præeminet perfectioni ſingularum partium; igitur diuerſitas rerum prouenit non ex diuerſitate meritorum, ſed ex principali intentione primi agentis.

Rerum diſtinctio nõ proceſſit ex meritorum diuerſitate.

Adhuc ſi omnes creaturæ rationales à principio fuerunt æquales creatæ, oportet dicere quòd vna earum in ſua operatione ab alia non dependet. Quod autem prouenit ex concurſu diuerſarum cauſarum, quarum vna ab alia non dependet, eſt caſuale; igitur ſecundùm prædictam poſitionem talis diſtinctio, & ordo rerum eſt caſualis, quod eſt impoſſibile.

Ampliùs. Quod eſt alicui naturale, non acquiritur ab eo per voluntatem; motus enim voluntatis ſiue liberi arbitrii præſupponit exiſtentiam volentis, ad quam eius naturalia exiguntur; ſi igitur per motum liberi arbitrii acquiſitus eſt diuerſus gradus rationalium creaturarum, nulli creaturæ rationali erit ſuus gradus naturalis, ſed accidentalis: hoc autem eſt impoſſibile, cùm enim differentia ſpecifica ſit vnicuique naturalis, ſequitur quòd omnes ſubſtantiæ rationales creatæ, ſint vnius ſpeciei; ſcilicet Angeli; dæmones & animæ humanæ, & animæ cœleſtium corporum, quæ Origenes animata ponebat. Et hoc eſſe falſum diuerſitas actionum naturalium declarat; non enim eſt idem modus quo naturaliter intelligit intellectus humanus, qui ſenſu & phantaſiâ indiget, & intellectus angelicus, & anima ſolis; niſi fortè fingamus Angelos & cœleſtia corpora habere carnes & oſſa, & alias huiuſmodi partes, ad hoc quod poſſint organa ſenſuum habere, quod eſt abſurdum. Relinquitur igitur quòd diuerſitas ſubſtantiarum intellectualium non conſequitur diuerſitatem meritorum, quæ ſunt ſecundùm motus liberi arbitrii.

Item ſi huic ſubſtantiæ rationali non conuenit in quantum eſt talis ſubſtantia, huic corpori vniri, ſed magis in quantum eſt; ſic materia huic corpori, non eſt ei per ſe, ſed per accidens Ex his autem quæ per accidens vniuntur, non reſultat aliqua ſpecies; quia non fit ex eis vnum per ſe; non enim eſt aliqua ſpecies homo albus, vel homo veſtitus. Relinquitur igitur quòd homo non ſit aliqua ſpecies, nec ſol, nec luna, nec aliquid huiuſmodi.

Præt. Cùm multitudo ſine diuerſitate eſſe non poſſit, ſi fuerunt à principio creaturæ rationales in quadam multitudine conſtitutæ, oportuit in eis aliquam diuerſitatem fuiſſe: Aliquid ergo habuit vna earum quod non habuit altera. Et ſi hoc ex diuerſitate meriti non procedat, pari ratione nec fuit neceſſe vt gradus diuerſitas ex meritorum diuerſitate proueniret.

Item ſi creaturæ rationales ſine corporibus ſubſiſtere poſſunt, non fuit neceſſarium propter diuerſa merita, rationalium creaturarum diuerſitatem in natura corporali inſtitui; quia & ſine diuerſitate corporum poterat diuerſus gradus in ſubſtantiis rationalibus inueniri.

Si autem creaturæ rationales ſine corporibus ſubſiſtere non poſſunt; ergo à principio ſimul cum creatura rationali, eſt etiam creatura corporalis inſtituta. Maior eſt autem diſtantia corporalis creaturæ ad ſpiritualem, quàm ſpiritualium creaturarum adinuicem; ſi igitur à principio Deus tam magnam diſtantiam in ſuis creaturis inſtituit, abſque aliquibus meritis præcedentibus; non oportuit merita diuerſa præcedere ad hoc, quòd in diuerſis gradibus creaturæ rationales inſtituerentur.

Præt. cùm creatura ſpiritualis non mereatur deſcendere niſi per peccatum, deſcendit autem à ſua ſublimitate, in qua inuiſibilis eſt per hoc quod viſibilibus corporibus vnitur; videtur ſequi, quod viſibilia corpora ſint eis adiuncta propter peccatum; quod videtur propinquum errori Manichæorum ponentium hæc viſibilia ex malo principio proceſſiſſe.

Huic etiam opinioni auctoritas S. ſcripturæ manifeſtè contradicit; quia in ſingulis operibus viſibilium creaturarum, tali modo loquendi vtitur Moyſes, *videns Deus quòd eſſet bonum*, &c. Et poſtmodum de cunctis ſimul ſubiungit, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Ex quo manifeſtè datur intelligi quòd creaturæ corporales, & viſibiles, ideo ſunt factæ, quia bonum eſt eas eſſe, quod eſt conſonum diuinæ bonitati; & non propter aliqua creaturarum rationalium merita, vel peccata. *Contra Gentiles lib. 2. cap. 44. ſimile 1. p. q. 47. art. 2.*

Et erant valde bonæ. Deus eſt prima cauſa diſtinctionis rerum, cùm enim omne agens intendat ſuam ſimilitudinem in effectum inducere, ſecundùm quod effectus capere poteſt; tantò hoc agit perfectius, quantò agens perfectius eſt: patet enim quòd quantò aliquid eſt calidius, tantò facit magis calidum; & quantò eſt aliquis melior artifex, tantò formam artis perfectius inducit in materiam. Deus autem eſt perfectiſſimum agens; ſuam igitur ſimilitudinem in rebus creatis ad eum pertinebat inducere perfectiſſimè, quantùm naturæ creatæ conuenit: ſed perfectam Dei ſimilitudinem non poſſunt conſequi res creatæ ſecundùm vnam ſolam ſpeciem creaturæ; quia cùm cauſa excedat effectum, quod eſt in cauſa ſimpliciter & vnitè; in effectu inuenitur compoſitè & multipliciter; niſi effectus pertingat ad ſpeciem cauſæ, quod in propoſito dici non poteſt; non enim creatura poteſt eſſe Deo æqualis. Oportuit igitur eſſe multiplicitatem & varietatem in rebus creatis, ad hoc quod inueniretur in eis Dei ſimilitudo perfecta, ſecundùm modum ſuum.

Ampliùs. Sicut ea quæ fiunt ex materia, ſunt in potentia materiæ paſſiua; ita quæ fiunt ab agente, oportet eſſe in potentia actiua agentis: Non autem potentia paſſiua materiæ perfectè reduceretur in actum, ſi ex materia fieret vnum tantùm eorum, ad quæ materia eſt in potentia; ergo ſi aliquis agens, cuius potentia eſt ad plures effectus, faceret vnum illorum tantùm; potentia eius non ita completè reduceretur in actum, ſicut cùm facit plura. Per hoc autem quòd potentia actiua reducitur in actum,

actum; effectus conſequitur ſimilitudinem agentis; ergo non eſſet perfecta Dei ſimilitudo in vniuerſo, ſi eſſet vnus tantùm gradus omnium entium. Propter hoc igitur eſt diſtinctio in rebus creatis, vt perfectiùs Dei ſimilitudinem conſequantur per multa, quàm per vnum.

Adhuc, bonitas ſpeciei excedit bonitatem indiuidui, ſicut formale id quod eſt materiale; magis igitur addit ad bonitatem vniuerſi multitudo ſpecierum, quàm multitudo indiuiduorum in vna ſpecie. Eſt igitur ad perfectionem vniuerſi pertinens, non ſolùm quòd multa ſint indiuidua; ſed quòd ſint etiam diuerſæ rerum ſpecies, & per conſequens diuerſi gradus in rebus.

Item, omne quod agit per intellectum, repræſentat ſpeciem ſui intellectus in re facta; ſic enim agens ſibi per artem facit ſimile: Deus autem fecit creaturam vt agens per intellectum, & non per neceſſitatem naturæ; ſpecies igitur intellectus diuini repræſentatur in creatura per ipſum facta: intellectus autem multa intelligens non ſufficienter repræſentatur in vno tantùm: cùm igitur intellectus diuinus multa intelligat, perfectiùs ſeipſum repræſentat, ſi plures vniuerſorum graduum producat, quàm ſi vnum tantùm produxiſſet.

Hinc eſt quòd dicitur. *Vidit Deus cuncta, &c.* Cùm de ſingulis dixiſſet quòd ſunt bona; quia ſingula quidem ſunt in ſuis naturis bona, ſimul autem omnia valde bona, propter ordinem vniuerſi; qui eſt vltima & nobiliſſima perfectio in rebus. *Contra Gentiles lib. 2. cap. 45.*

Et erant valde bona. Videtur quòd anima humana non incipiat cum corpore, ſed fuerit ab æterno. Nam id quod nunquam eſſe deſinet, habet virtutem vt ſit ſemper; quod autem habet virtutem, nunquam de eo verum eſt dicere, non eſſe; quia quantùm ſe extendit virtus eſſendi, tantùm res durat in eſſe: Omne autem quod incipit eſſe eſt aliquando verum dicere, non eſſe, quod igitur numquam deſinet eſſe, nec eſſe aliquando incipiet.

2. Illud non eſt perfectum, cui plurimæ ſuarum partium principalium deſunt: patet autem principales partes vniuerſi eſſe intellectuales ſubſtantias, in quarum genere ſunt animæ humanæ; ſi igitur quotidie de nouo tot animæ humanæ eſſe incipiant, quot homines naſcuntur; patet quotidie vniuerſo plurimas principalium ſuarum partium addi, & plurimas ei deeſſe; ſequitur igitur vniuerſum eſſe imperfectum, quod eſt impoſſibile.

Deus die ſeptimo *compleuit opus ſuum quod fecerat, & requieuit ab omni opere quod patrarat*: Hoc autem non eſſet, ſi quotidie nouas animas faceret; non igitur animæ humanæ eſſe incipiunt, ſed à principio mundi fuerunt. *Gen 2. v. 3. 25.*

Dicendum quòd vnicuique formæ naturale eſt propriæ materiæ vniri, alioquin conſtitutum ex materia & forma eſſet aliquid præter naturam: priùs autem attribuitur vnicuique, quod conuenit ei ſecundùm naturam, quàm quod conuenit ei præter naturam: Quod enim conuenit alicui præter natu-

Digitized by Google

ram, ineſt ei per accidens; quod autem conuenit ei ſecundùm naturam, ineſt ei per ſe. Quod autem per accidens eſt, ſemper poſterius eſt eo, quod eſt per ſe; animæ igitur priùs conuenit eſſe vnitam corpori, quàm eſſe à corpore ſeparatam; non eſt igitur creata ante corpus cui vnitur.

Ampliùs. Omnis pars à ſuo toto ſeparata, eſt imperfecta: anima autem cùm ſit forma, eſt pars ſpeciei humanæ; igitur exiſtens per ſe abſque corpore, eſt imperfecta; perfectum autem eſt priùs imperfecto in rerum naturalium ordine; non igitur competit naturæ ordini, quòd anima fuerit priùs creata à corpore exuta, quàm corpori vnita.

Si dicatur quòd anima corpori vnitur ex diuina ordinatione, hoc non videtur conueniens, ſi animæ ante corpora fuerunt creatæ: vnumquodque enim Deus inſtituit ſecundùm conuenientem modum ſuæ naturæ, vt pâtet in textu. Si igitur animas creauit à corporibus ſeparatas, oportet dicere quòd hic modus eſſendi ſit conuenientior naturæ earum: non eſt autem ad ordinationem diuinæ bonitatis pertinens, res ad inferiorem ſtatum reducere, ſed magis ad meliorem promouere; non igitur ex diuina ordinatione factum fuiſſet, quòd anima corpori vniretur.

Ad 1. argum. R. quod dicitur animam habere virtutem vt ſit ſemper, concedi oportet: ſed ſciendum quòd virtus & potentia rei non ſe extendit ad id quod fuit, ſed ad id quod eſt vel erit: vnde & in præteritis poſſibilitas locum non habet. Non igitur ex hoc quod anima habet virtutem vt ſit ſemper, poteſt concludi quòd ſemper fuerit, ſed quòd ſemper erit.

Præterea ex virtute non ſequitur id, ad quod eſt virtus, niſi præſuppoſitâ virtute. Quamuis igitur anima habeat virtutem vt ſit ſemper, non tamen poteſt concludi quòd anima ſit ſemper; niſi poſtquam hanc virtutem accepit. Si autem ſumatur quòd hanc virtutem ab æterno habuerit, erit petitum id quod oportebit probari, ſcilicet quod fuerit ab æterno.

Ad 2. R. quòd vniuerſi perfectio attenditur quantùm ad ſpecies, non quantùm ad indiuidua: animæ autem humanæ non ſunt diuerſæ ſecundùm ſpeciem, ſed ſolùm numero: vnde non repugnat perfectioni vniuerſi, ſi animæ de nouo creentur. Et per hoc patet ſolutio ad 3. Quies enim Dei eſt intelligenda ſecundùm ceſſationem à nouis ſpeciebus condendis, non autem à nouis indiuiduis, quorum ſimilia ſecundùm ſpeciem præceſſerunt. *Contra Gentiles lib. 2. cap. 83. & 84.*

Et erant valde bona. Omne agens in agendo intendit aliquem finem; in his enim quæ manifeſtè propter finem agunt, hoc dicitur eſſe finem, in quod tendit impetus agentis; hoc enim adipiſcens, dicitur adipiſci finem; deficiens autem dicitur deficere à fine intento: ſicut patet in medico agente ad ſanitatem, & homine currente ad certum terminum. Omne agens agit propter finem.

Nec differt quantùm ad hoc, vtrum quod tendit in finem ſit cognoſcens vel non; ſicut enim ſignum eſt finis ſagittantis, ita eſt finis motus ſagittæ: omnis autem

agentis impetus ad aliquid certum tendit; non enim ex quacumque virtute quæuis actio procedit, ſed à calore quidem calefactio, à frigore autem infrigidatio: vnde & actiones ſecundùm diuerſitatem actiuorum ſpecie differunt.

Actio verò quandoque quidem terminatur ad aliquod factum, ſicut ædificatio ad domum, & ſanatio ad ſanitatem: quandoque autem non, ſicut intelligere & ſentire. Et ſi quidem actio terminatur ad aliquod factum, impetus agentis per actionem tendit in illud factum: ſi autem non terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit in ipſam actionem. Oportet igitur quod omne agens in agendo intendat finem; quandoque quidem actionem ipſam, quandoque aliquid per actionem factum.

2. In omnibus agentibus propter finem, hoc eſſe vltimum finem dicimus, vltra quod agens non quærit aliquid: ſicut actio medici eſt vſque ad ſanitatem; eâ verò conſecutâ, non conatur ad aliquid vlterius. Sed in actione cuiuſlibet agentis eſt venire ad aliquid, vltra quod agens non quærit aliquid; aliàs enim actiones in infinitum tenderent, quod eſt impoſſibile; omne igitur agens agit propter finem.

3. Si agens non tenderet ad aliquem effectum determinatum, omnes effectus eſſent ei indifferentes: Quod autem indifferenter ſe habet ad multa, non magis vnum eorum operatur quàm aliud: vnde à contingente ad vtrumque non ſequitur aliquis effectus, niſi per aliquid quod determinetur, ad vnum; impoſſibile igitur eſſet quod ageret. Omne igitur agens tendit ad aliquem determinatum effectum, qui dicitur finis eius.

Sunt autem aliquæ actiones, quæ non videntur eſſe propter finem, ſicut actiones ludicræ & contemplatiuæ, & actiones quæ abſque attentione fiunt, ſicut confricatio barbæ & huiuſmodi; ex quibus aliquis opinari poteſt quod ſit aliquod agens non propter finem.

Sed ſciendum quòd actiones contemplatiuæ non ſunt propter alium finem, ſed ipſæ ſunt finis: Actiones autem ludicræ interdum ſunt finis; ſicut cùm quis ſolùm ludit propter delectationem quæ in ludo eſt: quandoque autem ſunt propter finem; ſicut cùm ludimus vt poſtmodum fortiùs ſecundò agamus. Actiones autem quæ fiunt ſine attentione, non ſunt ab intellectu, ſed ab aliqua ſubita imaginatione, vel naturali principio; ſicut inordinatio humoris pruritum excitantis, eſt cauſa confricationis barbæ, quæ fit ſine attentione intellectus. Et hæc ad aliquos fines tendunt, licet præter ordinem intellectus.

Ex his ſequitur, quòd omne agens agit propter bonum; quia quodlibet agens tendit ad aliquod determinatum: Id autem ad quod agens determinatè tendit, oportet eſſe conueniens ei; non enim tenderet in ipſum, niſi propter aliquam conuenientiam ad ipſum: Quod autem conueniens eſt alicui, eſt illi bonum; ergo omne agens agit propter bonum. Omne agens agit propter bonum.

2. Finis eſt in quo quieſcit appetitus agentis vel mouentis, & eius quod mouetur: Hoc autem eſt de

ratione boni vt terminet appetitum; nam bonum eſt quod omnia appetunt; omnis ergo actio & motus eſt propter bonum.

3. Omnis actio & motus eſt propter aliquam perfectionem ſi enim ipſa actio ſit finis, manifeſtum eſt quòd eſt perfectio ſecunda agentis: ſi autem actio ſit tranſmutatio exterioris materiæ, manifeſtum eſt quòd mouens intendit aliquam perfectionem inducere in re mota, in quam etiam tendit mobile, ſi ſit motus naturalis. Hoc autem dicimus eſſe bonum, quod eſt eſſe perfectum; omnis igitur actio & motus eſt propter bonum.

4. Omne agens agit ſecundùm quod eſt actu; agendo autem tendit in ſibi ſimile; igitur tendit in actum aliquem: Actus autem omnis habet rationem boni, nam malum non inuenitur, niſi in potentia deficiente ab actu; omnis igitur actio eſt propter bonum.

Ex quo apparet quod malum eſt præter intentionem in rebus, & incipit præter intentionem agentium: Quod enim ex actione conſequitur, diuerſum ab eo quod erat in intentione, ſiue intentum ab agente; manifeſtum eſt præter intentionem accidere: malum autem diuerſum eſt à bono quod intendit omne agens; eſt igitur malum præter intentionem eueniens.

Sunt autem quædam quæ huic ſententiæ aduerſari videntur; quod enim accidit præter intentionem agentis, dicitur eſſe fortuitum & caſuale, & in paucioribus accidens: malum autem fieri non dicitur fortuitum & caſuale, neque vt in paucioribus accidens: ſed ſemper, vel in pluribus: in naturalibus enim ſemper generationi corruptio adiungitur. In agentibus etiam per voluntatem in pluribus peccatum accidit: cùm difficile ſit ſecundùm virtutem agere, ſicut attingere centrum in circulo: non igitur videtur malum eſſe proueniens præter intentionem.

Præterea, Omnis motus naturalis habet finem intentum à natura: corruptio autem eſt mutatio naturalis, ſicut & generatio: finis igitur eius, qui eſt priuatio habens rationem mali, eſt intentus à natura, ſicut etiam forma & bonum: quæ ſunt generationis finis.

Vt autem poſitarum rationum ſolutio manifeſtior fiat, conſiderandum eſt, quòd malum conſiderari poteſt vel in ſubſtantia aliqua, vel in actione ipſius. Malum quidem in ſubſtantia aliqua eſt, ex eo quod deficit ei aliquid quod natum eſt, & debet habere. Si enim homo non habet alas, non eſt ei malum: quia non eſt natus eas habere. Si etiam homo capillos flauos non habet, non eſt malum: quia & ſi natus eſt habere, non tamen eſt ei debitum vt habeantur: eſt tamen malum ſi non habeat manus, quas natus eſt & debet habere, ſi ſit perfectus; quod tamen non eſt malum aui.

Omnis autem priuatio, ſi ſtrictè accipiatur, eſt eius quòd quis natus eſt habere, & debet habere. In priuatione igitur ſic accepta eſt ratio mali. Materia autem cùm ſit in potentia ad omnes formas, omnes quidem nata eſt habere: Nulla tamen eſt ei debita, cùm ſine quauis vna earum poſſit eſſe perfecta in actu. Quælibet tamen earum

eſt debita alicui eorum, quæ ex materia conſtituuntur: nam non poteſt eſſe aqua, niſi habeat formam aquæ, &c. Priuatio igitur huiuſmodi formæ, comparata ad materiam, non eſt malum naturæ: ſed comparata ad id cuius eſt forma, eſt malum eius; ſicut priuatio formæ ignis, eſt malum ignis.

Et quia tam priuationes quàm habitus & formæ non dicuntur eſſe niſi ſecundùm quod ſunt in ſubiecto; ſiquidem priuatio ſit malum per comparationem ad ſubiectum in quo eſt, erit malum ſimpliciter: ſin autem erit malum alicuius & non ſimpliciter Hominem igitur priuari manu, eſt malum ſimpliciter: materiam autem priuari formâ aëris, non eſt malum ſimpliciter, ſed eſt malum aëris. Priuatio autem ordinis aut commenſurationis debitæ in actione, eſt malum actionis. Et quia cuilibet actioni eſt debitus aliquis ordo, & aliqua commenſuratio: neceſſe eſt vt talis priuatio in actione ſimpliciter malum exiſtat.

His igitur viſis ſciendum eſt, quod non omne quod eſt præter intentionem, oportet eſſe fortuitum vel caſuale, vt prima ratio proponebat: ſi enim quod eſt præter intentionem, ſit conſequens ad id quod eſt intentum vel ſemper, vel ſicut frequenter; non veniet fortuitò vel caſualiter: ſicut in eo qui intendit dulcedine vini frui, ſi ex potatione vini ſequatur ebrietas ſemper vel frequenter, non erit fortuitum nec caſuale: eſſet autem caſuale, ſi ſequeretur vt in paucioribus.

Malum ergo corruptionis naturalis, & ſi ſequatur præter intentionem generantis, conſequitur tamen ſemper: Nam ſemper formæ vnius eſt adiuncta priuatio alterius; vnde corruptio non euenit caſualiter, neque vt in paucioribus; licet priuatio quandoque non ſit malum ſimpliciter, ſed alicuius, vt dictum eſt.

Si autem ſit talis priuatio, quæ priuat id, quod eſt debitum generato, erit caſuale & ſimpliciter malum: ſicut cùm naſcuntur partus monſtruoſi; hoc enim non conſequitur de neceſſitate ad id quod eſt intentum, ſed eſt ei repugnans; cùm agens intendat perfectionem generati.

Malum autem actionis accidit in naturalibus agentibus ex defectu virtutis actiuæ: Vnde ſi agens habet virtutem defectiuam, hoc malum conſequitur præter intentionem; ſed non erit caſuale, quia de neceſſitate eſt conſequens ad talem agentem; cùm tale agens vel ſemper, vel frequenter patitur hunc virtutis defectum. Erit autem caſuale, ſi hic defectus rarò talem comitatur agentem.

In agentibus autem voluntariis, intentio eſt ad bonum aliquod particulare, ſi debet ſequi actio: nam vniuerſalia non mouent, ſed particularia, in quibus eſt actus. Si igitur illud bonum quod intenditur, habeat coniunctam priuationem boni ſecundùm rationem vel ſemper, vel frequenter; ſequitur malum morale non caſualiter, ſed vel ſemper, vel frequenter; ſicut patet in eo qui vult vti fœminâ propter delectationem, cui delectationi adiuncta eſt inordinatio adulterij; vnde malum adulterii non ſequitur caſualiter. Eſſet au-

Digitized by Google

tem caſuale malum, ſi ad id quod intendit; ſequeretur aliquod peccatum, vt in paucioribus; ſicut cùm quis proiiciens ad auem interficit hominem.

Quòd autem huiuſmodi bona aliquis intendat, vt in pluribus; quibus priuatione boni ſecundùm rationem conſequantur; ex hoc prouenit, quòd plures viuunt ſecundùm ſenſum; eo quod ſenſibilia ſunt nobis manifeſta, & magis efficaciter mouentia in particularibus, in quibus eſt operatio. Ad plura autem talium bonorum ſequitur priuatio boni ſecundùm rationem.

Ex quo patet, quod licet malum præter intentionem ſit, eſt tamen voluntarium; licet non per ſe, ſed per accidens. Intentio enim eſt vltimi finis, quem quis propter ſe vult. Voluntas autem eſt etiam eius, quod quis vult propter aliud, etiamſi ſimpliciter non vellet: ſicut qui proiicit merces in mare causâ ſalutis, non intendit proiectionem mercium, ſed ſalutem; proiectionem autem vult non ſimpliciter, ſed causâ ſalutis.

Similiter propter aliquod bonum ſenſibile conſequendum, vult aliquis facere ordinatam actionem, non intendens inordinationem, neque volens eam ſimpliciter; ſed propter hoc: & ideo hoc modo malitia, & peccatum dicuntur eſſe voluntaria, ſicut proiectio mercium in mare.

Ex quo patet ſolutio ad ſecundam obiectionem; nunquam enim inuenitur mutatio corruptionis ſine mutatione generationis; & per conſequens nec finis corruptionis ſine fine generationis. Natura ergo non intendit finem corruptionis ſeorſum à fine generationis; ſed ſimul vtrumque. Non enim eſt de intentione naturæ abſoluta, quod non ſit aqua, ſed quod ſit aër; quo exiſtente non eſt aqua. Hoc ergo quod eſt eſſe aërem intendit natura ſecundùm ſe; hoc verò quod eſt non eſſe aquam, non intendit niſi in quantum eſt coniunctum ei quod eſt eſſe aërem.

Sic igitur priuationes à natura non ſunt ſecundùm ſe intentæ, ſed ſecundùm accidens; formæ verò ſecundùm ſe. Patet ergo ex præmiſſis, quod illud quod eſt ſimpliciter malum, omnino eſt præter intentionem in operibus naturæ, ſicut partus monſtruoſi. Quod verò non eſt ſimpliciter, ſed alicui malum, non eſt intentum à natura ſecundùm ſe, ſed ſecundùm accidens.

Ex his apparet, quod nulla eſſentia eſt ſecundùm ſe mala; malum enim nihil eſt aliud quàm priuatio eius quod quis natus eſt, & debet habere; ſic enim apud omnes eſt vſus huius nominis malum: priuatio autem non eſt aliqua eſſentia, ſed eſt negatio in ſubſtantia; malum igitur non eſt aliqua eſſentia in rebus. Hinc eſt quod dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et, *omnis creatura Dei bona. Contra Gentiles lib. 3. cap. 2. Et ſequentibus ſimile* 1. *p. q.* 49. *art.* 1. 1. *Tim.* 4. *v.* 4.

Et erant valde bona. Deus ſuâ prouidentiâ gubernat vniuerſa; nam quod eſt maximè bonum in rebus creatis, eſt bonum ordinis vniuerſi, quod eſt maximè perfectum. Bonum igitur ordinis rerum creatarum à Deo, eſt id quod præ- Deus omnia gubernat.

Digitized by Google

cipuè volitum & intentum à Deo: nihil autem aliud eſt gubernare aliquam rem, quàm ei ordinem imponere; ipſe igitur Deus omnia ſuo intellectu & voluntate gubernat.

Ampliùs. Vnumquodque intendens aliquem finem, magis curat de eo, quod eſt propinquius fini vltimo; quia hoc eſt etiam finis aliorum: Vltimus autem finis diuinæ voluntatis eſt bonitas ipſius, cui propinquiſſimũ in rebus creatis eſt bonum ordinis totius vniuerſi; cùm ordinetur ad ipſum, ſicut ad finem omne particulare bonum huius vel illius rei; ſicut minus perfectum ordinatur ad id quod eſt perfectius; Vnde & quælibet pars inuenitur eſſe propter ſuum totum. Id igitur quod maximè curat Deus in rebus creatis eſt ordo vniuerſi; eſt igitur gubernator ipſius. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 64.*

Et erant valde bona. Subſtantia intellectualis, cuius auxilio magicæ artes vtuntur, non eſt mala ſecundùm ſuam naturam; quicquid enim eſt in rebus, oportet quòd cauſa, vel cauſatum ſit; alioquin ad alia ordinem non haberent. Aut igitur huius ſubſtantiæ ſunt cauſæ tantùm, aut etiam cauſata. Si cauſæ tantùm, malum autem non poteſt eſſe cauſa alicuius niſi per accidens: omne autem quod eſt per accidens, oportet reduci ad id quod eſt per ſe; oportet igitur quòd in eis ſit aliud prius quàm eorum malitia, per quod ſint cauſæ. Primum autem in vnoquoque eſt eius natura & eſſentia; non igitur ſecundùm ſuam naturam ſunt malæ huiuſmodi ſubſtantiæ.

Idem etiam ſequitur ſi ſint cauſata; nam nullus agens agit niſi intendens ad bonum; malùm ergo non poteſt eſſe effectus alicuius cauſæ niſi per accidens: Quod autem cauſatur per accidens tantùm, non poteſt eſſe ſecundùm naturam; cùm omnis natura determinatum modum habeat quo procedit in eſſe: non eſt igitur poſſibile quod huiuſmodi ſubſtantiæ ſint malæ ſecundùm ſuam naturam.

Item, nihil poteſt eſſe quin à primo ente eſſe habeat, & quod eſt ſummum bonum; cùm autem omne agens in quantum huiuſmodi agat ſibi ſimile; oportet quòd ea quæ à primo ente ſunt, bona ſint; ergo prædictæ ſubſtantiæ non poſſunt eſſe malæ.

Præt. Cùm voluntas tendat in bonum intellectum naturaliter ſicut in proprium obiectum, & finem; impoſſibile eſt quòd aliqua intellectualis ſubſtantia, malam ſecundùm naturam habeat voluntatem: niſi naturaliter intellectus erret circa iudicium boni: nullus autem intellectus talis poteſt eſſe: falſa enim iudicia in operationibus intellectus ſunt ſicut monſtra in rebus naturalibus, quæ non ſunt ſecundùm ſuam naturam, ſed præter naturam: nam bonum intellectus, & eius finis naturalis, eſt cognitio veritatis; impoſſibile eſt igitur quòd aliquis intellectus ſit qui naturaliter in iudicio veri decipiatur: neque igitur poſſibile eſt quòd ſit aliqua ſubſtantia intellectualis habens naturaliter malam voluntatem. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 107.*

Et erant valde bona. Videtur quod creatura corporalis non ſit à Deo; dicitur enim *Didici quòd omnia quæ fecit Deus, perſeuerant in* *Eccl. 3. v. 14.*

æternum: ſed corpora viſibilia non perſeuerant in æternum: dicitur
2. Cor. 4. v. 18. enim *quæ videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna*; ergo Deus non fecit corpora viſibilia.

2. Dicitur, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, &c.* Sed creaturæ corporales ſunt malæ; experimur enim eas in multis noxias: ideo autem aliquid dicitur malum quia nocet: creaturæ igitur corporales non ſunt à Deo.

3. Multæ creaturæ corporales retrahunt à Deo: ergo non ſunt à Deo. Sed contra eſt quod dicitur,
Pſ. 145. v. 6. *qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.*

Dicendum quòd quorundam hæreticorum poſitio eſt, quòd viſibilia iſta non ſunt creata à bono Deo, ſed à malo principio. Et ad argumentum ſui erroris aſſumunt quod dicitur, *Deus huius ſe-*
2. Cor. 4. v. 7. *culi excæcauit mentes infidelium.* Hæc autem poſitio eſt omnino impoſſibilis: ſi enim diuerſa in aliquo vniantur, neceſſe eſt huius vnionis cauſam eſſe aliquam: non enim diuerſa ſecundùm ſe vniuntur. Et inde eſt quòd quandocumque in diuerſis inuenitur aliquid vnum, oportet quòd illa diuerſa illud vnum ab aliqua vna cauſa recipiant: ſicut diuerſa corpora calida habent calorem ab igne.

Hoc autem quod eſt eſſe communiter, inuenitur in omnibus rebus quantumcumque diuerſis Neceſſe eſt ergo eſſe vnum eſſendi principium, à quo eſſe habeant quæcumque ſunt quocumque modo: ſiue ſint inuiſibilia & ſpiritualia, ſiue ſint viſibilia & corporalia. Dicitur autem diabolus eſſe Deus huius ſeculi, non creatione: ſed quia ſeculariter viuentes ei ſeruiunt: eo modo loquendi quo dicitur, *quorum Deus venter eſt.* Philip. 3. v. 19.

Ad 1. Argum. R. quòd omnes creaturæ Dei ſecundùm aliquid in æternum perſeuerant, ad minus ſecundùm materiam: quia creaturæ numquam in nihilum rediguntur, etiam ſi ſint corruptibiles. Sed quantò creaturæ magis appropinquant ad Deum qui eſt immobilis, tantò magis ſunt immobiles: Nam creaturæ corruptibiles in perpetuum manent ſecundùm materiam, ſed mutantur ſecundùm formam ſubſtantialem. Creaturæ verò incorruptibiles permanent quidem ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſunt mutabiles ſecundùm alia; putà ſecundùm locum vt corpora cæleſtia: vel ſecundùm affectiones, vt creaturæ ſpirituales.

Quod autem Apoſtolus dicit, *quæ videntur temporalia ſunt*; & ſi verum ſit etiam quantùm ad ipſas res in ſe conſideratas: ſecundùm quod omnis creatura viſibilis ſubiacet tempori, vel ſecundùm ſuum eſſe, vel ſecundùm ſuum motum: tamen Apoſtolus intendit loqui de viſibilibus ſecundùm quod ſunt hominis præmia. Nam præmia hominis quæ ſunt in iſtis rebus viſibilibus, temporaliter tranſeunt. Quæ autem ſunt in rebus inuiſibilibus, permanent in æternum.

Ad 2. R. quòd creatura corporalis ſecundùm ſuam naturam eſt bona: ſed non eſt bonum vniuerſale: ſed eſt quoddam bonum particulare & contractum: ſecundùm quam particularitatem & contractionem ſequitur in ea contrarietas,

per quam vnum contrariatur alteri: licet vtrumque in ſe ſit bonum. Et per hanc contrarietatem, id quod eſt vni nociuum quantùm ad aliquid, vel alteri, vel eidem quantùm ad aliquid eſt proficuum. Quod nequaquam eſſet, ſi ſecundùm ſe corpora eſſent mala & noxia.

Ad 3. R. quòd creaturæ, quantùm eſt de ſe, non retrahunt à Deo: ſed in ipſum ducunt, quia *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt &c.* Sed quòd auertant à Deo, hoc eſt culpa eorum qui inſipienter eis vtuntur. Vnde dicitur, quòd *creaturæ factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium.* Et hoc ipſum quod ſic à Deo abducunt, atteſtatur quòd ſunt à Deo: non enim abducunt inſipientes à Deo, niſi alliciendo ſecundùm aliquid boni in eis exiſtens, quod habent à Deo. 1. *p. q.* 65. *art.* 1.

Rom. 1. *v.* 20.

Sap. 14. *v.* 11.

Et erant valde bona. Videtur quod totum vniuerſum ſit ad imaginem Dei, & non ſolùm homo: quia quantò aliquid eſt magis perfectum in bonitate, tantò magis eſt Deo ſimile: ſed totum vniuerſum eſt perfectius in bonitate, quàm homo; quia etſi bona ſint ſingula, tamen ſimul omnia dicuntur *valde bona*; ergo.

Dicendum quòd non quælibet ſimilitudo, etiam ſi ſit expreſſa ex altero, ſufficit ad rationem imaginis. Si enim ſimilitudo ſit ſecundùm genus tantùm, vel ſecundùm aliquod accidens commune; non propter hoc dicetur aliquid eſſe ad imaginem alterius. Non enim poſſet dici quòd vermis, qui oritur ex homine, ſit imago hominis propter ſimilitudinem generis. Neque iterum poteſt dici quòd ſi aliquid fiat album ad ſimilitudinem alterius, quòd propter hoc ſit ad eius imaginem; quia album eſt accidens commune pluribus ſpeciebus.

Imago propriè quæ ſit.

Requiritur autem ad rationem imaginis, quòd ſit ſimilitudo ſecundùm ſpeciem, ſicut imago regis eſt in filio ſuo: Vel ad minus ſecundùm aliquod accidens proprium ſpeciei, & præcipuè ſecundùm figuram: ſicut hominis imago dicitur eſſe in cupro. Manifeſtum eſt autem quòd ſimilitudo ſpeciei attenditur ſecundùm vltimam differentiam: aſſimilantur autem aliqua Deo; primò quidem & maximè communiter in quantum ſunt; ſecundò verò in quantum viuunt; tertiò verò in quantum ſapiunt vel intelligunt, quæ ita ſunt Deo ſimilitudine proxima; vt in creaturis nihil ſit propinquius. Sic ergo patet quòd ſolæ intellectuales creaturæ propriè loquendo ſunt ad imaginem Dei.

Ad argum. R. quòd vniuerſum eſt perfectius in bonitate quàm intellectualis creatura extenſiuè & diffuſiuè: ſed intenſiuè & collectiuè ſimilitudo diuinæ perfectionis magis inuenitur in intellectuali creatura, quæ eſt capax ſummi boni. 1. *p. q.* 93. *art.* 2.

Et erant valde bona. Videtur quòd voluntas non à ſolo Deo moueatur, ſicut ab exteriori principio. Inferius enim natum eſt moueri à ſuo ſuperiori, ſicut corpora inferiora à corporibus cœleſtibus: ſed voluntas hominis habet aliquid ſuperius poſt Deum, ſcilicet Angelum; ergo voluntas poteſt moueri ab Angelo.

Digitized by Google

2. Actus voluntatis ſequitur actum intellectus: ſed intellectus hominis reducitur in ſuum actum, non ſolùm à Deo, ſed etiam ab Angelo per illuminationem; ergo.

3. Deus non eſt cauſa niſi bonorum, vt patet in textu; ſi ergo à ſolo Deo voluntas hominis moueretur, numquam moueretur ad malum: cùm tamen voluntas ſit qua peccatur & rectè viuitur.

Sed contra eſt quod dicitur, *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.* Dicendum quòd motus voluntatis eſt ab intrinſeco, ſicut & motus naturalis. Quamuis autem rem naturalem poſſit aliquid mouere, quod non eſt cauſa naturæ rei motæ; tamen motum naturalem cauſare non poteſt, niſi quod eſt aliqualiter cauſa naturæ. Mouetur enim lapis ſurſum ab homine, qui naturam lapidis non cauſat: ſed hic motus non eſt lapidi naturalis: Naturalis autem motus eius non cauſatur niſi ab eo quod cauſat naturam.

Philip. 2. v. 13.

Sic ergo hominem voluntatem habentem contingit moueri ab aliquo, qui non eſt cauſa eius: ſed quòd motus voluntarius eius ſit ab aliquo principio extrinſeco, quod non eſt cauſa voluntatis; eſt impoſſibile; Voluntatis autem cauſa nihil aliud eſſe poteſt, quàm Deus. Et hoc patet dupliciter, primò quidem ex hoc quòd voluntas eſt potentia animæ rationalis, quæ à ſolo Deo cauſatur per creationem: ſecundò verò ex hoc, quòd voluntas habet ordinem ad vniuerſale bonum. Vnde nihil aliud poteſt eſſe voluntatis cauſa, niſi ipſe Deus qui eſt vniuerſale bonum. Omne autem aliud bonum per participationem dicitur, & eſt quoddam particulare bonum: particularis autem cauſa non dat inclinationem vniuerſalem. Vnde nec materia prima quæ eſt in potentia ad omnes formas, poteſt cauſari ab aliquo particulari agente.

Ad 1. Argumentum R. quòd Angelus non ſic eſt ſupra hominem, quòd ſit cauſa voluntatis eius: ſicut corpora cœleſtia ſunt cauſa formarum naturalium, ad quas conſequuntur naturales motus corporum naturalium.

Ad 2. R. Quòd intellectus hominis mouetur ab Angelo ex parte obiecti, quod ſibi proponitur virtute angelici luminis ad cognoſcendum. Et ſic etiam voluntas ab exteriori creatura poteſt moueri.

Ad 3. R. quòd Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis quod eſt bonum: & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt verè bonum vel apparens bonum, ſed tamen interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum quod eſt bonum: ſicut in his quos mouet per gratiam. 1. 2. *q.* 9. *art.* 6.

Et erant valde bona. Videtur quòd Deus non diligat omnem creaturam; Deus enim ex charitate diligit quicquid diligit: ſed non omnia ſunt ex charitate diligenda, vt irrationabilia; ergo Deus non diligit omnia.

2. Nihil idem ſimul diligitur & oditur: ſed Deus odit reprobos *Eſau odio habui*; ergo non diligit eos.

Malach. 1. v. 3.

3. Dilectio eſt cauſa electionis, ſiue ratio: ſed Deus non omnes eligit, ergo non omnes diligit. Sed contra, *diligit omnia quæ ſunt.* Et *vidit Deus, cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Id eſt, omnia approbauit: ſed nihil approbatur, niſi quod amatur; ergo Deus omnia amat.

Sap. 11. *v.* 25.

Dei dilectio duplex.

Dicendum quòd duplex eſt dilectio: quædam generalis qua quis vult alteri bonum quodcumque; quædam verò ſpecialis, qua vult alteri bonum, quod ſibi conuiuat; & hæc eſt dilectio amicitiæ. Primâ dilectione Deus diligit omnia, quia voluntas eius cauſa eſt in eis omnium ſuorum bonorum. Secundo modo diſtinguendum eſt, quòd voluntas Dei duplex eſt, quædam antecedens quæ reſpicit naturam, quædam conſequens quæ reſpicit meritorum exigentiam. Primo modo Deus diligit dilectione amicitiæ omnem creaturam rationalem; ſecundo modo ſolos electos.

Ad 1. R. quod Deus creaturas irrationales ex charitate diligit, non ſicut charitatem habens ad illa; ſed ſicut ordinans ea ad illa ad quæ charitatem habet.

Ad 2. R. quod idem ſecundum idem non diligitur & oditur: Vnde in peccatoribus aliud odit Deus, id eſt, peccatum, aliud diligit vt naturam.

Ad 3. R. quòd dilectio amicitiæ eſt cauſa dilectionis, quæ ſequitur voluntatem conſequentem; & hac non omnes diligit. *Lib.* 3. *Sent. ad Annibald. Diſt.* 32. *art.* 2. *ſimile lib.* 3. *Sent. Diſt.* 32. *art.* 2.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Videtur quod Deus non potuerit vniuerſum facere melius; Optimo enim nihil poteſt eſſe melius: ſed vniuerſum eſt optimum ex textu.

Dicendum quòd contra rationem facti eſt, vt ſit æquale factori, ratione cuius Deus non poteſt facere aliquid æquale ſibi ipſi; ergo vniuerſum quod eſt à Deo factum, non participat bonitatem diuinam perfectè, ſed ſecundùm aliquem modum & menſuram determinatam. Poſſumus ergo de vniuerſo loqui dupliciter: Vno modo abſolutè, & ſic Deus poteſt aliquid facere melius toto vniuerſo, quia & ordo eius ad Deum eſſet melior, quantò perfectiùs diuinam bonitatem participaret: & ordo rerum ad inuicem, quantò res eſſent meliores: in hoc enim duplici ordine bonum vniuerſi conſiſtit. Alio modo per reſpectum ad modum participandi diuinam bonitatem, qui eſt vniuerſo à Deo præfixus; & ſic vniuerſum meliùs eſſe non poteſt ordinatum, ſuppoſitâ ſcilicet ſcilicet menſurâ diuinitus fixâ: & ſecundùm hunc modum dicitur vniuerſum eſſe optimum, vel Deus feciſſe omnia bona valde. *lib.* 1. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 44. *q.* 1. *art.* 1.

Idem locus explicatur ſupra *Gen.* 1. *v.* 4.

GENESIS Cap. II. *v.* 2.

Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.

Dicendum quòd duplex eſt rei perfectio, prima & ſecunda. Prima quidem perfectio eſt ſecundùm quod res in ſua ſubſtantia eſt perfecta; quæ

quidem perfectio eſt forma totius, quæ ex integritate partium conſurgit. Perfectio autem ſecunda eſt finis, qui vel eſt operatio, ſicut finis cithariſtæ eſt cithariſare. Vel eſt aliquid ad quod per operationem peruenitur, ſicut finis ædificatoris eſt domus, quam ædificando facit.

Prima autem perfectio eſt cauſa ſecundæ, quia forma eſt principium operationis: vltima autem perfectio (quæ eſt finis) totius vniuerſi, eſt perfecta beatitudo ſanctorum; quæ erit in vltima conſummatione ſæculi. Prima autem perfectio quæ eſt in integritate vniuerſi, fuit in prima rerum inſtitutione. Et hæc deputatur ſeptimo diei.

Nota quòd ad beatitudinem conſequendam duo requiruntur, natura & gratia. Ipſa ergo beatitudinis perfectio erit in fine mundi. Sed iſta conſummatio præceſſit cauſaliter, quantùm ad naturam quidem in prima rerum inſtitutione; quantùm ad gratiam verò, in incarnatione Chriſti. Sic igitur in ſeptima die fuit conſummatio naturæ; in incarnatione Chriſti conſummatio gratiæ; in fine mundi conſummatio gloriæ. 1. *p. q.* 73. *art.* 1. *ſimile lib.* 2. *Sent. Diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 1. Idem locus explicatur ſupra. *Gen.* 1. *v.* 31.

GENESIS Cap. II. *v.* 2.

Requieuit Deus ab omni opere quod patrarat.

ET exponunt ſancti quod requieuit à nouis creaturis condendis. Sed in illa prima conditione non fuit alius modus rebus impoſitus, quàm iſte, quem nunc naturali ordine tenent; ergo nunquam alium habebunt.

Dicendum quòd omnia corporalia propter hominem facta eſſe creduntur, vnde & omnia dicuntur ei ſubiecta. Seruiunt autem homini dupliciter; vno modo ad ſuſtentationem corporalis vitæ; alio modo ad profectum cognitionis diuinæ, in quantùm homo *per ea quæ facta ſunt inuiſibilia Dei* conſpicit. Primò ergo miniſterio creaturarum homo glorificatus nullomodo indigebit; cùm eius corpus ſit futurum omnino incorruptibile, diuinâ virtute id faciente per animam, quam immediatè glorificat. Secundò etiam miniſterio non indigebit homo quantùm ad cognitionem intellectiuam, quia tali cognitione Deum ſancti videbunt immediatè per eſſentiam. Sed ad hanc viſionem eſſentiæ oculus carnis attingere non poterit: & ideo vt ei etiam ſolatium congruens de viſione diuinitatis præbeatur, inſpiciet diuinitatem in ſuis effectibus corporalibus; in quibus manifeſta indicia diuinæ maieſtatis apparebunt, & præcipuè in carne Chriſti; & poſt hoc in corporibus beatorum: Et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit vt etiam alia corpora maiorem influentiam à diuina bonitate ſuſcipiant, quàm nunc; non tamen ſpeciem variantem, ſed addentem cuiuſdam gloriæ perfectionem: & hæc erit mundi innouatio; vnde ſimul mundus innouabitur: & homo glorificabitur.

Pſ. 8 *v.* 8.

Omnia corpora propter hominem. *Rom.* 1. *v.* 20.

Ad Argum. R. quòd pro tanto dicitur Deus die ſeptimo à nouis creaturis condendis ceſſaſſe, quia nihil poſtea factum eſt quod prius non

præceſſerit in aliqua ſimilitudine ſecundùm genus vel ſpeciem; vel ad minus ſicut in principio ſeminali, vel etiam ſicut in potentia obedientiali. Dico ergo quòd nouitas mundi futura præceſſit in operibus ſex dierum, in quadam remota ſimilitudine, ſcilicet in gloria & gratia Angelorum: præceſſit etiam in potentia obedientiæ, quæ tunc creaturæ eſt indita ad talem nouitatem ſuſcipiendam, à Deo agente; *Lib.* 2. *Sent. Diſt.* 17. *art.* 2. *& lib.* 4. *ſent. Diſt.* 48. *q.* 2. *art.* 1. *& ſupplem. q.* 91. *art.* 1. *ſimile lib.* 2. *ſent.* Diſt. 15. *q.* 3. *art.* 2 *& contra Gentiles lib.* 2. *cap.* 84.

GENESIS. Cap. 2. *v.* 2.

Requieuit Deus die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.

OPeratio pertinet ad rerum principium, quo producuntur in eſſe. Diſtinguitur autem duplex Dei operatio; vna, qua res in eſſe primitus produxit, inſtituens naturam, & diſtinguens ea quæ ad completionem ipſius pertinent; à quo quidem opere Deus dicitur quieuiſſe. Alia eius operatio eſt, qua operatur in gubernatione creaturarum, de qua dicitur. Ioan. 5. v. 17. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Lib.* 4. *ſent. Diſtinct.* 47. *q.* 1. *art.* 1. *& ſupplem. q.* 88. *art.* 1.

GENESIS. Cap. 2. *v.* 2.

Requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere quod patrarat.

EX quo intelligi datur quòd tunc Deus à nouis creaturis creandis ceſſauit. Sed hoc non eſſet, ſi nunc quotidie animæ crearentur; ergo animæ non creantur in corpore, ſed creatæ ſunt à principio extra corpus.

Dicendum quòd animæ quæ modò creantur, licet ſint nouæ creaturæ ſecundùm numerum; tamen ſunt antiquæ ſecundùm ſpeciẽ ſuam, præceſſerunt enim in operibus ſex dierum in ſuo ſimili ſecundùm ſpeciem, id eſt, in animabus primorum parentum. *In qq. diſp. q.* 3. *de creatione art.* 10. *ad* 13. *ſimile* 1. *p. q.* 118. *art.* 3.

Requieuit Deus. Videtur quòd non, quia requies motui opponitur, vel labori qui interdum cauſatur ex motu: ſed Deus immobiliter & abſque labore ſua opera produxit; ergo.

Dicendum quòd quies propriè opponitur motui, & per conſequens labori qui ex motu conſurgit. Quamuis autem motus propriè acceptus, ſit corporum; tamen nomen (motus) etiam ad ſpiritualia deriuatur, dupliciter: Vno modo ſecundùm quod omnis operatio motus dicitur: Alio modò deſiderium in aliud tendens, quidam motus dicitur.

Vnde & requies dupliciter accipitur: Vno modo pro ceſſatione ab operibus; alio modo pro impletione deſiderii. Et vtroque modo dicitur Deus requieuiſſe die ſeptimâ. Primò quidem, quia die ſeptimâ ceſſauit nouas creaturas condere; nihil enim poſtea fecit, quod non aliquo modo præceſſerit in primis operibus. Alio modo ſecundùm quod rebus conditis ipſe non indigebat, ſed ſeipſo fruendo beatus eſt. Vnde poſt conditionem omnium operum, non dicitur quòd in ſuis operibus requieuit,

Bibliothek d. M.. Franziskaner ...

Digitized by Google

quaſi eis ad ſuam beatitudinem indigens: ſed ab eis requieuit, vtique in ſeipſo; quia ſufficit ſibi, & implet deſiderium ſuum.

Ad argum. R. quòd requies non opponitur labori, ſiue motui, ſed productioni nouarum rerum, & deſiderio in aliud tendendi, vt dictum eſt. 1. *p. q.* 73. *art.* 2. *& lib.* 2. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 15. *art.* 4.

GENESIS Cap. 2. v. 3.

Benedixit Deus diei ſeptimo & ſanctificauit illum.

ARguitur In ſingulis creaturis quædam benedictio commemorata eſt, dum in ſingulis operibus dictum eſt, *vidit Deus quod eſſet bonum*; non oportuit igitur quod poſt omnium productionem dies ſeptima benediceretur.

Dicendum quòd benedictio ad multiplicationem pertinet, multiplicatio autem rerum fit per adminiſtrationem creaturæ; ſecundùm quam ex ſimilibus ſimilia generantur. Item dicendum quòd ſanctificatio competit ſeptimæ diei: maximè enim ſanctificatio cuiuſlibet attenditur in hoc quod in Deo requieſcit. Vnde & res Deo dicatæ ſanctæ dicuntur.

Ad argum. R. quòd bonum quod in ſingulis diebus commemoratur, pertinet ad primam naturæ inſtitutionem; benedictio autem diei ſeptimæ pertinet ad naturæ propagationem. 1. *p q.* 73. *art.* 3.

GENESIS Cap. 2. v. 7.

Formauit Deus hominem de limo terræ, &c.

VIdetur quòd anima vniatur materiæ corporali per medium, forma enim non vnitur cuilibet materiæ, ſed propriæ: fit autem materia propria huius formæ, vel illius per diſpoſitiones proprias, quæ ſunt propria accidentia rei; ſicut calidum & ſiccum ſunt propria accidentia ignis; ergo forma vnitur materiæ mediantibus propriis accidentibus: ſed propria accidentia animatorum ſunt potentiæ animæ; ergo anima vnitur corpori vt forma, mediantibus potentiis.

2. Dicitur *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*: ſpiraculum autem vitæ eſt anima; ergo aliqua forma præcedit in materia vnionem animæ.

Dicendum quòd inter omnia, eſſe eſt illud, quod immediatiùs & intimius conuenit rebus: vnde oportet quòd cùm materia habeat eſſe actu per formam, quòd forma dans eſſe materiæ, ante omnia intelligatur aduenire materiæ, & immediatiùs cæteris ſibi ineſſe. Eſt autem hoc proprium formæ ſubſtantialis, quòd det materiæ eſſe ſimpliciter: ipſa enim eſt per quam res eſt hoc ipſum, quod eſt. Non autem per formas accidentales habet eſſe ſimpliciter, ſed eſſe ſecundùm quid, puta, eſſe magnum, vel coloratum, vel aliquid tale.

Si qua ergo forma eſt, quæ non det materiæ eſſe ſimpliciter, ſed adueniat materiæ iam exiſtenti in actu per aliquam formam, non erit forma ſubſtantialis. Ex quo patet quod inter formam ſubſtantialem & materiam, non poteſt cadere aliqua forma ſubſtantialis media.

Ad 1. Argum. R. quòd diſpoſitiones accidentales quæ faciunt

Digitized by Google

materiam propriam ad aliquam formam, non ſunt mediæ totaliter inter formam & materiam; ſed inter formam, ſecundùm quod dat vltimam perfectionem, & materiam ſecundùm quod eſt perfecta perfectione inferioris gradus. Materia enim ſecundùm ſeipſam, eſt prima reſpectu infimi gradus perfectionis, quia ſecundùm ſeipſam eſt in potentia ad eſſe ſubſtantiale corporeum; nec ad hoc requirit aliquam diſpoſitionem: ſed hac perfectione præſuppoſitâ, in materia requiruntur diſpoſitiones ad vlteriorem perfectionem.

Tamen ſciendum eſt quòd potentiæ animæ, ſunt accidentia propria animæ quæ non ſunt ſine ea: Vnde non habent rationem diſpoſitionis ad animam ſecundùm quod ſunt eius potentiæ, niſi ſecundùm quod potentiæ inferioris partis animæ dicuntur diſpoſitiones ad ſuperiorem partem: ſicut potentia animæ vegetabilis ad animam ſenſibilem.

Ad 2. R. quod dicitur *formauit Deus, &c.* non præcedit tempore hoc quod ſequitur, *& inſpir. in faciem eius &c.* Sed ordine naturæ tantùm. *In quæſt. diſp. q. vnica de anima art. 9.*

Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Videtur quòd per aduentum animæ, non excludantur omnes formæ quę priùs inerant, vt patet in textu. Fruſtra enim formaſſet corpus, ſi inſpirando animam, forma quam formando indiderat, excluderetur; Non ergo adueniente animâ, tolluntur omnes formæ præcedentes.

Sed Contra, Omnis forma adueniens exiſtenti in actu, eſt forma accidentalis. Forma enim ſubſtantialis facit eſſe actu ſimpliciter: ſed ſi anima adueniens non deſtrueret præexiſtentes formas, ſed eis ſuperadderetur; ſequeretur quòd adueniret exiſtenti in actu; quia quælibet forma cùm ſit actus, facit eſſe in actu; ergo anima adueniens excludit formas præexiſtentes.

Dicendum quòd impoſſibile eſt in vno, & eodem eſſe plures formas ſubſtantiales, & hoc ideo; quia ab eodem habet res eſſe & vnitatem. Manifeſtum eſt autem quòd res habet eſſe per formam: Vnde & per formam res habet vnitatem; & propter hoc, vbicumque eſt multitudo formarum, non eſt vnum ſimpliciter; ſicut homo albus non eſt vnum ſimpliciter.

Sed ſciendum eſt quòd formæ ſubſtantiales ſe habent ad inuicem ſicut numeri, vel etiam ſicut figuræ; ſemper enim maior numerus vel figura, virtute continet in ſe minorem. Et ſimiliter perfectior forma, virtute continet in ſe imperfectiorem. Anima enim intellectiua habet virtutem vt conferat corpori humano quicquid confert ſenſitiua in brutis; & ſimiliter ſenſitiua facit in animalibus quicquid nutritiua in plantis, & adhuc ampliùs. Fruſtra ergo eſſet in homine alia anima ſenſitiua præter intellectiuam, ex quo anima intellectiua virtute continet ſenſitiuam, & adhuc amplius: ſic fruſtra adderetur quaternarius poſito quinario. Manifeſtum eſt autem quòd ſemper adueniente formâ perfectâ, tollitur forma imperfecta: vnde dico quòd adueniente animâ hu-

Digitized by Google

manâ tollitur forma ſubſtantialis quæ priùs inerat; alioquin generatio eſſet ſine corruptione alterius, quod eſt impoſſibile. Formæ verò accidentales quæ priùs inerant diſponentes ad animam, corrumpuntur quidem non per ſe; ſed per accidens ad corruptionem ſubiecti: Vnde manent eædem ſpecie, ſed non eædem numero.

Ad argumentum ergo dicendum, quòd ſecundùm Baſilium, *ſpiraculum vitæ* dicitur ibi gratia ſancti ſpiritus; & ſic obiectio ceſſat. Si autem, vt Auguſtinus dicit *ſpiraculum vitæ* ſit ipſa anima, non oportebit dicere quòd aliâ formâ formatum ſit corpus hominis de limo terræ, quàm ipſo ſpiraculo vitæ diuinitus inſpirato. Non enim illa formatio tempore præceſſit inſpirationem, niſi fortè velimus dicere illam formationem referri ad diſpoſitiones accidentales, puta figuram & alia huiuſmodi; quæ quodam rationis ordine præintelliguntur in corpore ante animam intellectiuam, ſicut materiales diſpoſitiones; quibus tamen præintelligitur ipſa anima intellectiua, non in quantum eſt intellectiua; ſed in quantum continet in ſe virtutem aliquam de imperfectioribus formis. *Quodlib 1. art. 6.*

Formauit Deus hominem de limo terræ. Videtur quòd corpus primi hominis non ſit de limo terræ; corpora enim cœleſtia ſunt nobiliora terrenis: ſed corpus humanũ habet maximã nobilitatẽ, cùm perficiatur à nobiliſſima forma; ergo.

2. Ignis & aër ſunt nobiliora corpora quàm terra & aqua, quod ex eorum ſubtilitate apparet; ergo corpus humanum potiùs fieri debuit ex illis.

Dicendum quòd homo ex rebus omnibus quodammodo eſt compoſitus: Dicitur tamen corpus eius de limo terræ formatum, quia limus dicitur terra aquæ permiſta; De aliis autem elementis ſcriptura mentionem non fecit, tum quia minùs abundant ſecundùm quantitatem in corpore hominis, tum etiam quia in tota rerum productione, de igni & aëre (quæ ſenſu non percipiuntur à rudibus) mentionem non fecit ſcriptura, quæ rudi populo tradebatur.

Ad 1. Argum. R. quòd quamuis corpus cœleſte ſit ſimpliciter nobilius terreſtri corpore; tamen quantùm ad actus animæ rationalis, eſt minùs conueniens. Nam anima rationalis accipit notitiam veritatis quodammodo per ſenſus, quorum organa firmari non poſſunt ex corpore cœleſti, cũ ſit impaſſibile.

Ad 2. R. quòd ſi ignis & aër, quæ ſunt maioris virtutis in agendo, etiam ſecundùm quantitatem in compoſitione humani corporis abundarent; omnino ad ſe traherent alia, & non poſſet fieri æqualitas commiſtionis, quæ eſt neceſſaria in compoſitione hominis ad bonitatem ſenſus tactus, qui eſt fundamentum ſenſuum aliorum. Oportet enim organum cuiuſlibet ſenſus non habere in actu contraria, quorum ſenſus eſt perceptiuus, ſed in potentia tantùm: vel ita quòd omnino careat toto genere contrariorum; ſicut pupilla caret colore, vt ſit in potentia ad omnes colores (Quod in organo tactus non erat poſſibile, cùm ſit compoſitum ex elementis, quorum qualitates percipit tactus.) Vel ita quod

Digitized by Google

quod organum ſit medium inter contraria; vt neceſſe eſt in tactu accidere; medium enim eſt in potentia ad extrema 1. *p. q.* 91. *art.* 1.

Formauit hominem de limo terræ. Deus immediatè poteſt mouere materiam ad formam, quia ens in potentia paſſiua reduci poteſt in actum à potentia actiua, quæ eam ſub ſua poteſtate continet; cùm igitur materia contineatur ſub poteſtate diuina, vt pote à Deo producta; poteſt reduci in actum per diuinam potentiam. Et hoc eſt moueri materiam ad formam, quia forma nihil eſt aliud quàm actus materiæ.

Dices, virtus diuina eſt vniuerſalis cauſa omnium; ergo non poteſt producere aliquam particularem formam, niſi mediante aliquo particulari agente.

2. Sicut eſſe commune dependet à prima cauſa vniuerſali, ita eſſe determinatum dependet à determinatis cauſis particularibus: ſed determinatum eſſe alicuius rei eſt per propriam eius formam; ergo propriæ rerum formæ non producuntur à Deo, niſi mediantibus cauſis particularibus.

Ad 1. R. quòd ratio illa procederet, ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ: ſed quia agit per voluntatem & intellectum, qui cognoſcit rationes proprias omnium formarum, & non ſolùm vniuerſales: inde eſt quòd poteſt determinatè hanc vel illam formam materiæ imprimere.

Ad 2. R. hoc ipſum quòd cauſæ ſecundæ ordinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo. Vnde Deus quia alias cauſas ordinat ad determinatos effectus, poteſt etiam determinatos effectus producere per ſeipſum, ſine quocumque alio. 1. *p. q.* 105. *art.* 1.

GENESIS. Cap. II. v. 7.

Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.

Illud quod inſpirat aliquid, flatum de ſe emittit; ergo anima videtur eſſe de eſſentia Dei.

Dicendum primò hoc quod homo flando emittit, eſt de aëre exteriori, quem ſpirando attraxit, non de ſubſtantia eius. Secundò quia etſi eſſet de ſubſtantia flantis, nullo modo eſſet de ſubſtantia animæ, etſi etiam poneretur de ſubſtantia corporis. Deus autem hoc modo ſe habet ad totum vniuerſum regendo ipſum, ſicut anima ad corpus: Vnde non ſequitur animam hominis eſſe de ſubſtantia Dei. Tertiò quia anima tantummodo corpori dominatur, vnde flatum non niſi de corpore facere poteſt: Deus autem eſt ſupra omnem naturam, vnde non oportet, vt de corporalibus elementis animam faciat; ſed de nihilo eam creat, immenſitate poteſtatis ſuæ. *Lib.* 2. *Sent. Diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 1.

Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Hæc autem eſt anima rationalis qua homo viuit; ergo immediatè à Deo fit. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 2. *Inſpirauit in faciem.* Anima humana producitur in eſſe à Deo per creationem; omne enim quod in eſſe producitur, vel generatur per ſe, aut per accidens, vel creatur: Anima autem humana non generatur per ſe cùm non ſit compoſita ex materia & forma: neque generatur per accidens, cùm enim

Digitized by Google

ſit forma corporis, generaretur per corporis generationem, quæ eſt ex virtute actiua ſeminis, quod eſt impoſſibile; quia nulla virtus actiua agit vltra ſuum genus: ſed anima intellectiua excedit totum genus corporeum, cùm habeat operationem ſuper omnia corpora eleuatam, quæ eſt intelligere; nulla igitur virtus corporea poteſt producere animam intellectiuam.

Sed omnis actio virtutis, quæ eſt in ſemine, eſt per aliquam corpoream virtutem; agit enim virtus formatiua mediante triplici calore, ſcilicet ignis, cœli, & calore animæ; non igitur poteſt produci in eſſe anima intellectiua per virtutem, quæ eſt in ſemine. Cùm ergo anima de nouo eſſe incipiat; non enim eſt æterna, nec præexiſtit corpori, vt dictum eſt, relinquitur quod exeat in eſſe per creationem: ſed ſolus Deus poteſt creare, ſolus igitur ipſe animam humanam in eſſe producit.

Hoc innuere videtur S. Scriptura, cùm enim de inſtitutione aliorum animalium loquens, eorum animas aliis cauſis aſcribat, vt pote cùm dicit, *producant aquæ reptile animæ viuentis*; ad hominem veniens, animam eius à Deo creari oſtendit, dicens, *formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Per hoc autem excluditur error ponentium animas ab Angelis eſſe creatas *Contra Gentiles lib.* 2. *cap.* 87.

Inſpirauit in faciem. Videtur quòd anima humana ſit corruptibilis, quorum enim eſt ſimile principium & ſimilis proceſſus, videtur eſſe ſimilis finis: ſed ſimile eſt principium generationis hominum & iumentorum; quia de terra facta ſunt: ſimilis eſt etiam vitæ proceſſus in vtriſque, quia ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento ampliùs, vt dicitur; ergo (vt ibidem concluditur) *vnus eſt interitus hominis & iumentorum, &* *Eccl.* 3.
æqua vtriuſque conditio: ſed anima *v.* 19.
brutorum animalium eſt corruptibilis; ergo & anima hominis.

2. Omne quod eſt ex nihilo, vertibile eſt in nihilum; quia finis debet reſpondere principio: ſed ſicut dicitur, *ex nihilo nati ſumus*: Quod *Sap.* 2.
verum eſt non ſolùm quantùm ad *v.* 2.
corpus, ſed etiam quantùm ad animam; ergo vt ibidem concluditur, poſt hoc erimus tanquam non fuerimus, etiam ſecundùm animam.

3. Nulla res eſt ſine propria operatione: ſed propria operatio animæ, quæ eſt intelligere cum phantaſmate, non poteſt eſſe ſine corpore: nihil enim ſine phantaſmate intelligit anima; phantaſma autem non eſt ſine corpore; ergo anima non poteſt remanere deſtructo corpore. *Anima humana eſt incorruptibilis.*

Dicendum quòd neceſſe eſt dicere animam humanam, quam dicimus intellectiuum principium, eſſe incorruptibilem. Dupliciter enim aliquid corrumpitur, vno modo per ſe, alio modo per accidens. Impoſſibile eſt autem aliquid ſubſiſtens generari aut corrumpi per accidens, id eſt, aliquo generato vel corrupto; ſic enim competit alicui generari & corrumpi, ſicut & eſſe; quod per generationem acquiritur, & per corruptionem amittitur: Vnde quod per ſe habet eſſe, non poteſt gene-

rari vel corrumpi, niſi per ſe. Quæ verò non ſubſiſtunt, vt accidentia & formæ materiales, dicuntur fieri & corrumpi per generationem & corruptionem compoſitorum.

Brutorum autem animæ non ſunt per ſe ſubſiſtentes, quia anima ſenſitiua non habet aliquam operationem propriam per ſeipſam, ſed omnis operatio ſenſitiuæ animæ eſt coniuncti : ex quo relinquitur, quòd cùm animæ brutorum per ſe non operentur, non ſint ſubſiſtentes: ſimiliter enim vnumquodque habet eſſe & operationem. Sed ſola anima humana habet operationem propriam ſcilicet intelligere, quod ſine organo corporeo exercetur. Vnde animæ brutorum corrumpuntur corruptis corporibus; anima autem humana non poſſet corrumpi, niſi per ſe corrumperetur. Quodquidem omnino eſt impoſſibile, non ſolùm de ipſa, ſed de quolibet ſubſiſtente, quod eſt forma tantùm.

Manifeſtum eſt enim quòd id quod ſecundùm ſe conuenit alicui, eſt inſeparabile ab ipſo: eſſe autem per ſe conuenit formæ, quæ eſt actus. Vnde materia ſecundùm hoc acquirit eſſe in actu, quod acquirit formam: ſecundùm hoc autem accidit in ea corruptio, quod ſeparatur forma ab ea. Impoſſibile eſt autem quod forma ſeparetur à ſeipſa. Vnde impoſſibile eſt quòd forma ſubſiſtens deſinat eſſe.

Dato etiam quòd anima eſſet ex materia & forma compoſita, vt quidam dicunt, adhuc oporteret ponere eam incorruptibilem : non enim inuenitur corruptio, niſi vbi inuenitur contrarietas; generationes enim & corruptiones ex contrariis & in contraria ſunt : vnde corpora cœleſtia, quia non habent materiam contrarietati ſubiectam, incorruptibilia ſunt. In anima autem intellectiua non poteſt eſſe aliqua contrarietas, recipit enim ſecũdùm modũ ſui eſſe; ea verò quæ in ipſa recipiuntur, ſunt abſque contrarietate; quia etiam rationes contrariorum in intellectu non ſunt contrariæ, ſed eſt vna ſcientia contrariorum ; impoſſibile eſt ergo quòd anima intellectiua ſit corruptibilis.

Poteſt etiam huius rei accipi ſignum ex hoc, quòd vnumquodque naturaliter ſuo modo eſſe deſiderat: Deſiderium autem in rebus cognoſcentibus ſequitur cognitionem : ſenſus autem non cognoſcit eſſe, niſi ſub hic & nunc : ſed intellectus apprehendit eſſe abſolutè, & ſecundùm omne tempus. Vnde, omne habens intellectum naturaliter, deſiderat eſſe ſemper : naturale autem deſiderium non poteſt eſſe inane ; omnis igitur intellectualis ſubſtantia eſt incorruptibilis.

Ad 1. Argumentum R. quòd Salomon inducit rationem illam ex perſona inſipientium, vt exprimitur. Quod ergo dicitur quòd ho- *Sap.* 2.
mó & alia animalia habent ſimile *v.* 1.
generationis principium, verum eſt quantùm ad corpus; ſimiliter enim de terra facta ſunt omnia animalia; non autem quantùm ad animam; nam anima brutorum producitur ex virtute aliqua corporea, anima verò humana à Deo. Et ad hoc ſignificandum dicitur quantùm ad alia animalia, *producat terra animam viuentem.* Quantùm verò ad hominem dicitur, quòd

Digitized by Google

inſpir. in faciem eius ſpiraculum vitæ. Et ideo concluditur, *Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.*

Eccl. 12. v. 7.

Similiter proceſſus vitæ eſt ſimilis, quantùm ad corpus, ſed non quantùm ad animam; quia homo intelligit, non autem animalia bruta: vnde falſum eſt quod dicitur, nihil habet homo iumento ampliùs. Et ideo ſimilis eſt interitus quantùm ad corpus, ſed non quantùm ad animam.

Ad 1. R. quòd ſicut poſſe creari dicitur aliquid non per potentiam paſſiuam, ſed ſolùm per potentiam actiuam creantis, qui ex nihilo poteſt aliquid producere: ita cùm dicitur aliquid vertibile in nihil, non importatur in creatura potentia ad non eſſe; ſed in Creatore potentia ad hoc quod eſſe non influat. Dicitur autem aliquid corruptibile per hoc quod ineſt ei potentia ad non eſſe.

Ad 3. R. quòd intelligere cum phantaſmate eſt propria operatio animæ ſecundùm quod corpori eſt vnita: ſeparata autem à corpore habebit alium modum intelligendi ſimilem aliis ſubſtantiis à corpore ſeparatis. 1. *p. q.* 75. *art.* 6.

Inſpirauit in faciem. Videtur quòd anima non ſit facta, ſed ſit de ſubſtantia Dei, quia ille qui ſpirat, aliquid à ſe emittit.

2. Anima eſt forma ſimplex, quia non habet materiam: ſed forma eſt actus, ergo eſt actus purus, quod eſt ſolius Dei; ergo anima eſt de ſubſtantia Dei.

3. Quæcumque ſunt & nullo modo differunt, ſunt idem: ſed Deus & mens ſunt, & nullomodo differunt; quia oporteret quòd aliquibus differentiis differrent, & ſic eſſent compoſita; ergo Deus & mens humana idem ſunt.

Dicendũ quòd dicere animam eſſe de ſubſtantia Dei, manifeſtam improbabilitatem continet; Anima enim humana eſt quandoque intelligens in potentia, & ſcientiam quodammodo à rebus acquirit, & habet diuerſas potentias. Quæ omnia aliena ſunt à Dei natura, qui eſt actus purus, & nihil ab alio accipiens, & nullam in ſe diuerſitatem habens.

Anima humana non eſt de ſubſtã-tia Dei.

Ad 2. R. quòd inſpirare non eſt accipiendum corporaliter, ſed idem eſt Deum inſpirare, quòd ſpiritum facere. Quamuis & homo corporaliter ſpirans, non emittat aliquid de ſua ſubſtantia, ſed de natura extranea.

Ad 1. R. quòd anima, etſi ſit forma ſimplex ſecundùm ſuam eſſentiam, non tamen eſt ſuum eſſe, ſed eſt ens per participationem cùm habeat eſſe participatum. Vnde à quibuſdam dicitur componi ex quo eſt, & quod eſt; ipſum enim eſſe eſt quo aliquid eſt; & ideo non eſt actus purus ſicut Deus.

Ad 3. R. quòd differens propriè acceptum aliquo differt: Vnde ibi quæritur differentia, vbi eſt conuenientia. Et propter hoc oportet differentia eſſe compoſita quodammodo, cùm in aliquo differant, & in aliquo conueniant. Sed ſecundùm hoc, licet omne differens ſit diuerſum, non tamen omne diuerſum eſt differens: nam ſimplicia diuerſa ſunt ſeipſis, non autem differunt aliquibus differentiis ex quibus componantur. 1. *p. q.* 90.

Digitized by Google

art. 1. *ſimile Contra Gentiles lib.* 2. *cap.* 85.

idem locus explicatur ſupra, Gen. 1. *v.* 26. & 28.

GENESIS Cap. II. v. 7.

Et factus eſt homo in animam viuentem.

Dicitur primus homo factus fuiſſe in animam viuentem, id eſt, corpori vitam dantem, ſcilicet animalem 1. *p. q.* 9. *art.* 2. & *q.* 97. *art.* 3. *in corpore*.

GENESIS Cap. II. v. 8.

Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis,

Videtur quod paradiſus voluptatis locus corporalis eſſe non poſſit; Homo enim ab aliis animalibus in re corporali non diſtinguitur, cum quibus vitam & ſenſum communicat; ſed in re ſpirituali, ſcilicet intellectu; cùm ergo ab omnibus animalibus in paradiſo dicatur diſtingui, quia alia animalia ibi poſita non fuerunt; videtur quod paradiſus ſit locus tantùm ſpiritualis.

2. Multi inueniuntur de diuerſis terræ locis ſcripſiſſe: De hoc autem loco nullus vnquam ſcripſit; ergo videtur probabile quod non ſit locus corporalis.

Prou. 3. v. 18. 3. *Lignum vitæ eſt ſapientia*; Cùm igitur ſapientia non ſit quid corporale videtur quod ea quæ de paradiſo dicuntur, corporaliter non accipienda ſint.

4. Id quod debetur homini damnato, non conuenit propriè naturæ inſtitutæ: ſed agricultura data eſt in pœnam homini damnato, *in ſudore vultus tui*; ergo videtur quòd non niſi myſticè dictum ſit, hominem in paradiſo poſitum, vt operaretur illum. Gen 3. v. 19.

5. Vbi nullus inuaſor timetur, non eſt neceſſaria cuſtodia: ſed nullus paradiſum inuadere poterat; ergo non propriè intelligendum.

Dicendum ſimpliciter, paradiſum locum quendam corporalem eſſe, in determinata parte terræ ſic ſitum, temperatiſſimum & amœnum; vt homo nullis perturbationibus impeditus, ſpiritualibus deliciis quietè frueretur. Hunc autem locum exiſtimant ſub æquinoctiali eſſe verſùs partem orientalem, eo quod quidam Philoſophi locum illum temperatiſſimum aſſerunt; ex quo etiam loco Nilus vnus de quatuor fluminibus paradiſi fluere videtur.

Ad 1. Argumentum R. quòd etiam in virtute ſenſitiua homo alia animalia excedit, quia etiam melioris tactus eſt, & magis vigent in eo inferiores ſenſus; vt per eos operatio intellectus melius compleri poſſit. Et ideo etiam vt quietiùs operationi intellectuali vacaret, locum tranquillum ſeorſùm ab aliis animalibus accepit: non enim probabile illuc alia animalia peruenire potuiſſe ex ſeipſis; niſi aut virtute diuinâ ad tempus, vt quando adducta ſunt animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Niſi fortè hoc per interiorem reuelationem factum exponatur: vel etiam operatione dæmonis, vt patet de ſerpente. Gen 2. v. 19.

Ad 2. R. quòd locus ille eſt remotus etiam à noſtra habitatione aliquibus impedimentis, vt adiri non poſſit; vel montibus, vel

Digitized by Google

aquis, vel etiam aëris intemperie in loco intermedio; & ideo eius notitia haberi non potuit, niſi per reuelationem ſcripturæ.

Ad 3. R. quòd ſicut per Hieruſalem ſignificatur præſens eccleſia, & etiam cœleſtis patria; & tamen ad literam Hieruſalem ciuitas quædam fuit: ita etiam quamuis per lignum vitæ ſapientia ſignificetur, non remouetur quin lignum vitæ arbor quædam ad literam intelligatur.

Ad 4. R. quòd in ſtatu innocentiæ non fuiſſet agricultura laborioſa, ſicut eſt in ſtatu peccati; ſed delectabilis ex conſideratione diuinæ prouidentiæ & naturalis virtutis.

Gen. 2. v. 15. Ad 5. R. quòd homo eſt poſitus in paradiſo ad cuſtodiendum ipſum ſibi, non contra aliquem inuaſorem, ne ſcilicet per peccatum ipſum amitteret. Vel dicendum quòd hoc non ſic intelligendum eſt, quaſi homo debeat operari paradiſum, vel cuſtodire: ſed ideo poſitus eſt in paradiſo, vt Deus ibi operaretur hominem, & cuſtodiret eum. Sicut enim homo operatur terram vt faciat eam fructiferam, ſic Deus operatur hominem, vt iuſtus ſit, & cuſtodit eum; quia ſine eius adiutorio tutus eſſe non poteſt. *Lib. 2. ſent. Diſt. 17. q. 3. art. 2. ſimile 1. p. q. 102. artic. 1. & art. 3.*

Plant. Dominus parad. volupt. Si paradiſus eſt locus corporalis, oportet quòd & ligna paradiſi ſint corporalia: ſed hoc non videtur; cùm corporalia ligna ſint producta tertio die; de plantatione autem *Gen. 2. v. 8.* lignorum paradiſi legitur, poſt opera 6. dierum; ergo paradiſus non eſt locus corporeus.

Dicendum quòd ſecundùm Auguſt. tertio die productæ ſunt plantæ, non in actu, ſed ſecundùm quaſdam rationes ſeminales: ſed poſt opera ſex dierum productæ ſunt plantæ, tam paradiſi quàm aliæ, in actu. Secundùm aliòs verò ſanctos, oportet dicere quòd omnes plantæ productæ ſunt in actu, tertio die; & etiam ligna paradiſi. Sed quod dicitur de plantatione lignorum paradiſi poſt opera ſex dierum, intelligitur per recapitulationem eſſe dictum. Vnde litera noſtra habet, *Plantauerat Dominus, &c. 1. p. q. 102. art. 1. ad 5.*

Plantau. Dominus parad. volupt. Videtur quòd paradiſus non fuerit locus conueniens habitationi humanæ; Fruſtra enim eſt locus in quo nullum locatum continetur: ſed poſt peccatum paradiſus non eſt locus habitationis humanæ; ergo in vanum videtur à Deo inſtitutus fuiſſe.

2. Homini, cùm ſit temperatæ complexionis, congruus eſt locus temperatus: ſed locus paradiſi non eſt locus temperatus; dicitur enim eſſe ſub æquinoctiali circulo, qui locus videtur eſſe calidiſſimus; cùm bis in anno ſol tranſeat ſuper ſummitatem capitum eorum qui ibi habitant; ergo.

Dicendum quòd homo ſic erat incorruptibilis & immortalis, non quia corpus eius diſpoſitionem incorruptibilitatis haberet; ſed quia inerat animæ vis quædam ad præſeruandum à corruptione. Corrumpi autem poteſt corpus humanum, & ab interiori, & ab exteriori: Ab interiori quidem corrumpitur per conſumptionem humidi, & per ſenectutem; cui corruptioni

Digitized by Google

occurrere poterat primus homo per eſum ciborum. Inter ea verò quæ exteriùs corrumpunt, præcipuum videtur eſſe diſtemperatus aër: vnde huic corruptioni maximè occurritur per temperiem aëris. In paradiſo autem vtrumque inuenitur; ergo eſt locus conueniens.

Ad 1. R. quòd non propter hoc locus eſt fruſtra, quia non eſt ibi hominum habitatio poſt peccatum: ſicut etiam non fruſtra fuit homini attributa immortalitas quædam, quam conſeruaturus non erat. Per huiuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiſerit. Quamuis, vt dicitur, nunc Enoch & Elias in illo paradiſo habitent.

Ad 2. R. quòd illi qui dicunt paradiſum eſſe ſub circulo æquinoctiali, opinantur ſub circulo illo eſſe locum temperatiſſimum, propter æqualitatem dierum & noctium omni tempore; & quia ſol nunquam multùm ab eis elongatur, vt ſit apud eos ſuperabundantia frigoris: nec iterum eſt apud eos (vt dicunt) ſuperabundantia caloris; quia etſi ſol pertranſeat ſuper eorum capita, non tamen diu moratur ibi in hac diſpoſitione.

Ariſtot. tamen dicit quod regio illa eſt inhabitabilis propter æſtum; quod videtur probabilius, quia terræ per quas nunquam ſol pertranſit in directum capitis, ſunt intemperatæ in calore, propter ſolam vicinitatem ſolis. Quicquid autem de hoc ſit, credendum eſt paradiſum in loco temperatiſſimo conſtitutum eſſe, vel ſub æquinoctiali, vel alibi. 1. *p. q.* 102. *art.* 2.

Plantau. Dominus parad. volupt. Videtur quòd adoratio non requirat determinatum locum; dicitur enim *Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolimis adorabitis patrem:* Eadem autem ratio videtur eſſe & de aliis locis; ergo. *Ioan.4. v. 21.*

2. Adoratio exterior ordinatur ad interiorem: ſed interior adoratio fit ad Deum vt vbique exiſtentem; ergo.

3. Idem eſt Deus qui in nouo & veteri teſtamento adoratur: ſed in veteri teſt. fiebat adoratio ad occidentem; nam oſtium tabernaculi reſpiciebat ad orientem; ergo eadem ratione etiam nunc debemus adorare ad occidentem, ſi aliquis locus determinatus requiritur ad adorandum. *Exod. 26.*

Dicendum quòd in adoratione principaliùs eſt interior deuotio mentis; ſecundarium autem eſt quod pertinet exteriùs ad corporalia ſigna: mens autem interiùs apprehendit Deum, quaſi non comprehenſum aliquo loco: ſed corporalia ſigna neceſſe eſt quòd in determinato loco & ſitu ſint. Et ideo determinatio loci non requiritur ad adorationem principaliter, quaſi ſit de neceſſitate ipſius; ſed ſecundùm quandam decentiam, ſicut & alia corporalia ſigna.

Ad 1. R. quòd Dominus per illa verba prænuntiat ceſſationem adorationis, tam ſecundùm ritum Iudæorum adorantium in Hieruſalem, quàm etiam ſecundùm ritum Samaritanorum adorantium in monte Garizin: vterque enim ritus ceſſauit, veniente ſpirituali Euangelij veritate; ſecundùm quam in omni loco Deo ſacrificatur.

Digitized by Google

Ad 2. R. quòd determinatus locus eligitur ad adorandum, non propter Deum qui adoratur, quaſi loco concludatur; ſed propter ipſos adorantes. Et hoc triplici ratione, primò quidem propter loci conſecrationem, ex qua ſpecialem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiantur: ſicut patet ex
3 *Reg.* 8 oratione Salomonis. Secundò propter ſacra myſteria, & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur. Tertiò propter concurſum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis; ſecundùm il-
Matth. 18. v. 20 lud, *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum.*

Ad 3. R. quòd ſecundùm quandam decentiam adoramus versùs orientem; Primò quidem propter diuinæ maieſtatis indicium, quod nobis manifeſtatur in motu cœli; qui eſt ab oriente. Secundò propter
Gen. 2. *Iuxta* 70. paradiſum in Oriente conſtitutum, vt legitur; quaſi quæramus ad paradiſum redire. Tertiò propter Chriſtum, qui eſt lux mundi, &
Interpr. Zachar. 6. v. 12. *Oriens* nominatur; &, *qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem.* Et ab oriente etiam expectatur venturus,
Pſ. 67. v. 34. ſecundùm illud *ſicut fulgur exit ab oriente & paret vſque ad occidentem;*
Matth. 24. v. 27. *ita erit & aduentus filij hominis.* 22. *q.* 84. *art.* 3.

GENESIS Cap. II. *v.* 10.

Fluuius egrediebatur, qui diuiditur in quatuor capita.

QVatuor flumina quæ ſcriptura commemorat de paradiſo egredi, ex diuerſis fontibus emanant. Cùm ergo ſcriptura de vno fonte qui in paradiſo eſt, dicat horum fluminum eſſe originem; videtur quòd non poſſit intelligi de fonte & fluminibus corporalibus.

Dicendum quòd ſicut contingit in quibuſdam fluminibus, vt fontes à quibus originem habent ſub terram intrent, poſtquam per aliquod ſpatium fluxerunt, & iterum in aliis locis erumpant. Ita etiam hoc in illis fluminibus contingere, quòd primum principium eorum eſt fons paradiſi; qui in aliquo loco nobis ignoto terram ſubintrat, & deinde in aliis locis aqua illa erumpit, vbi videtur illorum fluminum eſſe principium. *Lib.* 2. *Sent. Diſt.* 17. *q.* 3 *art.* 2. *ad* 5. & 1. *p. q.* 102. *art.* 1. *ad* 2.

GENESIS. Cap. II. *v.* 15.

Tulit Deus hominem & poſuit eum in paradiſo.

VIdetur quòd homo factus fuerit in paradiſo, Angelus enim in loco ſuæ habitationis creatus fuit, ſcilicet in cœlo empyreo: ſed paradiſus fuit locus congruus habitationi humanæ ante peccatum; ergo videtur quòd in paradiſo homo debuit fieri.

2. Alia animalia conſeruantur in loco ſuæ generationis; ſicut piſces in aquis, & animalia greſſibilia in terra, vnde producta ſunt, homo autem conſeruatus fuiſſet in paradiſo; ergo.

3. Mulier in paradiſo facta fuit: ſed vir dignior eſt muliere; ergo multò magis vir debuit fieri in paradiſo.

Sed contra eſt quod dicitur in textu. Dicendum quòd paradiſus fuit locus congruus habitationi humani,

humanæ, quantùm ad incorruptionem primi ſtatus: incorruptio autem illa non erat hominis ſecundùm naturam, ſed ex ſupernaturali Dei dono. Vt ergo hoc gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ; Deus hominem extra paradiſum fecit, & poſtea ipſum in paradiſo poſuit, vt habitaret ibi toto tempore animalis vitæ; poſtmodum cùm ſpiritualem vitam adeptus eſſet, transferendus in cœlum.

Ad 1. R. quòd cœlum empyrum eſt locus congruus Angelis, quantùm ad eorum naturam, & ideo ibi ſunt creati. Et ſimiliter dicendum ad ſecundum.

Ad 3. R. quòd mulier facta fuit in paradiſo, non propter dignitatem ſuam; ſed propter dignitatem principii ex quo corpus eius formabatur. Et ſimiliter filii in paradiſo fuiſſent nati, in quo parentes iam erant poſiti. 1. *p. quæſt.* 102. *art.* 4.

GENESIS. Cap. II. *v.* 15.

Vt operaretur & cuſtodiret illum.

EXplicatur ſuprà, *Geneſ.* 2. *verſ.* 8.

GENESIS. Cap. II. *v.* 16.

Ex omni ligno paradiſi comede.

VIdetur quòd homo in ſtatu innocentiæ non indigebat cibis; cibus enim neceſſarius eſt homini ad reſtaurationem deperditi: ſed in corpore Adæ nulla fiebat deperditio, quia incorruptibile erat; ergo

2. Cibus eſt neceſſarius ad nutriendum: ſed nutritio non eſt ſine paſſione; cùm ergo corpus hominis eſſet impaſſibile, non erat ei cibus neceſſarius.

3. Cibus dicitur eſſe nobis neceſſarius ad vitæ conſeruationem: ſed Adam aliter vitam poterat conſeruare; quia ſi non peccaret, non moreretur; ergo.

4. Ad ſumptionem cibi ſequitur emiſſio ſuperfluitatum; quæ habent quãdam turpitudinem non conuenientem dignitati primi ſtatus; ergo videtur quòd homo in primo ſtatu cibis non vteretur.

Sed contra eſt quod dicitur in textu. Dicendùm quòd homo in ſtatu innocentiæ habuit vitam animalem cibis indigentem: poſt reſurrectionem verò habebit vitam ſpiritualem cibis non indigentem. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd anima rationalis & anima eſt & ſpiritus. Dicitur autem eſſe anima, ſecundùm illud quod eſt commune ſibi & aliis animabus, quod eſt vitam corpori dare. Sed dicitur ſpiritus, ſecundùm illud quod eſt proprium ſibi, & non aliis animabus; quòd ſcilicet habeat virtutem intellectiuam immaterialem.

Homo cibis indigebat in ſtatu innocentiæ.

In primo igitur ſtatu, anima rationalis communicabat corpori id quod competit ei, in quantum eſt anima; & ideo corpus illud dicebatur animale, in quantum ſcilicet habebat vitam ab anima. Primum autem principium vitæ in iſtis inferioribus eſt anima vegetabilis, cuius opera ſunt alimento vti, & generare; & augere; & ideo hæc opera homini in primo ſtatu competebant: in vltimo vero ſtatu poſt reſurrectionem, anima communicabit quodam modo corpori

Digitized by Google

ea quæ ſunt ſibi propria, in quantum eſt ſpiritus: immortalitatem quidem quantùm ad omnes; impaſſibilitatem verò & gloriam & virtutem quantùm ad bonos, quorum corpora ſpiritualia dicentur. Vnde poſt reſurrectionem homines cibis non indigebunt; ſed in ſtatu innocentiæ eis indigebant.

Ad 1. R. quòd immortalitas primi ſtatus erat ſecundùm vim quandam ſupernaturalem in anima reſidentem, non autem ſecundùm aliquam diſpoſitionem corpori inhærentem: Vnde per actionem caloris aliquid de humido illius corporis poterat deperdi. Et ne totaliter conſumeretur, neceſſe erat per aſſumptionem cibi, homini ſubueniri.

Ad 2. R. quòd in nutritione eſt quædam paſſio & alteratio, ſcilicet ex parte alimenti, quod conuertitur in ſubſtantiam eius quod alitur. Vnde ex hoc non poteſt concludi quòd corpus hominis fuerit paſſibile, ſed quòd cibus aſſumptus erat paſſibilis. Quamuis etiam talis paſſio eſſet ad perfectionem naturæ.

Ad 3. R. quòd ſi homo ſibi non ſubueniret de cibo, peccaret, ſicut peccauit ſumendo vetitum cibum: ſimul enim ſibi præceptum fuit, vt à ligno ſcientiæ boni & mali abſtineret; & vt de omni alio ligno paradiſi veſceretur.

Ad 4. R. quòd quidam dicunt, quòd homo in ſtatu innocentiæ non aſſumpſiſſet de cibo, niſi quantum fuiſſet ei neceſſarium; vnde non fuiſſet ibi ſuperfluitatum emiſſio. Sed hoc irrationale videtur, quòd in cibo aſſumpto non eſſet aliqua fæculentia, quæ non eſſet apta vt conuerteretur in hominis nutrimentum: Vnde oportebat ſuperfluitates emitti. Tamen fuiſſet diuinitus prouiſum, vt nulla ex hoc indecentia eſſet. 1. *p. q.* 97. *art.* 3.

Genesis Cap. II. *v.* 17.

De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.

Sicut ordo præceptorum apparet in benefactis, ita ordo prohibitionum apparet in peccatis: ſed prima prohibitio homini facta fuit de vitio gulæ; ergo peccatum gulæ eſt primum & maximum.

R. quòd illa prohibitio facta Adæ, non fuit prohibitio vitii gulæ; quia poterat abſque omni vitio gulæ pomum illud comedi, ſi prohibitio non interueniſſet: ſed illud fuit præceptum diſciplinæ, vt ſcilicet homo experiretur quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Vnde primum peccatum hominis non fuit gula, ſed inobedientia ſiue ſuperbia. *In qq. diſp. q.* 14. *de malo art.* 2. Primũ hominis peccatum inobedientia ſiue ſuperbia.

De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Videtur quòd Adam poſt peccatum per eſum ligni vitæ à morte præſeruari potuiſſet; bonum enim efficacius eſt ad agendum quàm malum: ſed per lignum ſcientiæ boni & mali, quod erat mortis effectiuum, vt patet in textu, de immortali factus eſt mortalis, ergo multò fortiùs per lignum vitæ potuit vitam continuare, etiam mortalis factus.

2. Ea quæ agunt virtute naturæ, ſimiliter agunt in peccatorem &

inſtum; ſicut ignis ſimiliter calefacit corpus vtriuſque: ſed lignum vitæ virtute naturali, corpus hominis ante peccatum poterat præſeruare à morte; ergo pari ratione poſt peccatum.

3. Dominus poſt peccatum hominem ab eſu ligni vitæ coërcuit, ne pœnam mortis euaderet, quam peccando meruerat, vt dicitur;
Gen. 3. v. 22. *videte ne fortè ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*: Hoc autem fruſtra fuiſſet, niſi per lignum vitæ mortem potuiſſet vitare; potuit ergo Adam etiam poſt peccatum, per eſum ligni vitæ præſeruari à morte.

Sed contra, manente culpâ pœna non poteſt auferri: ſed mors eſt pœna originalis peccati, vt patet;
Rom. 5. v. 12. *per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors*: lignum autem vitæ non poterat peccatum originale auferre; ergo nec à morte præſeruare.

Dicendum quòd remotâ virtute principalis agentis, per actionem inſtrumenti, effectus produci non poteſt. In ſtatu autem innocentiæ, reſpectu huiuſmodi effectus, qui eſt perpetua continuitas vitæ, principalis agens erat anima, quæ virtute originalis iuſtitiæ, poterat corpus ſuum præſeruare à morte, adhibitis aliquibus adminiculis, quibus vt inſtrumentis vtebatur; inter quæ præceptum erat lignum vitæ. Vnde remotâ originali iuſtitiâ, nec lignum vitæ, nec aliquid aliud naturale poteſt præſeruare à morte: ſicut nunc vidimus quòd natura fortis, adminiculo alicuius medicinæ, corpus ſanat: ſi autem vigore naturæ ſublato, medicina eadem apponatur, non poterit perficere ſanitatem.

Ad 1. R. quòd lignum ſcientiæ boni & mali, non induxit ſtatum mortalitatis, aliquâ virtute naturali; ſed per tranſgreſſionem præcepti, per quam eſt iuſtitia originalis ſublata.

Ad 2. R. quòd ratio illa procedit de rebus illis naturalibus, quæ habent effectus ſicut cauſæ principales agentes, & non ſicut inſtrumenta iuſtitiæ alicuius: ſed de ligno vitæ erat totum contrarium.

Ad 3. R quòd licet per lignum vitæ, non potuit homo poſt peccatum totaliter præſeruari à morte; potuit tamen eius virtute diutiùs mortem differre; quod ei iam in miſeria conſtituto non expediebat. Et ſic verba Domini magis per compaſſionem, quàm per inſultationem ſunt accipienda. *Lib. 2. ſent. ad Anibaldum Diſt. 29. art. 3.*

Morte morieris. Videtur quòd mors & alii defectus huius vitæ, non ſint pœna originalis peccati; quia mors eſt communis homini & animalibus: ſed non conuenit animalibus ratione culpæ; ergo nec homini.

2. Pœna debet eſſe proportionabilis peccato, vt dicitur, *pro menſura delicti erit & plagarum modus*: ſed culpa originalis eſt æqualis omnibus qui ex Adam naſcuntur; defectus autem prædicti non ſunt æquales, quia quidam ſtatim naſcuntur ægrotatiui, quidam diuerſimodè læſi, quidam bene diſpoſiti; huiuſmodi ergo defectus non ſunt pœna originalis peccati. Deut. 25. v. 2.

3. Huiuſmodi defectus ſunt quædam pœna ſenſus: ſed pœna ſenſus debetur peccato propter conuer-

Digitized by Google

ſionem indebitam ad bonum commutabile, quæ quidem conuerſio non eſt in originali peccato; ergo huiuſmodi defectus non reſpondent ei pro pœna.

4. Pœna reſpondet culpæ: ſed culpa pertinet ad hominem in quantum eſt homo; cùm ergo mors & alia huiuſmodi non ſint hominis in eo, quod homo, quia etiam aliis inſunt; videtur quod huiuſmodi defectus non ſint pœnæ.

5. Peccatum originale eſt priuatio originalis iuſtitiæ, quæ inerat homini ſecundùm animam: ſed huiuſmodi defectus pertinent ad corpus; non ergo reſpondent peccato originali pro pœna.

6. Si Adam non peccaſſet, filii eius peccare potuiſſent; & ſi peccaſſent, morerentur: ſed non propter originale peccatum, quod in eis non fuiſſet; ergo mors non eſt pœna peccati originalis.

Dicendum quòd ex fide tenendum eſt, quòd mors & omnes huiuſmodi defectus præſentis vitæ, ſunt pœna peccati originalis.

Ad 1. Argum. R. quod aliquid poteſt conuenire vni ratione naturæ, & alteri ratione pœnæ: ſicut in eo qui cæſpitat propter cæcitatem in qua natus eſt, huiuſmodi cæſpitatio non habet rationem pœnæ, quantùm ad iuſtitiam humanam; ſed naturalis defectus: in eo autem qui cæcatus eſt propter crimen, habet rationem pœnæ.

Ad 2. R. quòd huiuſmodi defectus non ſunt pœna taxata pro peccato; ſed pœna concomitans. Sicut videmus quòd iudex pro aliquo crimine facit aliquem hominem excæcari: ſed ad cæcitatem eius conſequuntur multa incommoda, puta quod mendicat &c. quos defectus conſequentes non ponderat iudex.

Ad 3. R. quòd pœna ſenſus taxata non debetur niſi conuerſioni actuali: ſed alia ratio eſt de pœna concomitante.

Ad 4. R. quòd aliquid quod in homine habet rationem culpæ, vt occidere hominem; poteſt quidem eſſe in aliis animalibus, non tamen habens rationem culpæ, quæ conſiſtit in hoc quod ſit ſecundùm voluntatem; quæ in beatis eſſe non poteſt. Et ſimiliter defectus qui ſunt communes & homini & aliis animalibus, in homine habent rationem pœnæ, quæ conſiſtit in hoc quod ſit contra voluntatem; non autem in aliis animalibus: Nam ratio pœnæ & culpæ eſt hominis, ſecundùm quod homo.

Ad 5. R. quòd per iuſtitiam originalem conſeruabatur debita habitudo corporis ſub anima, quamuis ipſa in anima eſſet; & ideo conuenienter ad peccatum originale, quo priuatur originalis iuſtitia, ſequuntur defectus corporales.

Ad 6. R. quòd filii Adam non naſcerentur in iuſtitia confirmati: ſi ergo aliquis ex poſteris Adam peccaſſet, eo non peccante, moreretur quidem propter ſuum peccatum actuale, ſicut Adam mortuus fuit; ſed poſteri eius morerentur propter peccatum originale. *In queſt. Diſput. q. 5. de malo art. 4. v. 1. p. q. 100. art. 2. & 12. q. 81. art. 2.*

In quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Sed quia Adam nec eo die quo comedit actu mortuus eſt, oportet ſic intelligi quod dici-

Digitized by Google

tur, *morte morieris*, id eſt, neceſſitati mortis eris addictus; quod quidem fruſtra diceretur, ſi homo ex inſtitutione ſuæ naturæ neceſſitatem moriendi haberet. Oportet igitur dicere quod mors, & neceſſitas moriendi ſit pœna homini pro peccato inflicta: pœna autem non infligitur iuſtè niſi pro culpa. In quibuſcumque igitur inuenitur hæc pœna, neceſſe eſt vt in eis inueniatur aliqua culpa: ſed in omni homine inuenitur hæc pœna, etiam à principio ſuæ natiuitatis; ex tunc enim naſcitur neceſſitati mortis addictus; vnde & alicui mox poſt natiuitatem moriuntur de vtero translati ad tumulum; ergo in eis eſt aliquod peccatum: ſed non peccatum actuale, quia non habent pueri vſum liberi arbitrii, ſine quo nihil imputatur homini ad peccatum, neceſſe eſt igitur dicere quòd in eis ſit peccatum per originem traductum.

Mors ex peccato originali.

Hoc etiam expreſsè apparet, *Sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors; ita & in omnes homines mors pertranſiit in quo omnes peccauerunt.* Non poteſt autem dici quòd per vnum hominem in mundum peccatum intrauit per modum imitationis, quia ſic peccatum non perueniſſet niſi ad eos qui peccando primum hominem imitantur: & cùm mors per peccatum in mundum intrauerit, non perueniret mors niſi ad eos qui peccant in ſimilitudinem primi hominis peccantis: ſed ad hoc excludendum Apoſt. ſubdit, quòd *regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*; Non ergo intellexit Apoſt. quòd per vnum hominem peccatum in mundum intrauerit per modum imitationis, ſed per modum originis.

Rom. 5. v. 12.

Rom. 5. v. 14.

Præterea, ſi tantùm ſecundùm imitationem Apoſt. loqueretur de introitu peccati in mundum; potiùs dixiſſet per diabolum peccatum intraſſe in mundum quàm per vnum hominem: ſicut expreſsè dicitur, *inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.

Sap. 2. v. 24.

Adhuc, Dauid, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, &c.* quod non poteſt intelligi de peccato actuali, cùm Dauid ex legitimo matrimonio conceptus & natus dicatur; oportet igitur vt hoc ad peccatum originale referatur.

Pſ. 50. v. 7.

Ampliùs, dicitur, *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* ex quo manifeſtè accipi poteſt, quòd ex immunditia humani ſeminis, aliqua immunditia ad hominem ex ſemine conceptum perueniat: Quod oportet intelligi de immunditia peccati, pro qua ſola homo in iudicium deducitur; præmittitur enim, *Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium.* Sic igitur aliquod peccatum eſt quod homo contrahit ab ipſa ſui origine, quod originale dicitur.

Iob. 14. v. 4.

Item, Baptiſmus & alia Sacramenta Eccleſiæ, ſunt quædam remedia contra peccatum: exhibetur autem baptiſmus ſecundùm communem Eccleſiæ conſuetudinem pueris recenter natis; fruſtra igitur exhiberetur, niſi in eis eſſet aliquod peccatum: non eſt autem in eis peccatum actuale, quia carent vſu

Digitized by Google

liberi arbitrii, ſine quo nullus actus homini in culpam imputatur; oportet igitur dicere in eis eſſe peccatum per originem traductum, cùm in operibus Dei & Eccleſiæ nihil ſit vanum & fruſtra.

Si autem dicatur, quòd baptiſmus infantibus datur, non vt à peccato mundentur, ſed vt ad regnum Dei perueniant; quo perueniri non poteſt ſine baptiſmo, cùm Ioan. 3. v. 5. Dominus dicat, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu S. non poteſt introire in regnum Dei*; hoc vanum eſt, nullus enim à regno Dei excluditur niſi propter aliquam culpam; finis enim omnis rationalis creaturæ eſt, vt ad beatitudinem perueniat, quæ eſſe non poteſt niſi in regno Dei, quod quidem nihil eſt aliud quàm ordinata ſocietas eorum, qui diuinâ viſione fruuntur, in qua vera beatitudo conſiſtit: nihil autem à fine ſuo deficit niſi propter aliquod peccatum; ſi igitur pueri nondum baptiſati ad regnum Dei peruenire non poſſunt, oportet dicere eſſe in eis aliquod peccatum. Sic igitur ſecundùm fidei catholicæ traditionem tenendum eſt homines naſci cum peccato originali.

Ezech. 18. v. 20 Dices, quòd *filius non portat iniquitatem patris*: Et huius ratio eſt quia non laudamur neque vituperamur niſi ex his quæ in nobis ſunt: hæc autem ſunt quæ noſtrâ voluntate committimus: non igitur peccatum primi hominis toti humano generi imputatur.

2. Si peccatum à primo parente in alios deriuatur, quia ab eo originem trahunt; cùm Chriſtus à primo parente originem duxit, videtur quod ipſe etiam peccato originali ſubiectus fuerit; quod eſt alienum à fide.

3. Quod conſequitur aliquid ſecundùm ſuam originem naturalem, eſt ei naturale: Quod eſt alicui naturale non eſt peccatum in ipſo; ergo.

4. Peccata quæ proueniunt in operibus naturæ per corruptionem alicuius principii, non fiunt ſemper vel frequenter, ſed vt in paucioribus; ſi igitur per vitiatam originem peccatum à primo parente in poſteros deriuatur, non deriuatur in omnes, ſed in aliquos paucos.

5. Si per vitiatam originem aliquis defectus in prole proueniat, eiuſdem generis oportet eſſe illum defectum cum vitio qui eſt in origine; quia effectus ſunt conformes ſuis cauſis: Origo autem ſiue generatio humana, cùm ſit actus potentiæ generatiuæ, quæ nullomodo participat rationem, non poteſt habere in ſe vitium quod pertineat ad genus culpæ; quia in his ſolis actibus poteſt eſſe virtus vel vitium, qui ſubduntur aliqualiter rationi: Vnde non imputatur homini ad culpam, ſi propter vitiatam originem naſcatur leproſus vel cæcus; nullo igitur modo defectus culpabilis prouenire poteſt à primo parente in poſteros per vitiatam originem.

6. Naturæ bonum per peccatum non tollitur; vnde etiam in dæmonibus manent naturalia bona: generatio autem eſt actus naturæ; ergo.

7. Homo generat ſibi ſimilem ſecundùm ſpeciem; in his ergo quæ non pertinent ad generationem ſpeciei, non oportet filium aſſimilari parentibus: peccatum autem

Digitized by Google

non poteſt pertinere ad rationem ſpeciei; quia peccatum non eſt eorum quæ ſunt ſecundùm naturam, ſed magis corruptio naturalis ordinis; ergo.

Ad 1. Argum. R. quòd peccatum quod ad aliquod indiuiduum ſiue perſonam hominis pertinet, alteri non imputatur ad culpam: ſi autem illud peccatum naturam ſpeciei reſpiciat, non eſt inconueniens quòd ex vno propagetur in alterum. Sic autem eſt peccatum originale, ſic enim natura humana fuit inſtituta in ſui primordio, quòd inferiores vires perfectè rationi ſubiicerentur, ratio Deo, & animæ corpus, Deo per gratiam ſupplente id quod ad hoc deerat per naturam. Huiuſmodi autem beneficium quod à quibuſdam originalis iuſtitia dicitur, ſic primo homini collatum fuit, vt ab eo ſimul cum natura humana propagaretur in poſteros: ratione autem per peccatum primi hominis ſe ſubtrahente à ſubiectione diuina, ſubſecutum eſt quòd nec inferiores vires perfectè rationi ſubiiciantur, nec animæ corpus. Et hoc non tantùm in primo peccante, ſed idem defectus communis peruenit ad poſteros, ad quos etiam dicta originalis iuſtitia peruentura erat.

Sic igitur peccatum primi hominis, à quo omnes alii ſecundùm doctrinam fidei ſunt deriuati, & perſonale fuit, in quantum ipſum primum hominem proprio bono priuauit; & naturale in quantum abſtulit ſibi, & ſuis poſteris conſequenter beneficium collatum toti humanæ naturæ. Sic igitur huiuſmodi defectus in aliis conſequens ex primo parente, etiam in aliis rationem culpæ habet; prout omnes homines computantur vnus homo per participationem naturæ communis. Sic enim inuenitur voluntarium huiuſmodi peccatum voluntate primi parentis; quemadmodum & actio manus rationem culpæ habet ex voluntate primi mouentis, quod eſt ratio: vt ſic æſtimentur in peccato naturæ diuerſi homines quaſi naturæ communis partes; ſicut in peccato perſonali diuerſæ vnius hominis partes.

Secundùm hoc igitur verum eſt dicere quòd vno peccante omnes peccauerunt in ipſo (vt Apoſt. dicit) non quod eſſent actu in ipſo alii homines, ſed virtute, ſicut in originali principio. Nec dicuntur peccaſſe in eo quaſi aliquem actum exercentes, ſed in quantùm pertinent ad naturam ipſius, quæ per peccatum corrupta eſt.

Ad 2. R. quòd licet Chriſtus à primo parente ſecundùm carnem deſcenderit, non tamen inquinationem originalis peccati incurrit; quia materiam humani corporis ſolùm à primo parente ſuſcepit: virtus autem formatiua corporis eius, non fuit à primo parente deriuata, ſed fuit virtus ſpiritus ſancti. Vnde naturam humanam non ab Adam accepit ſicut ab agente, licet eam de Adam ſuſceperit ſicut de materiali principio.

Ad 3. R. quod prædicti defectus naturalem originem traducunt ex eo quod natura deſtituta eſt auxilio gratiæ, quod ei fuerat in primo parente collatum ad poſteros ſimul cum natura deriuandum: & quia hæc deſtitutio ex voluntario peccato proceſſit, defectus conſe-

quens ſuſcipit culpa rationem. Sic igitur defectus huiuſmodi, & culpabiles ſunt per comparationem ad principium, quod eſt peccatum Adæ; & naturales ſunt per comparationem ad naturam iam deſtitutam.

Nota quod vitium originis, ex quo peccatum originale cauſatur, prouenit ex defectu alicuius principii, ſcilicet gratuiti doni, quod naturæ humanæ in ſui inſtitutione fuit collatum; quodquidem donum quodammodo fuit naturale, non quaſi ex principiis naturæ cauſatum; ſed quia ſic fuit homini datum, vt ſimul cum natura propagaretur.

Ad 4. R. quòd intelligitur de defectu principii naturalis, quod pertinet ad naturam ſpeciei: Quod enim ex defectu huius naturalis principii prouenit, accidit vt in paucioribus: ſed defectus originalis peccati prouenit ex defectu principii ſuperadditi principio ſpeciei.

Ad 5. R. quòd in actu generatiuæ virtutis, non poteſt eſſe vitium de genere actualis peccati, quod ex voluntate ſingularis perſonæ dependet, eo quod actus generatiuæ virtutis non obedit rationi, vel voluntati: ſed vitium originalis culpæ, quæ ad naturam pertinet; nihil prohibet in actu generatiuæ potentiæ inueniri; cùm & actus generatiuæ potentiæ naturales dicantur.

Ad 6. R quòd per peccatum non tollitur homini bonum naturæ, quod ad ſpeciem naturæ pertinet: ſed bonum naturæ quod per gratiam ſuperadditum fuit, potuit per peccatum primi parẽtis auferri.

Ad 7. R. quòd cùm priuatio & defectus ſibi inuicem correſpondeant, ea ratione in peccato originali filii parentibus ſimilantur, qua etiam donum à principio naturæ præſtitum fuiſſet à parentibus in poſteros propagatum: Quia licet ad rationem ſpeciei non pertineret, tamen ex diuina gratia datum fuit primo homini; vt ab eo in totam ſpeciem deriuandum. Similiter peccatum per quod illud bonum priuatur, in totam ſpeciem deriuatur. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 50. 51. & 52.*

Morte morieris. Videtur quòd mors non ſit pœna peccati primorum parentum: id enim quod eſt homini naturale non poteſt dici pœna peccati; quia peccatum non perficit naturam, ſed vitiat: mors autem eſt homini naturalis, quod patet ex hoc quod corpus eius ex contrariis componitur; & ex hoc etiam quod mortale ponitur in deffinitione hominis; ergo.

2. Mors & alii corporales defectus ſimiliter inueniuntur in homine, ſicut in aliis animalibus ſecundùm illud, *Vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio*: ſed in animalibus brutis mors non eſt pœna peccati; ergo etiam neque in hominibus. *Eccl. 3. v. 19.*

3. Peccatum primorum parentum fuit ſpecialium perſonarum: ſed mors conſequitur totam humanam naturam; ergo non videtur eſſe pœna peccati primorum parentum.

4. Mors non videtur eſſe à Deo, dicitur enim quòd *Deus mortem non fecit*; ergo mors non eſt pœna primi peccati. *Sap 1. v. 31.*

5. Si mors eſſet pœna peccati, ſtatim

ſtatim fuiſſet ad peccatum conſecuta: ſed hoc non eſt verum; nam primi parentes poſt peccatum diu vixerunt; ergo.

Mors eſt pœna peccati.

Dicendum quòd ſi aliquis propter culpam ſuam priuetur aliquo beneficio ſibi dato, carentia illius beneficii eſt pœna culpæ illius: ſed homini in ſui prima inſtitutione hoc beneficium fuit collatum diuinitus, vt quandiu mens eius eſſet Deo ſubiecta; inferiores vires animæ ſubiicerentur rationali menti, & corpus animæ ſubiiceretur: ſed quia mens hominis per peccatum à diuina ſubiectione receſſit, conſecutum eſt vt nec inferiores vires totaliter ſubiicerentur rationi; vnde tanta eſt rebellio carnalis appetitus ad rationem; nec etiam corpus totaliter ſubiiceretur animæ, vnde conſequitur mors & alii corporales defectus, Vita enim & incolumitas corporis conſiſtit in hoc, quod ſubiiciatur animæ, ſicut perfectibile ſuæ perfectioni. Vnde per oppoſitum mors & ægritudo, & quilibet corporalis defectus, pertinet ad defectum ſubiectionis corporis ad animam.

Vnde patet quòd ſicut rebellio carnalis appetitus ad ſpiritum, eſt pœna peccati primorum parentum; ita etiam & mors & omnes corporales defectus.

Ad 1. R. quòd naturale dicitur quod ex principiis naturæ cauſatur: naturæ autem per ſe principia ſunt forma & materia. Forma autem hominis eſt anima rationalis, quæ de ſe eſt immortalis: & ideo mors non eſt naturalis homini ex parte ſuæ formæ. Materia autem hominis eſt corpus tale quod eſt ex contrariis compoſitum, ad quod ſequitur ex neceſſitate corruptibilitas; & quantùm ad hoc mors eſt homini naturalis.

Hæc tamen conditio in natura humani corporis eſt conſequens ex neceſſitate materiæ; quia oportebat corpus humanum eſſe organum tactus, & per conſequens medium inter tangibilia; & hoc non poterat eſſe niſi eſſet ex contrariis compoſitum: non autem eſt conditio ſecundùm quam materia adaptetur formæ; quia ſi eſſet poſſibile, cùm forma ſit incorruptibilis, potiùs oporteret materiam incorruptibilem eſſe. Sicut quòd ſerra ſit ferrea, competit formæ & actioni eius, vt per duritiem ſit apta ad ſecandum. Sed quòd ſit potens rubiginem contrahere, conſequitur ex neceſſitate talis materiæ, & non ſecundùm electionem agentis. Nam ſi artifex poſſet, faceret ex ferro ſerram quæ rubiginem contrahere non poſſet.

Deus autem qui eſt conditor hominis, omnipotens eſt: vnde ademit ſuo beneficio ab homine primitus inſtituto, neceſſitatem moriendi ex tali materia conſequentem: Quod tamen beneficium ſubtractum eſt per peccatum primorum parentum. Et ſic mors eſt naturalis propter conditionem materiæ, & eſt pœnalis propter amiſſionem diuini beneficii præſeruantis à morte.

Ad 2. R. quòd ſimilitudo illa hominis ad alia animalia, attenditur quantùm ad conditionem materiæ, id eſt, quantùm ad corpus ex contrariis compoſitum; non autem quantùm ad formam. Nam anima hominis eſt immortalis, brutorum verò animalium animæ ſunt mortales.

Ad 3. Dicendum quòd primi parentes fuerunt à Deo inſtituti, non ſolùm ſicut quædam perſonæ ſingulares, ſed ſicut quædam principia totius humanæ naturæ, ab eis ad poſteros deriuandæ ſimul cum beneficio diuino præſeruante à morte. Et ideo per eorum peccatum tota humana natura in poſteris tali beneficio deſtituta, mortem incurrit.

Ad 4. R. quòd mors dupliciter poteſt conſiderari; vno modo ſecundum quod eſt quoddam malum humanæ naturæ: & ſic non eſt ex Deo, ſed eſt defectus quidam incidens ex culpa humana. Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm quod habet quandam rationem boni, prout ſcilicet eſt iuſta quædam pœna: & ſic eſt à Deo.

Ad 5. R. quòd quamuis annos multos primi parentes poſtea vixerint, illo tamen die mori cœperunt; quo mortis legem, qua in ſenium veteraſcerent, acceperunt.

2. 2. *q.* 164. *art.* 1.

Morte morieris. Videtur quòd non fuerit conueniens Chriſtum mori, quia eſt fons omnis vitæ, *apud te*
Pſ. 35. v. 10. *eſt fons vitæ.*

2. Maior eſt defectus mortis quàm morbi; quia per morbum peruenitur ad mortem: ſed Chriſtus non habuit primum; ergo nec ſecundum.

Ioan. 10. v. 10. 3. Dicitur, *ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*: ſed oppoſitum non perducitur ad oppoſitum; ergo.

Dicendum quòd conueniens fuit Chriſtum mori; primò quidem ad ſatisfaciendum pro humano genere, quod erat morti adiudicatum propter peccatum, vt patet in textu. Eſt autem conueniens ſatisfaciendi pro alio modus, cùm aliquis ſe ſubiicit pœnæ quam alius meruit. Chriſtus propter 5. mortuus eſt. Secundò ad oſtendẽdum veritatem naturæ aſſumptæ. Tertiò vt moriendo, nos à timore mortis liberaret. Quartò vt corporaliter moriendo ſimilitudini peccati, id eſt, pœnalitati, daret nobis exemplum moriendi ſpiritualiter peccato. Quintò vt à mortuis reſurgendo, & virtutem ſuam oſtenderet, qua mortem ſuperauit; & nobis ſpem reſurgendi à mortuis daret.

Ad 1. R. quòd Chriſtus eſt fons vitæ ſecundùm quod Deus, non ſecundùm quod homo: mortuus eſt autem ſecundùm quod homo, non ſecundùm quod Deus.

Ad 2. R. quòd Chriſtus non ſuſtinuit mortem ex morbo prouenientem, ne videretur ex neceſſitate mori, propter infirmitatem naturæ: ſed ſuſtinuit mortem ab exteriori illatam, cui ſe ſpontaneum obtulit; vt mors eius voluntaria oſtenderetur.

Ad 3. R. quòd vnum oppoſitum per ſe non ducit ad aliud, ſed quandoque per accidens: ſicut frigidum quandoque per accidens calefacit. Et hoc modo Chriſtus per ſuam mortem nos perduxit ad vitam, dum ſuâ morte mortem noſtram deſtruxit: ſicut ille qui pœnam pro alio ſuſtinet, remouet pœnam eius.

3. *p. q.* 50. *art.* 1.

Morte morieris. Videtur quòd homo in ſtatu innocentiæ non fuerit immortalis; cuius enim principia ſunt corruptibilia, ipſum eſt corruptibile; cùm nihil ſit ſtabilius ſuis principiis: ſed principia corporis humani, ſcilicet 4. elementa, erant corruptibilia; ergo.

1. Cibus aſſumitur ad reſtaurationem deperditi: ſed homo in ſtatu innocentiæ cibo indigebat; ergo aliqua deperditio fiebat in eius corpore, & ita eius corpus non erat immortale.

Sed contra, id quod imponitur homini in pœnam, non competit ei in ſtatu innocentiæ: ſed mors impoſita eſt homini in pœnam, vt patet in textu; ergo homo in ſtatu innocentiæ erat immortalis.

Homo in ſtatu innocẽtiæ immortalis.

Dicendum quòd aliquid poteſt alicui attribui dupliciter, vno modo ratione ſui ipſius, ſicut aëri diaphanũ; alio modo ratione alterius, ſicut eidem eſſe illuminatum actu. Corpori ergo humano in ſtatu innocentiæ, ratione ſui ipſius immortalitas non competebat, cùm eſſet ex contrariis compoſitum: competebat autem ei ratione animæ, quæ immortalis erat vt pote immaterialis. Vnde vt ſua materia formæ non deficeret, data fuit animæ virtus in ſtatu innocentiæ; vt corpus contineret abſque morte, quandiu ipſa ſe contineret ſub Deo: & ſic mors non poterat in corpore accidere, niſi priùs peccatum in anima præceſſiſſet.

Patet ergo quòd quamuis homo in ſtatu innocentiæ aliquo modo mortalis & aliquo modo immortalis dici potuerit: Veriùs tamen immortalis dicebatur, quia immortalitas competebat ei abſolutè, & mortalitas ſub conditione, ſcilicet ſi peccaret.

Ad 1. R. quòd ratio illa procedit ſecundùm conditionem materiæ & non ſecundùm poteſtatem formæ.

Ad 2. R. quòd quamuis aliqua particularis diſſolutio in corpore Adæ eſſe potuerit, non tamen poterat eſſe totius corporis deſtructio. Propter vim enim regitiuam corpus quaſi deperditum reſtaurabatur: ſicut elementa ſunt corruptibilia ſecundùm partem, & non ſecundùm totum. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 19 q. 1. art. 1. ſimile lib. 2. ſent. Diſt. 19. art. 2.*

GENESIS. Cap. II. v. 18.

Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, Faciamus ei adiutorum ſimile ſibi.

IN matrimonio mulier propter virum facta eſt: ſed illud propter quod eſt alterum, ſemper eſt principale; ergo vir & mulier non ſunt in actu matrimonii æquales.

Dicendum quod duplex eſt æqualitas, ſcilicet quantitatis & proportionis. Æqualitas quantitatis eſt, quæ attenditur inter duas quantitates eiuſdem menſuræ, ſicut bicubiti ad bicubitum. Sed æqualitas proportionis eſt quæ attenditur inter duas proportiones eiuſdem ſpeciei, ſicut dupli ad duplum. Loquendo ergo de prima æqualitate, vir & vxor non ſunt æquales in matrimonio, neque quantùm ad actum coniugalem, in quo id quod nobilius eſt, viro debetur: neque quantùm ad diſpenſationem domus, in qua vxor regitur & vir regit. Sed quantùm ad ſecundam æqualitatem ſunt æquales in vtroque; quia ſicut tenetur vir vxori in actu coniugali & diſpenſatione domus, ad id quod viri eſt, ita vxor viro, ad id quod vxoris eſt. Et ſecundùm hoc ſunt æquales in reddendo & petendo debitum. *Lib. 4. ſent. Diſt. 32. q. 1.*

Quomodo vir & vxor ſunt æquales.

Digitized by Google

art. 3. & ſupplem. q. 64. art. 3. & lib. 4. ſent. ad Annibald. Diſt. 32. q. 1. ar. 1.

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Si fornicatio eſt peccatum, aut hoc eſt ratione potentiæ à qua egreditur actus, aut ratione materiæ, aut ratione finis: ſed fornicatio non eſt peccatum ratione potentiæ, quia potentia à qua egreditur actus, naturalis eſt; neque etiam ratione materię, quia materia eſt fœmina ad hunc vſum à Deo creata. Poteſt etiam contingere quòd nec ratione finis, puta ſi aliquis fornicando intendat generare prolem ad
Fornicatio peccatum eſt. cultum Dei nutriendam; ergo videtur quòd non omnis fornicatio ſit peccatum.

R. quòd actus luxuriæ eſt peccatum ratione potentię, in quantùm ſcilicet concupiſcibilis non continetur ſub ordine rationis: & ratione materiæ, quia actus conueniens generationi & educationi prolis non ſolùm requirit mulierem pro materia, ſed etiam mulierem matrimonio determinatam. Finis etiam ipſius actus ſecundùm ſuam naturam eſt inordinatus, licet ex intentione agentis poteſt eſſe finis bonus, qui non ſufficit ad excuſationem actus; vt patet in eo qui furatur intendens Eleemoſinam dare. *In q. diſp. q. 15. de malo art. 1.*

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Videtur quòd mulier non debuit produci, ſubiectio enim ex peccato eſt ſubſecuta: nam ad mulierem
Gen. 3. v. 16. dictum eſt poſt peccatum, *ſub viri poteſtate eris.*

2. Occaſiones peccatorum ſunt amputandæ: ſed Deus præſciuit quòd mulier eſſet futura viro in occaſionem peccati; ergo non debuit mulierem producere.

Dicendum quòd neceſſarium fuit fœminam fieri in adiutorium viri: non quidem in adiutorium alicuius operis, cùm ad quodlibet aliud opus conuenientiùs iuuari poſſit per alium virum, quàm per mulierem; ſed in adiutorium generationis.

Ad 1. R. quòd duplex eſt ſubiectio; vna ſeruilis ſecundùm quam præſidens vtitur ſubiecto ad ſui ipſius vtilitatem: & talis ſubiectio introducta eſt poſt peccatum. Eſt autem alia ſubiectio œconomica vel ciuilis, ſecundum quam præſidens vtitur ſubiectis ad eorum vtilitatem & bonum. Et iſta ſubiectio fuiſſet etiam ante peccatum: Subiectio duplex. Defuiſſet enim bonum ordinis in humana multitudine, ſi quidem per alios ſapientiores gubernati non fuiſſent. Et ſic ex tali ſubiectione naturaliter fœmina ſubiecta eſt viro, quia naturaliter in homine magis abundat diſcretio rationis. Nec inęqualitas hominum excluditur per innocentiæ ſtatum.

Ad 2. R. quòd ſi omnia ex quibus homo ſumpſit occaſionem peccandi, Deus ſubtraxiſſet à mundo; remanſiſſet vniuerſum imperfectum. Nec debuit bonum commune tolli, vt vitaretur particulare malum: præſertim cùm Deus ſit adeò potens, vt quodlibet malum poſſit ordinare in bonum. *1. p. q. 92. art. 1. & q. 98. art. 2.*

Geneſis. Cap. II. *v. 19.*

Adduxit ea ad Adam vt videret quid vocaret ea.

Explicatur ſuprà. *Gen. cap. 2. v. 6.*

Digitized by Google

GENESIS Cap. II. *v.* 20.

Appellauit Adam nominibus ſuis cuncta animantia.

NOmina imponuntur rebus ex proprietatibus earum ſumpta, quia vnaquæque res nominatur ab eo quod in ipſa eſt nobilius: ſed Adam animalibus nomina impoſuit; ergo in principio ſuæ creationis animalium naturas cognouit, & per conſequens aliarum rerum.

Dicendum quod illam ſcientiam neceſſe eſt homini in primo ſtatu attribuere, ſine qua imperfectus fuiſſet, & nihil ampliùs. Tunc autem alicuius ſcientia imperfecta dicitur, quando non nouit aliquid eorum quæ ad ipſum pertinent: & ideo nulla notitia eorum quæ ad hominem pertinebant in primo ſtatu homini defuiſſet. Pertinebat autem ad ipſum diſpoſitio ſui ipſius in actibus propriis: & ideo dicitur cognitionem perfectam habuiſſe eorum quæ ab ipſo agenda, vel vitanda erant.

Similiter etiam ad ipſum pertinebant aliæ creaturæ in quantum propter ipſum factæ erant, vt vel ab ipſis emolumentum acciperet, vel eis præeſſet, & ea gubernaret: & ideo tantùm de vnaquaque re cognoſcebat, quantùm ad vſum hominis pertinebat. Nec oportet plus cognitionis ſibi aſcribere in primo ſtatu.

Hanc autem cognitionem aliter Adam habuit, & aliter ad eam eius poſteri perueniſſent; quia natura à perfectis exordium ſumit, & Dei perfecta ſunt opera. Ideo Adam tanquam principium totius humani generis, omnem perfectionem quæ naturæ humanæ competit, in ſuo primordio accepit; ſicut ſecundùm corpus, ita & ſecundùm animam, vt eſſet potens ad propagandum alios corporaliter, & inſtruendum intellectum. Filii autem eius, quia cum originali iuſtitia naſcebantur, quæ ſine prudentia eſſe non poteſt, ſicut nec aliqua virtus; Ideo oportuit quod ſtatim nati habitum habuiſſent cognitionis illius, per quam cognoſcere poſſent quid agere, & quid vitare deberent. Sed habitus cognitionis aliarum rerum, non eſt neceſſe quòd in ſua natiuitate habuiſſent, ſed per inuentionem & doctrinam; vt tantùm ſimul cum perfectione corporis & perfectio cognitionis compleretur. *Lib.* 2. *ſent Diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 2.

Appellauit Adam nominibus ſuis. Videtur quòd Adam in ſtatu innocentiæ non habuit notitiam creaturarum omnium; non enim habuit notitiam futurorum, cum hoc ſolius Dei ſit proprium, ſecundùm illud, *Annunciate futura & dicemus quia dij eſtis vos*: ſed multa in creatura futura erant; ergo non omnium creaturarum cognitionem habuit. *Eſai.* 41 *v.* 23.

2. Cognitio propria non habetur de re aliqua, niſi per eius propriam ſpeciem in anima exiſtentem: ſed anima humana, eſt in ſui principio ſicut tabula raſa, in qua nihil ſcriptum eſt; ergo

3. Omnes homines in ſui principio quantum ad meritum pares ſunt, & quantum ad naturam ſpeciei conſimiles; ſi igitur perfecta rerum cognitio diuinitus fuit Adæ collata in principio ſuæ conditionis, videtur quòd pari ratione om-

nibus aliis hominibus in principio confertur ; quod videtur eſſe falſum.

4. Impoſſibile eſt quod intellectus intelligat, niſi quando intellectus fit actu ipſum intelligibile: ſed intellectus humanus non poteſt ſimul in actu fieri plura intelligibilia; ergo nec cognoſcere : & ita non potuit primus homo ſimul omnium rerum notitiam habere.

5. Vnius perfectibilis vna eſt perfectio, quia vna potentia non perficitur ſimul niſi vno actu vnius generis : ſicut in materia prima non poteſt eſſe niſi vna forma ſubſtantialis ; nec in corpore niſi vnus color : ſed intellectus humanus eſt potentia perfectibilis per habitus ſcientiarum ; ergo impoſſibile eſt quod ſimul in anima ſint plures habitus : & ita anima Adæ non potuit habere omnium rerum ſcientiam; cùm diuerſæ res per diuerſos habitus cognoſcantur.

6. Si Adam cognouit omnes creaturas, aut eas cognouit in Verbo, aut in propria natura, aut in ſua intelligentia : ſed non cognouit eas in Verbo, quia eſt cognitio beatorum videntium Verbum : nec in propria natura, quia nondum erant in propria natura : nec iterum in propria intelligentia; non enim eſt contra perfectionem primi ſtatus, vt ſuperior potentia ab inferiori accipiat, ſicut imaginatio à ſenſu: & ſic animæ humanæ competebat vt intellectus à ſenſu acciperet; & ſic cùm non omnes creaturas percepiſſet per ſenſum, non poterat omnium in intelligentia eius eſſe cognitio ; ergo nullo modo omnium creaturatum ſcientiam habuit.

7. Adam creatus fuit in ſtatu quo proficere poſſet, pari ratione ſecundùm intellectum, ſicut & ſecundùm affectum : ſed ille qui habet omnium rerum cognitionem, in ea proficere non poteſt ; ergo, non habuit tunc omnium rerum ſcientiam.

8. Adam in ſtatu innocentiæ non fuit perfectior Angelis beatis : ſed illi non omnia ſciunt. Vnde Dioniſius dicit quòd inferiores à ſuperioribus purgantur à neſcientia ; ergo nec homo in ſtatu innocentiæ omnia ſciuit.

Sed Contra, Adam magis erat ad imaginem Dei ſecundùm animã quàm ſecundùm corpus : ſed Adam fuit in ipſa prima conditione perfectus quantùm ad corpus ſecundùm ætatem in ſtatura; & quantùm ad omnia membra ; ergo etiam fuit ſecundùm animam perfectus, quantùm ad omnem ſcientiam.

Præt. Perfectio naturæ conditæ maior eſt quàm perfectio naturæ lapſæ : ſed cognitio futurorum pertinet ad conditionem naturæ lapſæ. Vnde quidam ſanctorum in hanc perfectionem promoti ſunt, vt futura cognoſcerent per donum prophetiæ poſt lapſum naturæ, ergo multò fortiùs Adam habuit cognitionem futurorum, & multò magis præſentium.

Præt. Nomina rerum debent eſſe conſona earum proprietatibus: ſed Adam impoſuit rebus nomina, vt patet in textu ; ergo ipſe plenariè res cognouit.

Dicendum quòd in Adam duplex fuit cognitio, ſcilicet naturalis & gratiæ. Cognitio autem naturalis humana, ad illa poteſt ſe extendere quæcumque ducta naturalis ratio-

Digitized by Google

nis cognoſcere poſſumus: cuiuſquidem naturalis cognitionis eſt accipere principium & terminum: Principium autem eius eſt in quadam confuſa cognitione omnium, prout ſcilicet homini naturaliter ineſt cognitio vniuerſalium principiorum; in quibus ſicut in quibuſdam ſeminibus virtute exiſtunt omnia ſcibilia, quæ ratione naturali cognoſci poſſunt; ſed huius cognitionis terminus eſt quando ea, quæ virtute in ipſis principiis ſunt, explicantur in actum. Sicut cùm ex ſemine animalis, in quo virtute præexiſtunt omnia membra animalis, producitur animal habens diſtincta & perfecta omnia membra, dicitur eſſe terminus generationis animalis.

Adam autem in principio ſuæ conditionis non ſolùm oportuit vt haberet rerũ naturalium cognitionẽ quantùm ad ſuum principium, ſed quantum ad terminum; eo quòd ipſe condebatur vt pater totius humani generis. A patre autem filii accipere debent, non ſolùm eſſe per generationem; ſed diſciplinam per inſtructionem.

Et quia non competit alicui eſſe principium ſecundùm quod eſt in potentia, ſed ſecundùm quod eſt actu; ratione cuius actus naturaliter eſt prior potentia, & naturæ operatio ſemper à perfectis incipit: inde eſt quòd oportuit primum hominem mox in ipſa ſui conditione conſtitui in termino perfectionis; & quantùm ad corpus, vt eſſet conueniens principium generationis totius humani generis; & quantùm ad cognitionem, vt eſſet ſufficiens inſtructionis principium.

Et ſicut nihil in corpore eius erat non explicitum in actu, quod pertineret ad perfectionem corporis ipſius, ita quicquid ſeminaliter ſiue virtualiter erat in primis principiis rationis, totum erat explicitum ſecundùm perfectam cognitionem eorum omnium, ad quæ virtus primorum principiorum ſe extendere poterat.

Vnde dicendum eſt quòd quicquid vnquam homo aliquis de cognitione eorum naturali ingenio aſſequi potuit, hoc totum Adam naturali cognitione habitualiter ſciuit. Sciuit etiam multa quæ ſunt in creaturis, quæ naturali cognitione cognoſci non poſſunt; ad quæ ſcilicet vis primorum principiorum non ſe extendit, ſicut futura contingentia, ſicut cogitationes cordium, ſicut diſpoſitiones creaturarum, ſecundùm quòd ſubſunt diuinæ prouidentiæ; tamen diuinam prouidentiam comprehendere non poterat: Vnde nec ordinem ipſarum creaturarum ſecundùm quod diuinæ prouidentiæ ſubſunt; quæ interdum creaturas ad multa ordinat ſupra naturæ facultatem.

Sed ad hæc aliqualiter cognoſcenda adiuuabatur aliâ cognitione, quæ eſt cognitio gratiæ, per quam Deus ei interius loquebatur. Sed in hac cognitione non inſtituebatur primus homo, quaſi in termino perfectionis ipſius exiſtens; quia terminus gratuitæ cognitionis non eſt niſi in viſione gloriæ, ad quam nondum ipſe peruenerat; & ideo huiuſmodi omnia non cognoſcebat: ſed quantùm de his ſibi diuinitus reuelabatur; & ſic oportet vtriſque rationibus reſpondere.

Ad 1. Argum. R. quòd quædam futura ſunt, quæ in ſuis cauſis naturaliter cognoſci poſſunt; & iſto-

Bibliotheca S. M. ... Digitized by Google

rum cognitionem Adam habuit. Aliorum autem quæ naturaliter cognoſci non poſſunt, non omnium cognitionem habuit; ſed eorum tantùm quæ ſibi fuerunt diuinitus reuelata.

Ad 2. R. quòd Adam aliud habuit in quantum conſtituebatur totius humanæ naturæ principium, quàm id quod communiter omnibus conuenit. Competebat enim ei in quantum erat totius humani generis inſtructor, vt non haberet confuſam cognitionem, ſed diſtinctam qua inſtruere poſſet: & propter hoc etiam oportuit quod intellectus eius non eſſet in ſui principio ſicut tabula non ſcripta; ſed haberet plenam notitiam ex diuina operatione. Nec hoc aliis competebat hominibus, qui non inſtituebantur vt principium humani generis. Et per hoc patet ſolutio ad tertium.

Ad 4. R. quòd intellectus Adæ non poterat actu eſſe multa intelligibilia, quaſi actu ab eis informatus: poterat tamen ſimul multis habitualiter informari.

Ad 5. R. quòd illa ratio procedit quando illa potentia totaliter perficitur per vnam perfectionem, ſicut forma ſubſtantialis perficit materiam, & color potentiam ſuperficiei: ſed vnus habitus ſcientiæ non complet potentiam intellectus quantùm ad omnia intelligibilia; & ideo non eſt ſimile.

Ad 6. R. quòd Adam habuit cognitionem omnium naturarum, non in Verbo; ſed in propria natura, & in ſua intelligentia Qui quidem duplex modus cognoſcendi non diſtinguitur penes ſpecies rerum, prout eis aliquid cognoſcitur; ſed prout ipſæ ſunt quæ cognoſcuntur; quia etiam quando intellectus cognoſcit res in propria natura, non cognoſcit eas niſi per ſpecies quas penes ſe habet.

Quando igitur per ſpecies quas penes ſe habet, dicitur intellectus cognoſcere res, quę ſūt extra animā; tunc dicitur cognoſcere res in propria natura. Quando autem intellectus conſiſtit in ipſis ſpeciebus, conſiderans naturam & diſpoſitionem ipſam ſpecierum; tunc dicitur cognoſcere res in ſua intelligentia, vt pote cùm intelligit ſe intelligere, & modum quo intelligit.

Quod igitur dicit, quod res nondum omnes erant in propria natura, & ita in propria natura cognoſci non poterant, non ſequitur; cognoſcere enim rem in propria natura dicitur dupliciter: vno modo per modum enunciationis, dum ſcilicet cognoſcitur res ipſa in ſua natura propria; quod non poteſt eſſe niſi quando in natura propria eſt. Et ſic Adam non cognouit omnes res in propria natura; quia nondum erant omnes in propria natura: niſi dicamus quòd non erant in propria natura perfectè; ſed imperfectè; quia omnia quæ poſtmodum producta ſunt in operibus ſex dierum, præceſſerunt ſecundùm aliquem modum.

Alio modo dicitur quis cognoſcere rem in propria natura per modum definitionis, ſcilicet dum cognoſcit aliquis quid ſit propria natura alicuius rei: & ſic etiam res non exiſtens poteſt in propria natura cognoſci. Vt ſi omnes leones eſſent mortui, poſſem ſcire quid ſit leo: & ſic res tunc non exiſtentes Adam in propria natura cognoſcere poterat.

Similiter

Similiter nihil prohibet, quòd omnes creaturæ per ſuas ſimilitudines in eius intelligentia eſſent; quamuis non omnes ſenſu comprehenderit; Quia & ſi non ſit contra dignitatem primi ſtatus, quòd potentia ſuperior ab inferiori recipiat; erat tamen contra perfectionem, quæ primo homini debebatur, vt conderetur ſine plenitudine ſcientiæ, ſolummodo ex ſenſibus ſcientiam accepturus.

Ad 7. R. quòd Adam in cognitione proficere potuit dupliciter, Vno modo quantùm ad ea quæ neſciuit, ad quæ ſcilicet naturalis ratio ſe extendere non poteſt, in quibus potuit proficere; partim ex reuelatione diuina, ſicut in cognitione diuinorum myſteriorum; partim ex ſenſuum experimento, ſicut in futurorum cognitione, quæ cùm adimplebantur, nota ſibi fuiſſent, cùm priùs fuiſſent ignota. Alio modo quantùm ad ea quæ ſciebat, vt ſcilicet id, quod ſciebat tantùmmodo per ſcientiam mentis, poſtmodum poſſet cognoſcere etiam per experientiam ſenſus.

Nota ergo quòd Adam debuit habere omnia perfectè, quæ natura humana requirit. Sicut autem vis augmentatiua datur homini, vt ad perfectam quantitatem perueniat; ita & ſenſus dantur animæ humanæ, vt perfectionem ſcientiæ capiat. Sicut igitur Adam habuit augmentatiuam virtutem, non vt per eam creſceret: ſed vt nihil deeſſet eorum, quæ ad perfectionem naturæ requiruntur; ita etiam ſenſus habuit, non vt per eos ſcientiam acquireret: ſed vt perfectam naturam haberet; vt iterum per ſenſus ea, quæ habitualiter ſciebat, experiretur.

Ad 8. R. quòd Angeli non purgantur à neſcientia rerum naturalium, ſed à neſcientia diuinorum myſteriorum: quæ etiam neſcientia in Adam fuit: & ad hoc etiam ipſe illuminatione angelica indiguit.

Ad 1. Argum. in contrarium R. quòd Adam quantùm ad corpus habuit perfectionem naturalem, non autem ſupernaturalem, quæ eſt perfectio gloriæ: vnde non ſequitur quòd ſecundùm animam habuit perfectionem cognitionis, niſi naturalis.

Ad 2. R. quòd præcognitio futurorum eſt quidem perfectio naturæ humanæ, quia eâ perficitur etiam poſt lapſum. Non autem quòd ita ſit homini naturalis: vnde non oportuit quòd talem perfectionem Adam haberet. Soli enim Chriſto competit vt omnia ipſi ſint collata, quæ alii ſancti per gratiam habuerunt; eo quòd ipſe eſt nobis principium gratiæ, ſicut Adam principium naturæ; ratione cuius perfectio naturalis cognitionis ſibi debebatur.

Nota quòd de ratione ſtatus innocentiæ erat, vt Adam omnes virtutes haberet; quia ſi quæcumque ei deeſſent, iuſtitiam originalem non haberet. Non autem eſt de neceſſitate innocentię omnem cognitionem habere.

Ad 3. R. quòd Adam cognouit omnes res naturales: ſed ex hoc non ſequitur quòd ea quæ ſunt ſupra naturalem cognitionem, cognouerit. *In quæſt. diſput. q. 18. de verit. art. 4. ſimile 1. p. q. 94. art. 3.*

Bibliotheq. S. M^r. Franç. de Paule

Digitized by Google

GENESIS. Cap. II. *v.* 21.

Immiſit Dominus ſoporem in Adam.

QVidam dicunt quod Adam magis fuit præditus ſpirituali mente quàm Angelus: non tamen quantùm ad gradum naturæ, ſed quantùm ad diuinam reuelationem quam habuiſſe creditur, cùm Dominus in eum ſoporem immiſit. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 2. *Immiſit Dominus ſoporem in Adam.* Videtur quòd homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet paſſibilis: ſomnus enim quædam paſſio eſt: ſed homo in ſtatu innocentiæ dormiuiſſet, vt patet in textu; ergo.

2. Ibidem ſubditur, quod *tulit vnam de coſtis eius*; ergo fuiſſet paſſibilis etiam per abſciſſionem partis.

3. Corpus hominis molle fuit: ſed molle naturaliter paſſiuum eſt à duro; ergo ſi corpori primi hominis obuium fuiſſet aliquod corpus durum, ab eo paſſum fuiſſet.

Sed contra eſt, quia ſi fuiſſet paſſibilis, fuiſſet corruptibilis. Dicendum quòd paſſio dupliciter dicitur: vno modo propriè, & ſic pati dicitur quod à ſua naturali diſpoſitione remouetur; paſſio enim eſt effectus actionis. In rebus autem naturalibus contraria agunt & patiuntur ad inuicem, quorum vnum remouet alterum à ſua naturali diſpoſitione.

Alio modo dicitur paſſio communiter ſecundùm quamcumque mutationem, etiam ſi pertineat ad perfectionem naturæ; ſicut intelligere vel ſentire dicitur pati quoddam. Hoc igitur ſecundo modo, homo in ſtatu innocentiæ paſſibilis erat & patiebatur, & ſecundùm animam & ſecundùm corpus.

Primo autem modo dictâ paſſione erat impaſſibilis, & ſecundùm animam, & ſecundùm corpus, ſicut & immortalis; poterat enim paſſionem prohibere, ſicut & mortem, ſi abſque peccato perſtitiſſet. Et per hoc patet reſponſio ad primum, nam dormire non remouet hominem à naturali diſpoſitione; ſed ad bonum naturæ ordinatur.

Ad 2. R. quòd coſta illa fuit in Adam, in quantum erat principium humani generis; ſicut ſemen in homine in quantum eſt principium per generationem. Sicut igitur deciſio ſeminis non eſt cum paſſione, quæ remoueat hominem à naturali diſpoſitione, ita etiam eſt dicendum de ſeparatione illius coſtæ.

Ad 3. R. quòd corpus hominis in ſtatu innocentiæ poterat præſeruari, ne pateretur læſionem ab aliquo duro; partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociua vitare; partim etiam per diuinam prouidentiam, quæ ſic ipſum tuebatur, vt nihil ei occurreret ex improuiſo à quo læderetur. 1. *p. q.* 97. *art.* 2. *Vid. lib.* 2. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 19. *art.* 4.

GENESIS Cap. II. *v.* 21.

Tulit vnam de coſtis eius.

CVm in operibus diuinis nihil ſit ſuperfluum, oportet quod coſta de perfectione corporis Adæ fuerit, ſed ſubtracto eo quod ad perfectionem rei pertinet, ſequitur diminutio; omnis autem diminu-

tio in reſurrectione reſtauratur. Videtur ergo quòd coſta illa in corpore Adæ reſurget. Si ergo de coſta illa factum eſt corpus Euæ, videtur quod Eua non reſurget.

Dicendum quòd aliquid dicitur eſſe de perfectione alicuius dupliciter: vel quia eſt neceſſarium ad eſſe indiuidui, & ſic coſta illa non erat de perfectione corporis Adæ: aut quia eſt neceſſarium ad conſeruationem ſpeciei, ſicut ſemen dicitur eſſe ſuperfluum reſpectu indiuidui, quo tamen indigetur ad ſpeciei conſeruationem: & hoc modo coſta fuit de perfectione corporis Adæ, in quantum Adam erat principium humani generis. Ex quo patet quod coſta illa reſurget in Eua, & non in Adam; cùm ſit de perfectione corporis Euæ, etiam quantum ad eſſe indiuidui, & ita magis ad ipſam pertineat. *Lib. 2. ſent. Diſt. 18. q. 1. art. 1. ad 3. lib. 4. ſent. Diſt. 44. q. 1. art. 2. & ſupplem. q. 80. art. 4.*

Tulit vnam de coſtis eius. In corpore ſenſibili non poteſt eſſe diuiſio continui ſine dolore: ſed corpus Adæ propter naturæ inſtitutæ integritatem maximè ſenſibile fuit; ergo cùm nullus dolor in ipſo præcederet culpam, videtur quòd ex eius coſta mulier formata non ſit.

Dicendum quòd illud quod ordinatum eſt ad conſtitutionem ſpeciei, non ſolùm ſine dolore, ſed etiam cum delectatione reſcinditur. Et ita non oportet quod in ſeparatione illius coſtæ dolorem ſenſerit. Vel dicendum hoc diuinâ virtute & miraculosè factum, vt dolorem vulneris non ſentiret. *Lib. 2. ſent. Diſt. 18. q. 1. art. 1. ad 4. & 1. p. quæſt. 92. art. 3.*

Tulit vnam de coſtis eius. Videtur quòd omnes reſurgent in ſexu virili, quia dicitur quod *occurremus omnes in virum perfectum*; ergo non erit ibi niſi ſexus virilis. Sed contra eſt, quòd Deus reparabit in reſurrectione, quod in homine fecit in prima conditione: ſed ipſe fecit mulierem de coſta viri, ergo ipſe ſexum fœmineum in reſurrectione reparabit. *Lib. 4. ſent. Diſt. 44. q. 1. art. 3. Tom. 7.*

Epheſ. 4. v. 13. Non omnes reſurgent in ſexu virili.

GENESIS Cap. II. v. 22.

Ædificauit Dominus Deus coſtam in mulierem.

CONuenieus fuit mulierem formari de coſta viri; primò quidem ad ſignificandum quod inter virum & mulierem debet eſſe ſocialis coniunctio: neque enim mulier debet dominari in virum; & ideo non eſt formata de capite: neque debet à viro deſpici tanquam ſeruiliter ſubiecta, & ideo non eſt formata de pedibus.

Secundò propter ſacramentum, quia de latere Chriſti dormientis in cruce fluxura erant ſacramenta, id eſt, ſanguis & aqua, quibus eſt Eccleſia inſtituta. *1. p. q. 92. art. 3. & lib. 2. ſent. Diſt. 18. q. 1. art. 1.*

GENESIS. Cap. II. v. 23.

Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.

MVltò cariùs amantiùſque diceretur anima de anima mea, ſi eſſet anima de anima, vt caro de carne, & os de oſſe. *Lib. 2. ſent. Diſt. 18. q. 2. art. 1.*

Hoc nunc os de oſſibus meis & caro

de carne mea. Videtur quòd conſanguinitas de iure naturali non impediat matrimonium: nulla enim mulier poteſt eſſe propinquior viro, quàm Eua fuit Adæ: ſed Eua fuit matrimonio coniuncta Adæ.

Dicendum quòd Eua quamuis ex Adam prodiit, non tamen fuit filia Adæ; quia non prodiit ex eo per modum illum, quo vir natus eſt generare ſibi ſimile in ſpecie, ſed operatione diuinâ, quia ita potuiſſet ex coſta Adæ fieri vnus equus, ſicut facta eſt Eua. Et ideo non eſt tanta naturalis conuenientia Euæ ad Adam, ſicut filiæ ad patrem: nec Adam eſt naturale principium Euæ, ſicut pater filiæ. *Lib. 4. ſent. Diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 3. *&* *ſupplem. q.* 54. *art.* 3.

Hoc nunc os ex oſſibus meis. Sicut mulier formata eſt miraculosè de viro, ſic corpus Chriſti miraculosè formatum eſt de Virgine: ſed mulier non dicitur eſſe formata de ſanguine viri, ſed magis de carne & oſſibus eius, vt patet in textu; ergo videtur quòd nec etiam corpus Chriſti formari debuerit de ſanguine virginis, ſed de carnibus & oſſibus eius.

R. quòd quia Adam inſtitutus erat vt principium quoddam humanæ naturæ, habebat in ſuo corpore aliquid carnis & oſſis, quod non pertinebat ad integritatem perſonalem ipſius; ſed ſolùm in quantum erat naturæ humanæ principium: & de tali carne formata eſt mulier abſque viri detrimento. Sed nihil tale fuit in corpore virginis, ex quo corpus Chriſti poſſet formari ſine corruptione materni corporis. 3. *p. q.* 31. *art.* 5.

Genesis Cap. II. v. 23.

Hæc vocabitur virago quoniam de viro ſumpta eſt.

VIdetur quòd mulier non debuerit fieri ex viro, quia in aliis animalibus fœminæ non ſunt factæ ex maribus.

2. Eorum quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, eadem eſt materia: ſed mas & fœmina ſunt eiuſdem ſpeciei; cùm igitur vir fuerit factus ex limo terræ, ex eodem debuit fieri fœmina, & non ex viro.

3. Mulier facta eſt in adiutorium viro ad generationem: ſed nimia propinquitas reddit perſonam ad hoc ineptam; vnde perſonæ propinquæ à matrimonio excluduntur, *Leu. 18. v. 6.* vt patet; ergo mulier non debuit fieri ex viro.

Dicendum quòd conueniens fuit mulierem in prima rerum inſtitutione ex viro formari, magis quàm in aliis animalibus.

Primò quidem, vt in hoc quædam dignitas primo homini ſeruaretur; vt ſecundùm Dei ſimilitudinem eſſet & ipſe principium totius ſuæ ſpeciei, ſicut Deus eſt principium totius vniuerſi. Vnde dicitur, *Act. 17. v. 26.* quod *Deus fecit ex vno omne genus hominum.*

Secundò vt vir magis diligeret mulierem, & ei inſeparabiliùs adhæreret, dum cognoſceret eam ex ſe eſſe productam. Et hoc maximè neceſſarium fuit in ſpecie humana, in qua mas & fœmina commanent per totam vitam; quod non contingit in aliis animalibus.

Tertiò quia mas & fœmina coniunguntur in hominibus non ſolùm propter neceſſitatem generationis,

vt in aliis animalibus; ſed etiam propter domeſticam vitam, in qua ſunt aliqua opera viri, & fœminæ; & in qua vir eſt caput mulieris. Vnde conuenienter ex viro formata eſt fœmina, ſicut ex ſuo principio.

Quarta verò eſt ratio ſacramentalis. Figuratur enim per hoc quod Eccleſia à Chriſto ſumit principium. Vnde dicitur, *Sacramentum*
Eph. 5 *v.* 32. *hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Et per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad 2. R. quòd materia eſt ex qua aliquid fit: natura autem creata habet determinatum principium; & cùm ſit determinata ad vnum, etiam habet determinatum proceſſum. Vnde ex determinata materia, producit aliquid in determinata ſpecie. Sed virtus diuina cùm ſit infinita, poteſt idem ſecundùm ſpeciem ex quacumque materia facere; ſicut virum ex limo terræ, & mulierem ex viro.

Ad 3. R. quòd ex naturali generatione contrahitur quædam propinquitas, quæ matrimonium impedit: ſed mulier non eſt producta à viro per naturalem generationem, ſed ſolâ virtute diuinâ: Vnde Eua non dicitur filia Adæ. Et propter hoc ratio non ſequitur. 1. *p. q.* 92. *art.* 2. *ſimile lib.* 2. *ſent. ad Anibald. Diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 1.

GENESIS Cap. 2. *v.* 24.

Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.

ILlud quod habet natura humana in prima ſui conditione, eſt de lege naturæ: ſed à prima ſui conditione hoc habuit humana natura, quòd pater & mater à matrimonio excluderentur, quod patet in textu. Hoc autem non poteſt intelligi quantùm ad cohabitationem: & ſic oportet quod intelligatur quantùm ad matrimonii coniunctionem; ergo conſanguinitas impedit matrimonium ſecundùm legem naturæ. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 3. *Tom.* 7. *& ſupplem. quæſt.* 54. *art.* 3. *Tom.*

Propter hoc relinquet homo patrem. Videtur quòd Angeli cognoſcant futura; nam Angeli cognoſcunt res per formas innatas: ſed formæ illæ æqualiter ſe habent ad præſentia & futura; ergo cùm Angeli per eas præſentia cognoſcant, ſimiliter & futura.

2. Deus futura contingentia infaillibiliter præſcire poteſt, quia eius viſio eſt tota ſimul; cùm æternitate menſuretur: ſed viſio beata eſt tota ſimul, cùm æternitate participatâ menſuretur; ergo Angeli beati futura contingentia cognoſcunt.

3. Intellectus poſſibilis animæ noſtræ eſt in potentia ad omnia cognoſcenda, & ita ad cognoſcenda futura: ſed potentia intellectus angelici eſt tota terminata per formas innatas; ergo ipſi habent notitiam de futuris.

4. Quicumque habet prouidentiam ſuper aliqua, debet habere & præſcientiam eorum quæ ſpectant ad ipſum: ſed Angeli habent prouidentiam, & curam de nobis per officium cuſtodiæ; ergo ipſi cognoſcunt ea quæ nobis ſunt futura.

5. Intellectus angelicus excedit humanum intellectum: ſed intellectus humanus, cognoſcit futura quæ habent cauſas determinatas in

natura; ergo intellectus angelicus cognoſcit etiam futura contingentia, quæ non habent aliquas cauſas determinatas.

6. Intellectiua cognitio non concernit aliquod tempus; quia abſtrahit ab hic & nunc, & ſic æqualiter ſe habet ad omne tempus: ſed Angelus non habet cognitionem niſi intellectiuam; ergo æqualiter ſe habet ad cognoſcenda præſentia, præterita, & futura.

7. Plura cognoſcit Angelus quàm poſſit homo cognoſcere: ſed homo in ſtatu innocentiæ cognoſcebat futura, vt patet in textu; ergo.

Dicendum quòd vnumquodque hoc modo cognoſcitur in aliquo, quo eſt in eo. Quædam igitur futura in cauſis ſuis proximis determinata ſunt hoc modo, vt ex eis neceſſariò contingant; ſicut ſolem oriri cras: & tales effectus futuri in ſuis cauſis cognoſci poſſunt.

Quomodo Angeli & homines cognoſcunt futura.

Quidam verò futuri effectus in cauſis ſuis non ſunt determinati; vt aliter euenire non poſſint: ſed tamen eorum cauſæ magis ſe habent ad vnum quàm ad alterum; & iſta contingentia ſunt, quæ vt in pluribus vel paucioribus accidunt: & huiuſmodi effectus in cauſis ſuis non poſſunt cognoſci infaillibiliter, ſed cum quadam certitudine coniecturæ.

Quidam autem effectus futuri ſunt, quorum cauſæ indifferenter ſe habent ad vtrumque. Hæc autem vocantur contingentia ad vtrumlibet; vt ſunt illa præcipuè quæ dependent ex libero arbitrio. Sed quia ex cauſa ad vtrumlibet, cùm ſit quaſi in potentia, non progreditur aliquis effectus, niſi per aliquam aliam cauſam determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud; ideo huiuſmodi effectus in cauſis quidem ad vtrumlibet, nullo modo cognoſci poſſent per ſe acceptis. Sed ſi adiungantur cauſæ illæ, quæ cauſas ad vtrumlibet inclinant magis ad vnum quàm ad aliud; poteſt aliqua certitudo coniecturalis de effectibus prædictis haberi, ſicut de his quæ ex libero arbitrio dependent aliqua futura coniicimus, ex conſuetudinibus & complexionibus hominum, quibus inclinantur ad vnum.

Omnes autem huiuſmodi effectus, qualeſcumque ſint eorum cauſæ proximæ, tamen in cauſa prima omnes ſunt determinati, quæ ſua præſentia omnia intuetur, & ſuâ prouidentiâ omnibus modum imponit. Angeli autem & diuinam eſſentiam intuentur, & per formas innatas cognitionem omnium rerum & cauſarum naturalium habent.

Cognitione igitur naturali illa tantùm per formas innatas futura præſcire poſſunt, quæ in cauſis naturalibus ſunt determinata; vel in vna tantùm cauſa, vel in collectione plurium: quia aliquid eſt contingens reſpectu cauſæ vnius, quod reſpectu concurſus plurium cauſarum eſt neceſſarium.

Angeli autem omnes cauſas naturales cognoſcunt: Vnde quædam quæ contingentia videntur, aliquibus cauſis eorum penſatis, Angeli vt neceſſaria cognoſcunt, dum omnes cauſas ipſorum cognoſcunt. Si autem diuinam prouidentiam comprehenderent, omnes futuros euentus certitudinaliter ſcirent. Sed quia quidam perfectiùs aliis diuinam prouidentiam intuentur,

Digitized by Google

quamuis nullus eorum perfectè comprehendat; ideo quidam in verbo plura futura etiam de contingentibus ad vtrumlibet ſciunt.

Ad 1. Argum. R. quòd ſpecies quæ ſunt in mente Angeli, non ſe habent æqualiter ad præſentia & futura; quia illa quæ ſunt præſentia, ſunt ſimilia in actu formis in Angelis exiſtentibus, & ſic per ea poſſunt cognoſci: illa verò quæ ſunt futura nondum ſunt ſimilia, & ideo per formas prædictas non cognoſcuntur.

Ad 2. R. quòd quantum ad viſionem, quâ vident res in verbo, indifferenter ſe habent ad cognoſcenda præſentia & futura; non tamen ſequitur quòd in verbo omnia futura cognoſcant, quia verbum non comprehendunt.

Ad 3. R. quòd duplex eſt potentia, vna naturalis quæ poteſt per agens naturale in actum reduci; & talis potentia eſt in Angelis totaliter completa per formas innatas. Sed ſecundùm talem potentiam intellectus poſſibilis noſter non eſt in potentia ad futura quælibet cognoſcenda.

Eſt autem alia potentia obedientiæ, ſecundùm quam in creatura fieri poteſt, quicquid in ea fieri voluerit creator. Et ſic intellectus poſſibilis eſt in potentia ad futura cognoſcenda quælibet, in quantum ſcilicet ei poſſunt diuinitus reuelari. Talis autem potentia intellectus angelici non eſt totaliter completa per formas innatas.

Ad 4. R. quòd ille qui habet aliquorum prouidentiam, non oportet quòd præſciat futuros euentus; ſed vt præuideat qui euentus contingere poſſunt, & ſecundùm hoc remedia adhibeat.

Ad 5. R. quòd intellectus Angeli excedit humanum in hoc, quòd contingentium determinatorum in ſuis cauſis plura & certiùs nouit: non autem oportet quòd excedat quantùm ad hoc quod obiectio tangit.

Ad 6. R. quòd Angelus per intellectiuam cognitionem cognoſcit ea quæ ſunt hîc & nunc, quamuis ipſe intellectus cognoſcens ſit abſtractus ab hîc & nunc. Et ideo non eſt mirum, ſi alio modo cognoſcit præſentia quàm futura; non ex hoc quòd ipſe aliter ſe habeat ad ea; ſed ex hoc quòd illa aliter ſe habent ad eum.

Ad 7. R. quòd homo in ſtatu innocentiæ futura contingentia præſcire non poterat, niſi vel in cauſis ſuis, vel in Verbo; vt Angeli cognoſcunt. *In quæſt. Diſput. q. 8. de veritate art. 12.*

Propter hoc relinquet homo patrem. Matrimonium debet eſſe per totam vitam, quia poſſeſſiones ad conſeruationem naturalis vitæ ordinantur; & quia naturalis vita, quæ conſeruari non poteſt in patre perpetuo, quaſi quadam ſucceſſione ſecundùm ſpeciei ſimilitudinem conſeruatur in filio ſecundùm naturam; eſt conueniens vt in his quæ ſunt patris ſuccedat & filius. Naturale eſt igitur vt ſolicitudo patris ad filium maneat vſque ad finem vitæ ſuæ.

Matrimoniũ debet eſſe per totam vitam.

Videtur etiam æquitati repugnare, ſi prędicta ſocietas diſſoluatur; fœmina enim indiget mare, non ſolùm propter generationem; ſed etiam propter gubernationem: quia mas eſt & ratione perfectior, & virtute fortior: mulier verò ad viri

ſocietatem aſſumitur propter neceſſitatem generationis. Ceſſante igitur fœcunditate mulieris, & decore, impeditur ne ab alio aſſumatur.

Si quis igitur mulierem aſſumens tempore iuuentutis quo & decor & fœcunditas ad ſunt, eam dimittere poſſet poſtquam ætate prouecta fuerit; damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem.

Item manifeſtè apparet inconueniens, ſi mulier virum dimittere poſſet, cùm mulier naturaliter viro ſubiecta ſit tanquam gubernatori. Non eſt autem in poteſtate eius quod alteri ſubiicitur, vt ab eius regimine diſcedat; contra naturalem igitur ordinem eſſet, ſi mulier virum deſerere poſſet. Si ergo vir deſerere poſſet mulierem, non eſſet æqua ſocietas viri ad mulierem; ſed ſeruitus quædam ex parte mulieris.

Præt. Naturalis quædam ſolicitudo ineſt hominibus de certitudine prolis; quod propter hoc neceſſarium eſt quia filius diuturnâ patris gubernatione indiget. Quæcumque igitur certitudinem prolis impediunt, ſunt contra naturalem inſtructum humanæ ſpeciei: ſi autem vir poſſet mulierem dimittere, vel mulier virum, & alteri copulari, impediretur certitudo prolis, dum mulier à primo cognita; poſtmodum à ſecundo cognoſceretur. Eſt igitur contra naturalem inſtructum ſpeciei humanæ quòd mulier à viro ſeparetur.

Ampliùs, amicitia quantò maior eſt, tantò debet eſſe firmior & diuturnior: inter virum autem & vxorem maxima amicitia eſſe videtur, adunantur enim non ſolùm in actu carnalis copulæ, quæ etiam inter beſtias quandam ſuauem amicitiam facit; ſed ad totius domeſticæ conuerſationis conſortium. Vnde in ſignum huius, homo propter vxorem, patrem & matrem dimittit, vt patet in textu, inconueniens eſt igitur quòd matrimonium ſit diſſolubile.

Item, fidelior amor vnius ad alterum erit, dum cognoſcunt ſe indiuiſibiliter coniunctos. Erit etiam vtriuſque ſolicitior cura in rebus domeſticis, dum ſe perpetuò commanſuros in earumdem rerum poſſeſſione æſtimant. Tolluntur etiam adulterorum occaſiones quæ darentur, ſi vir vxorem dimittere poſſet, aut è conuerſo; per hoc enim daretur via facilior ſolicitandi matrimonia aliena. Hinc eſt quod dicitur, *Ego autem dico vobis vxorem à viro non diſcedere.* 1 Cor. 7. v. 10. Quod tamen in veteri lege permiſſum fuit Iudæis propter eorum duritiam, quia ſcilicet proni erant ad occiſionem vxorum: permiſſum ergo fuit minus malum ad excludendum maius malum. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 123.*

Propter hoc relinquet homo patrem. Videtur & quòd homo plus debeat deligere vxorem, quàm patrem & matrem; nullus enim dimittit rem aliquam, niſi pro re magis dilecta: ſed propter vxorem, homo relinquit patrem & matrem; ergo.

2. Dicitur, quòd *viri debent diligere vxores ſicut ſeipſos.*: ſed homo debet magis diligere ſeipſum, quàm parentes; ergo etiam magis debet diligere vxorem quàm parentes. Epheſ. 5. v. 28.

3. Vbi ſunt plures rationes dilectionis, ibi debet eſſe maior dilectio.

Digitized by Google

ctio : ſed in amicitia quæ eſt ad vxorem, ſunt plures ratione dilectionis ; in hac enim amicitia videtur eſſe vtile & delectabile, & propter virtutem, ſi virtuoſi ſint coniuges ; ergo maior debet eſſe dilectio ad vxorem quàm ad parentes.

Sed contra eſt quòd vir debet diligere vxorem ſuam ſicut carnem ſuam, vt dicitur : ſed corpus ſuum minùs debet homo diligere, quàm proximum ; inter proximos autem magis debemus parentes diligere; ergo magis debemus diligere parentes quàm vxorem.

Epheſ. 5. v. 28.

Cõparatio dilectionis parentũ & vxoris.

Dicendum quòd gradus dilectionis attendi poteſt & ſecundùm rationem boni, & ſecundùm coniunctionem ad diligentem. Secundùm ergo rationem boni quode ſt obiectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes, quàm vxor; quia diliguntur ſub ratione principii, & eminentioris cuiuſdam boni. Secundùm autem rationem coniunctionis, magis diligenda eſt vxor ; quia vxor coniungitur viro vt vna caro exiſtens, ſecundùm illud, *itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Et ideo intentiùs diligitur vxor : ſed maior reuerentia eſt parentibus exhibenda.

Matth. 19. v. 6.

Ad 1. R. quòd non quantùm ad omnia deſeritur pater & mater propter vxorem : in quibuſdam enim magis debet homo aſſiſtere parentibus, quàm vxori. Sed quantùm ad vnionem carnalis copulæ & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret vxori.

Ad 2. R. quòd in verbis Apoſt. non eſt intelligendum, quod homo debeat diligere vxorem ſuam æqualiter ſibi ipſi : ſed quòd dilectio quam aliquis habet ad ſeipſum, eſt ratio dilectionis quam quis habet ad vxorem ſibi coniunctam.

Ad 3. R. quòd etiam in amicitia paterna inueniuntur multæ rationes dilectionis, & quantum ad aliquid præponderant rationi dilectionis quæ habetur ad vxorem, ſecundùm ſcilicet rationem boni: Quamuis illæ præponderent ſecundùm coniunctionis rationem.

Ad 4. R. quòd illud etiam non eſt ſic intelligendum, quod ly (ſicut) importet æqualitatem, ſed rationem dilectionis. Diligit enim homo vxorem ſuam principaliter ratione carnalis coniunctionis, 2.2. *q. 26. art. 11. ſimile lib. 3. ſent. Diſt. 19. art. 7.*

Propter hoc relinquet homo patrem. Videtur quòd ante peccatum fuerint homini neceſſaria ſacramenta; quia ſacramenta ſunt neceſſaria homini ad gratiam conſequendam: ſed etiam in ſtatu innocentiæ homo indigebat gratiâ ; ergo.

2. Matrimonium eſt quoddam ſacramentum ſecundùm illud, *ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia* ſed matrimonium fuit inſtitutum ante peccatum, vt patet in textu; ergo. *Epheſ. 5. v. 32.*

Sed contra eſt, quòd medicina non eſt neceſſaria niſi ægroto : ſed ſacramenta ſunt quædam ſpirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati ; ergo non fuerunt neceſſaria ante peccatum.

Sacramenta nõ homini neceſſaria ante peccatum.

Dicendum quòd in ſtatu innocentiæ ante peccatum ſacramenta neceſſaria non fuerunt. Cuius ratio accipi poteſt ex rectitudine ſtatus illius, in quo ſuperiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens ſuberat Deo, ita menti ſube-

Digitized by Google

rant inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem eſſet, ſi anima perficeretur vel quantùm ad ſcientiam, vel quantùm ad gratiam, per aliquid corporale; quod fit in ſacramentis. Et ideo in ſtatu innocentiæ homo ſacramentis non indigebat; non ſolùm in quantum ſacramenta ordinantur ad remedium peccati, ſed etiam in quantum ipſa ordinantur ad animæ perfectionem.

Ad 1. R. quòd homo in ſtatu innocentiæ gratiâ indigebat; non tamen vt eam conſequeretur per aliqua ſenſibilia ſigna ſpiritualiter & inuiſibiliter.

Ad 2. R. quòd matrimonium fuit inſtitutum in ſtatu innocentiæ, non ſecundùm quod eſt ſacramentum, ſed ſecundùm quod eſt in officium naturæ. Ex conſequenti tamen aliquid ſignificabat futurum circa Chriſtum & eccleſiam; ſicut & omnia alia quæ in figura Chriſti præceſſerunt. *3. p. q. 61. art. 2. ſimile lib. 4. ſent. Diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 2.

GENESIS. Cap. II. v. 24.

Erunt duo in carne vna.

VIdetur quòd carnalis commiſtio ſit de integritate matrimonii, in ipſa enim inſtitutione matrimonii dictum eſt, *erunt duo in carne vna*: ſed hoc non fit niſi per carnalem commiſtionem; ergo.

2. Id quod pertinet ad ſignificationem ſacramenti, eſt de neceſſitate ſacramenti: ſed carnalis commiſtio pertinet ad ſignificationem ſacramenti; ergo.

3. Hoc ſacramentum ordinatur ad conſeruationem ſpeciei: ſed conſeruatio ſpeciei non poteſt fieri ſine carnali commiſtione; ergo.

4. Matrimonium eſt ſacramentum, ſecundùm quod remedium contra concupiſcentiam præſtat: ſed hoc remedium non præſtat in his qui carnaliter non commiſcentur; ergo. Sed contra, in paradiſo fuit matrimonium: ſed ibi non fuit carnalis copula; ergo commiſtio carnalis non eſt de integritate ſacramenti.

Dicendum quòd duplex eſt integritas; vna quæ attenditur ſecundùm perfectionem primam, quæ conſiſtit in ipſo eſſe rei; alia quæ attenditur ſecundùm perfectionem ſecundam, quæ conſiſtit in operatione. Quia ergo carnalis commiſtio eſt quædam operatio, ſiue vſus matrimonii, per quòd facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commiſtio de ſecunda integritate matrimonii, & non de prima. *Carnalis cõmiſtio non eſt de integritate matrimonij.*

Ad 1. R. quòd Adam expoſuit integritatem matrimonii quantùm ad vtramque perfectionem; quia res ex ſuo actu innoteſcit.

Ad 2. R. quòd ſignificatio rei contentæ eſt de neceſſitate ſacramenti: & ad hanc ſignificationem non pertinet carnalis commiſtio.

Ad 3. R. quòd res non peruenit ad finem ſuum, niſi per actum proprium; vnde ex hoc quòd finis matrimonii non habetur ſine carnali commiſtione, oſtenditur quòd ſit de ſecunda integritate, & non de prima.

Ad 4. R. quòd ante commiſtionem carnalem eſt matrimonium intermedium ex gratia quæ in eo datur, quamuis non ex actu, quod pertinet ad integritatem ſecundam. *Lib. 4. ſent. Diſt. 26. q. 1. art. 4.*

Digitized by Google

Erunt duo in carne vna. Matrimonium debet eſſe vnius ad vnam, quia amicitia in quadam æqualitate conſiſtit: ſi igitur mulieri non licet habere plures viros, quia hoc eſt contra certitudinem prolis; liceret autem viro habere plures vxores, non eſſet liberalis amicitia vxoris ad virum, ſed quaſi ſeruilis. *Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 114.

GENESIS Cap. II. *v.* 24.

Erunt duo in carne vna.

ILlud videtur eſſe de iure naturali, quod homini in inſtitutione humanæ naturæ inditum eſt: ſed quod ſit vna vnius, in ipſa inſtitutione humanæ naturæ eſt ei inditum, vt patet in textu.

Dicendum quòd matrimonium habet pro fine principali prolis procreationem, & educationem, qui quidem finis competit homini ſecundùm naturam ſui generis: vnde & aliis animalibus eſt communis: & ſic bonum matrimonii aſſignatur proles. Sed pro fine ſecundario habet in hominibus ſolis communicationem operum, quæ ſunt neceſſaria in vita: & ſecundùm hoc fidem ſibi inuicem debent, quæ eſt vnum de bonis matrimonii. Habet vlteriùs alium finem in quantùm eſt inter fideles, ſcilicet ſignificationem Chriſti & eccleſiæ: & ſic bonum matrimonii dicitur ſacramentum.

Habere plures vxores non licet.

Triplex matrimonii bonũ, proles, fides, ſacramentũ.

Vnde primus finis reſpondet matrimonio hominis, in quantùm eſt animal; ſecundus in quantum eſt homo; tertius in quantum eſt fidelis. Pluralitas ergo vxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem; cũ vnus vir ſufficiat pluribus vxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis. Sed ſecundarium finem etſi non tollat, tamen multùm impedit, eo quòd non facile poteſt eſſe pax in familia, vbi vni viro plures vxores iunguntur: Cùm non poſſit vnus vir ſufficere ad ſatisfaciendum pluribus vxoribus ad votum: & etiam quia communicatio plurium in vno officio, cauſat litem: & ſimiliter plures vxores vnius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quòd ſicut Chriſtus eſt vnus; ita & eccleſia vna. Et ideo pluralitas vxorum quodammodo eſt contra legem naturæ, & quodammodo non. *Supplem. q.* 65. *art.* 1.

GENESIS. Cap. II. *v.* 25.

Erat vterque nudus.

EXplicatur infra *Geneſ.* 3. *verſ.* 21.

GENESIS Cap. III. *v.* 1.

Sed & ſerpens erat callidior.

VIdetur quòd non fuerit conueniens, vt homo à diabolo tentaretur. Eadem enim pœna finalis debetur peccato angeli & hominis ſecundùm illud, *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo &c.* Matth. 25. v. 41. Sed primum peccatum angeli non fuit ex aliqua tentatione exteriori; ergo nec primum peccatum hominis debuit eſſe ex aliqua exteriori tentatione.

2. Deus præſcius futurorum ſciebat quòd homo per tentationem

dæmonis in peccatum deiiceretur:
& ſic bene ſciebat quod non expe-
diebat ei quòd tentaretur; ergo vi-
detur quòd nec fuerit conueniens
quòd permitteret eum tentari.

3. Quòd aliquis impugnatorem
habeat, ad pœnam pertinere vide-
tur; ſicut è contrario pertinere vi-
detur ad præmium, quòd impu-
gnatio ſubtrahatur; ſecundùm il-
Prou. lud, *cùm placuerint Domino viæ ho-*
16. v. 7. *minis, inimicos quoque eius conuertet*
ad pacem: ſed pœna non debet
præcedere culpam; ergo inconue-
niens fuit quòd homo ante pecca-
tum tentaretur.

Eccl. 34 Sed contra eſt quod dicitur, *qui*
v. 9. *tentatus non eſt, qualia ſcit?* Dicen-
dum quòd diuina ſapientia diſponit
omnia ſuauiter, in quantum ſcili-
cet ſuâ prouidentiâ ſingulis attri-
buit quæ eis competunt ſecundùm
ſuam naturam. Hoc autem perti-
net ad conditionem humanæ natu-
ræ, vt ab aliis creaturis iuuari vel
impediri poſſit. Vnde conueniens
fuit vt Deus hominem in ſtatu in-
nocentiæ & tentari permitteret per
malos angelos, & iuuari eum face-
ret per bonos. Ex ſpeciali enim
beneficio gratiæ, hoc erat ei colla-
tum, vt nulla creatura exterior ei
poſſet nocere contra propriam vo-
luntatem; per quam etiam tenta-
tioni dæmonis reſiſtere poterat.

Ad 1. R. quòd ſupra naturam
humanam eſt aliqua natura in qua
poteſt malum culpæ inueniri; non
autem ſupra naturam angelicam.
Tentare autem inducendo ad ma-
lum, non eſt niſi iam deprauati per
culpam. Et ideo conueniens fuit
vt homo per angelum malum ten-
taretur ad peccandum: ſicut etiam
ſecundùm ordinem naturæ, per
Angelum bonum promouetur ad
perfectionem. Angelus autem à ſuo
ſuperiori, ſcilicet à Deo in bono
perfici potuit; non autem ad pec-
candum induci.

Ad 2. R. quòd ſicut Deus ſciebat
quòd homo per tentationem in
peccatum eſſet deiiciendus, ita
etiam ſciebat quòd per liberum ar-
bitrium reſiſtere poterat tentatori.
Hoc autem requirebat conditio na-
turæ ipſius, vt propriæ voluntati
relinqueretur: ſecundùm illud,
Deus reliquit hominem in manu con- Eccl. 15.
ſilij ſui. v. 14.

Ad 3. R. quòd impugnatio, cui
cum difficultate reſiſtitur, pœnalis
eſt; ſed homo in ſtatu innocentiæ
poterat abſque omni difficultate
tentationi reſiſtere; & ideo impu-
gnatio tentatoris ei pœnalis non
fuit. 2. 2. q. 165. art. 1.

Sed & ſerpens erat callidior. Vide-
tur quòd non fuerit conueniens
modus & ordo primæ tentationis;
ſicut enim ordine naturæ Angelus
erat ſuperior homine, ita & vir
erat perfectior muliere: ſed pecca-
tum peruenit ab Angelo ad homi- Gen. 3.
nem; ergo pari ratione debuit per- v. 6.
uenire à viro in mulierem, vt ſci-
licet mulier per virum tentaretur &
non è conuerſo.

2. Tentatio primorum parentum
fuit per ſuggeſtionem: poteſt autem
diabolus etiam ſuggerere homini
abſque aliqua exteriori ſenſibili
creatura. Cùm ergo primi parentes
eſſent ſpirituali mente præditi, mi-
nùs ſenſibilibus quàm intelligibili-
bus inhærentes; conuenientiùs
fuiſſet quòd ſolùm ſpirituali tenta-
tione homo tentaretur quàm exte-
riori.

3. Non poteſt conuenienter ali-

Digitized by Google

quis malum ſuggerere, niſi per aliquod apparens bonum: ſed multa alia animalia habent maiorem apparentiam boni quàm ſerpens; non ergo conuenienter tentatus fuit homo à diabolo per ſerpentem.

4. Serpens eſt animal irrationale: ſed animali irrationali non competit ſapientia, nec locutio, nec pœna; ergo inconuenienter ſic deſcribitur.

Dicendum quòd homo compoſitus eſt ex duplici natura, intellectiua ſcilicet & ſenſitiua. Et ideo diabolus in tentatione hominis vſus eſt incitamento ad peccandum dupliciter. Vno modo ex parte intellectus, in quantum promiſit diuinitatis ſimilitudinem per ſcientiæ adeptionem, quam homo naturaliter deſiderat. Alio modo ex parte ſenſus; & ſic vſus eſt his ſenſibilibus rebus, quæ maximam habent affinitatem ad hominem; partim quidem in eadem ſpecie tentans virum per mulierem; partim verò in eodem genere, tentans mulierem per ſerpentem; partim verò ex genere propinquo proponens pomum ligni vetiti ad edendum.

Ad 1. R. quòd in actu tentationis diabolus erat ſicut principale agens: ſed mulier aſſumebatur quaſi inſtrumentum tentationis ad deiiciendum virum: Tum quia mulier erat infirmior viro, vnde magis ſeduci poterat: Tum etiam propter coniunctionem eius ad virum, maximè per eam diabolus poterat virum ſeducere. Non autem eſt eadem ratio principalis agentis & inſtrumenti: Nam principale agens oportet eſſe potius, quod non requiritur in agente inſtrumentali.

Ad 2. R. quòd ſuggeſtio quâ ſpiritualiter diabolus homini aliquid ſuggerit, oſtendit diabolum plus habere poteſtatis in homine quàm ſuggeſtio exterior; quia per ſuggeſtionem interiorem immutatur à diabolo ſaltem hominis phantaſia: ſed per ſuggeſtionem exteriorem immutatur ſola exterior creatura. Diabolus autem minimum poteſtatis habebat in homine ante peccatum; & ideo non potuit eum interiori ſuggeſtione, ſed ſolùm exteriori, tentare.

Ad 3. R. quòd non debemus opinari quòd ſerpentem ſibi, per quem tentaret diabolus eligeret. Sed cùm eſſet in illo decipiendi cupiditas, non niſi per illud animal potuit, per quod poſſe permiſſus eſt.

Ad 4. R. quòd ſerpens dictus eſt callidiſſimus propter aſtutiam diaboli qui in illo agebat dolum. Locutio autem fuit opus diabolicum: Quod autem ſerpenti dicitur, ad eum qui per ſerpentem operatus eſt, refertur. 2. 2. *q.* 165. *art.* 2. *ſimile lib.* 2. *ſent. Diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 1. *Gen.* 3. *v.* 14.

GENESIS Cap. 3. *v.* 1.

Cur præcepit vobis Deus.

Diabolus idem obſeruauit in tentatione primi hominis & Chriſti: nam primò ſolicitauit mentem primi hominis de ligni vetiti eſu, dicens *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi.* Secundò de inani gloria, cùm dixit *aperientur oculi veſtri.* *Gen.* 3. *v.* 5. Tertiò perduxit tentationem ad extremam ſuperbiam cùm dixit; *eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.*

Similiter primò tentauit Chriſtum de eo quod appetunt quantumcumque ſpirituales viri, ſcili- Chriſti tentatio ſimilis

Digitized by Google

cet de ſuſtentatione corporalis naturæ per cibum. Secundò proceſſit ad id, in quo ſpirituales viri quandoque deficiunt; vt ſcilicet aliqua ad oſtentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertiò perduxit tentationem ad id quod iam non eſt ſpiritualium virorum, ſed carnalium; ſcilicet vt diuitias & gloriam mundi concupiſcant vſque ad contemptum Dei. Et ideo in primis duabus tentationibus, *dixit ſi filius Dei es*, non autem in tertia, quæ non poteſt conuenire ſpiritualibus viris (qui ſunt per adoptionem filii Dei) ſicut duæ primæ. 3. *p. q.* 41. *art.* 4.

Matth. 4. *v.* 3 & 6.

GENESIS Cap. III. *v.* 3.

Ne fortè moriamur.

VIdetur quòd homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter, nam in Eua fuit aliquis infidelitatis motus, in hoc quòd de verbis Domini dubitauit, vt patet in textu; hoc autem videtur peccatum veniale; ergo.

Homo in ſtatu innocētiæ non potuit peccare venialiter.

Dicendum quòd primus homo non potuit peccare venialiter, cuius ratio eſt, quia peccatum veniale in nobis contingit vel propter imperfectionem actus, vel propter inordinationem exiſtentem circa ea quæ ſunt ad finem, ſeruato debito ordine ad finem.

Vtrumque autem horum contingit propter quendam defectum ordinis, ex eo quod inferius non continetur firmiter ſub ſuperiori; quod enim in nobis inſurgat ſubitus motus ſenſualitatis, contingit ex hoc quod ſenſualitas non eſt omnino ſubdita rationi. Quòd verò inſurgat ſubitus motus in ratione ipſa, prouenit in nobis ex hoc quod ipſa executio rationis non ſubditur deliberationi, quæ eſt ex altiori bono.

Quòd verò humanus animus inordinetur circa ea quæ ſunt ad finem, ſeruato debito ordine ad finem; prouenit ex hoc quod ea quæ ſunt ad finem non ordinantur infaillibiliter ſub fine; qui tenet ſummum locum quaſi principium in appetibilibus.

In ſtatu autem innocentiæ erat infaillibilis ordinis firmitas, vt ſemper inferius contineretur ſub ſuperiori; quandiu ſummum hominis contineretur ſub Deo. Et ideo oportebat quòd inordinatio in homine non eſſet, niſi inciperet ab hoc quòd ſummum hominis non ſubderetur Deo; quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet quòd homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter antequam peccaret mortaliter.

Ad Argum. R. quòd elatio fuit primum hominis peccatum mortale. Huiuſmodi autem elationem ſubſecuta eſt & experiendi cupiditas in viro, & dubitatio in muliere, 1. 2. *q.* 89. *art.* 3. *ſimile. Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 3.

GENESIS. Cap. III. *v.* 5.

Aperientur oculi veſtri.

EXplicatur ſupra *Geneſis* 3. *verſ.* 1.

GENESIS. Cap. III. *v.* 5.

Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.

VIdetur quòd ſuperbia non fuerit primum hominis peccatum;

Digitized by Google

Rom. 5. v. 19. dicitur enim quòd *per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi* : ſed primum hominis peccatum eſt ex quo omnes peccatores conſtituti ſunt originali peccato ; ergo inobedientia fuit primum hominis peccatum & non ſuperbia.

2. Homo diabolo ſuggerente peccauit : ſed diabolus tentans hominem ſcientiam repromiſit, vt patet in textu ; ergo prima inordinatio hominis fuit per appetitum ſcientiæ, quod pertinet ad curioſitatem ; ergo curioſitas fuit primum peccatum.

Eccli. 10. v 15. Sed contra eſt quod dicitur, *initium omnis peccati ſuperbia*. Dicendum quòd ad vnum peccatum multi motus concurrere poſſunt, inter quos ille habet rationem primi peccati, in quo primo inordinatio inuenitur. Manifeſtum eſt autem quòd primò inuenitur inordinatio in motu interiori animæ quàm in actu exteriori corporis: inter motus autem interiores, priùs mouetur appetitus in finem, quàm in id quod quæritur propter finem. Et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, vbi potuit eſſe primus appetitus inordinati finis.

Sic autem homo erat in ſtatu innocentiæ inſtitutus, vt nulla eſſet rebellio carnis ad ſpiritum ; vnde non potuit eſſe prima inordinatio appetitus humani ex hoc quòd appetierit aliquod ſenſibile bonum, in quod carnis concupiſcentia tendit præter ordinem rationis. Relinquitur igitur quòd prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc quòd aliquod bonum ſpirituale inordinatè appetiit. Non autem inordinatè appetiuiſſet, appetendo id ſecundùm ſuam menſuram, ex diuina regula præſtitutam. *Primũ hominis peccatum ſuperbia.*

Vnde relinquitur quòd primum peccatum hominis fuit in hoc quòd appetiit quoddam ſpirituale bonum ſupra ſuam menſuram ; quod pertinet ad ſuperbiam. Vnde manifeſtum eſt quòd primum peccatum primi hominis fuit ſuperbia.

Ad 1. R. quòd hoc quòd homo non obedierit diuino præcepto, non fuit propter ſe ab eo volitum; quia hoc non poſſet contingere niſi præſuppoſitâ inordinatione voluntatis. Relinquitur ergo quòd voluerit propter aliquid aliud. Primum autem quod inordinatè voluit, fuit propria excellentia. Et ideo inobedientia in eo cauſata fuit ex ſuperbia.

Nota quod in peccato primorum parentum etiam gula locum habuit, dicitur enim. *Vidit mulier quòd lignum eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile; & tulit de fructu eius, & comedit.* *Gen. 3. v. 6.* Non tamen ipſa bonitas & pulchritudo cibi, fuit primum motiuum ad peccandum ; ſed potiùs ſuaſio ſerpentis ; qui dixit, *aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij* : quod appetendo ſuperbiam mulier incurrit, & ideo peccatum gulæ deriuatum eſt ex peccato ſuperbiæ.

Ad 2. R. qnòd appetitus ſcientiæ cauſatus fuit in primis parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ. Vnde & in verbis ſerpentis præmittitur, *eritis ſicut dij*. Et poſtea ſubditur, ſcientes bonum & malum. 2. 2. *q.* 163. *art.* 1. *ſimile lib.* 2. *ſent. Diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *& in quæſt. diſp. q.* 15. *de malo. art.* 2.

Eritis ſicut Dei. Videtur quòd peccatum primorum parentum

Digitized by Google

fuerit cæteris grauius; quia pœna proportionatur culpæ: ſed peccatum primorum parentum grauiſſimè eſt punitum; quia per ipſum mors introiuit in hunc mundum.

2. Primum in quolibet genere videtur eſſe maximum: ſed peccatum primorum parentum fuit primum inter alia peccata hominum; ergo fuit maximum.

Dicendum quòd duplex grauitas in peccato attendi poteſt: vna quidem ex ipſa ſpecie peccati, ſicut dicimus adulterium eſſe grauius peccatum ſimplici fornicatione. Alia autem eſt grauitas peccati quæ attenditur ſecundùm aliquam circunſtantiam loci, vel perſonæ aut temporis. Prima autem grauitas eſſentialior eſt peccato, & principalior: vnde ſecundùm eam magis peccatum dicitur graue, quàm ſecundùm aliam.

Dicendum eſt igitur quòd peccatum primi hominis non fuit grauius omnibus aliis peccatis humanis, ſecundùm ſpeciem peccati. Et ſi enim ſuperbia ſecundùm ſuum genus habeat quandam excellentiam inter alia peccata: maior tamen eſt ſuperbia qua quis Deum negat, vel blaſphemat; quàm ſuperbia qua quis inordinatè diuinam ſimilitudinem appetit; qualis fuit ſuperbia primorum parentum. Sed ſecundùm conditionem perſonarum peccantium, peccatum illud habuit maximam grauitatem propter perfectionem ſtatus ipſorum. Et ideo dicendum eſt quòd illud peccatum fuit quidem ſecundùm quid grauiſſimum, non tamen ſimpliciter.

Ad 1. R. quòd magnitudo pœnæ, quæ conſecuta eſt ad illud primum peccatum; non correſpondet ei ſecundùm quantitatem propriæ ſpeciei, ſed in quantum fuit primum; quia ex hoc interrupta eſt innocentia primi ſtatus, quâ ſubtractâ, deordinata eſt tota natura humana.

Ad 2. R. quòd in his quæ ſunt per ſe ordinata, oportet id quod primum eſt, eſſe maximum. Talis autem ordo non attenditur in peccatis, ſed vnum per accidens ſequitur poſt aliud. Vnde non ſequitur quòd primum peccatum ſit maximum. 2. 2. *q.* 63. *art.* 3. *ſimile lib.* 2. *ſent. Diſt* 21. *q.* 1. *art.* 1. *&* *libro* 2. *ſent. Diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 1.

Eritis ſicut Dij. Videtur quod peccatum Adæ fuerit grauius quàm peccatum Euæ; dicitur enim quod Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. *1. Tim. 2. v. 14.* Et ſic videtur quòd peccatum mulieris fuerit ex ignorantia; peccatum autem viri ex certa ſcientia, quod eſt grauius.

2. Ille qui meliùs debet facere, ſi peccet, grauiùs peccat: ſed Adam debuit meliùs facere cùm eſſet caput mulieris; ergo grauius peccauit.

3. Peccatum in ſpiritum S. videtur eſſe grauiſſimum: ſed Adam in ſpiritum S. videtur peccaſſe; quia peccauit cogitans de diuina miſericordia, quod pertinet ad peccatum præſumptionis; ergo.

Sed contra eſt quod pœna reſpondet culpæ, ſed mulier eſt grauiùs punita quàm vir; ergo grauiùs peccauit.

Dicendum quòd grauitas peccati principaliùs attenditur ſecundùm peccati ſpeciem, quàm ſecundùm

peccati

mulier grauiùs punita quàm vir.

peccati circunſtantiam. Dicendum eſt ergo quòd ſi conſideremus conditionem perſonæ vtriuſque, ſcilicet mulieris & viri; peccatum viri eſt grauius, quia erat perfectior muliere. Sed quantùm ad ipſum genus peccati, vtriuſque peccatum æquale dicitur; quia vtriuſque peccatum fuit ſuperbia. Sed quantùm ad ſpeciem ſuperbiæ grauius peccauit mulior triplici ratione.

Primò quidem, quia maior elatio fuit mulieris quàm viri: mulier enim credidit verum eſſe quod ſerpens ſuaſit; ſcilicet quod Deus prohibuerit ligni eſum, ne ad eius ſimilitudinem peruenirent. Et ita dum per eſum ligni vetiti, Dei ſimilitudinem conſequi voluit, ſuperbia eius ad hoc ſe erexit quòd contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit hoc eſſe verum: vnde non voluit conſequi diuinam ſimilitudinem contra Dei voluntatem. Sed in hoc ſuperbiuit quod voluit eam conſequi per ſeipſum.

Secundò quia mulier non ſolùm ipſa peccauit, ſed etiam viro peccatum ſuggeſſit: vnde peccauit in Deum, & in proximum.

Tertiò in hoc quòd peccatum viri diminutum eſt ex hoc quòd in peccatum conſenſit amicabili quadam beneuolentiâ; qua plerumque fit vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.

Ad 1. R. quod illa ſeductio mulieris ex præcedenti elatione ſubſecuta eſt. Et ideo talis ignorantia non excuſat, ſed aggrauat peccatum; in quantum ſcilicet ignorando, in maiorem elationem erecta eſt.

Ad 2. R. quòd ratio illa procedit ex circunſtantia conditionis perſonæ ex qua peccatum viri fuit grauius ſecundùm quid.

Ad 3. R. quòd vir non cogitauit de diuina miſericordia vſque ad contemptum diuinæ iuſtitiæ; quod facit peccatum in ſpiritum ſanctum; ſed quia inexpertus diuinæ ſeueritatis, credidit illud peccatum eſſe veniale, id eſt, de facili remiſſibile. *2. 2. q. 163. art. 4. ſimile lib. 2. ſent. Diſt. 22. q. 1. art. 1. & de verit. q. 18. art. 6. & lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 22. art. 2.*

Idem locus explicatur *Geneſ. 1. v. 26.*

Genesis Cap. III. v. 6.

Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.

Peccator aliquando quærit in aliquo quod non poteſt conſequi, ſed conſequitur illud iuſtus. Sic Eua quæſiuit fructum, & in illo non inuenit omnia quæ deſiderauit: B. autem virgo in fructu ſuo inuenit omnia quæ deſiderauit Eua. Nam Eua in fructu ſuo tria deſiderauit.

Primò id quod falsò promiſit ei diabolus, ſcilicet quòd eſſent ſicut Dii, ſcientes bonum & malum; nam Eua propter eſum fructus non eſt facta ſimilis Deo, ſed diſſimilis; quia peccando receſſit à Deo ſalutari ſuo; Vnde & expulſa eſt de paradiſo. Sed hoc inuenit B. Virgo & omnes Chriſtiani in fructu ventris ſui; quia per Chriſtum coniungimur & aſſimilamur Deo.

Secundò in fructu ſuo Eua deſiderauit delectationem, quia bonus ad edendum: ſed non inuenit, quia ſtatim cognouit ſe nudam, &

habuit dolorem: ſed in fructu virginis ſuauitatem inuenimus, & ſalutem.

Tertio, fructus Euæ erat pulcher aſpectu: ſed pulchrior fructus Virginis in quem deſiderant Angeli proſpicere.

Non ergo potuit inuenire Eua in fructu ſuo, quod nec quilibet peccator in peccatis: & ideo quæ deſideramus, quæramus in fructu Virginis. *Opuſcul.* 8, *circa fin.*

GENESIS Cap. III. v. 6.

Deditque viro ſuo qui comedit.

EXplicatur ſupra *Geneſ.* 3. *verſ.* 1.

GENESIS Cap. III. v. 7.

Et aperti ſunt oculi amborum.

POena quæ alicui peccato adhibetur, debet plus habere in malo, quàm emolumentum quod quis ex peccato conſequitur; alioquin per pœnam non deterreretur quis à peccato: ſed primi parentes ex peccato conſecuti ſunt quod eorum oculi aperirentur, vt patet in textu. Hoc autem præponderat in bono omnibus malis pœnalibus quæ ponuntur ex peccato conſecuta.

R. quòd non eſt credendum quòd primi parentes eſſent producti clauſis oculis; præcipuè cùm de muliere dicatur, quòd *vidit lignum &c.* Aperti ergo ſunt oculi amborum ad aliquid intuendum & cogitandum quod antea nunquam aduerterant, ſcilicet ad inuicem concupiſcendum, quod ante non fuerat. 2. 2. *q.* 164. *art.* 2. *ad* 9.

GENESIS, Cap. III. v. 8.

Et cùm audiſſent vocem Domini.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap.* 1. *verſ.* 1.

GENESIS Cap. III. v. 9.

Adam vbi Es?

VIdetur quòd confeſſio ſit de iure naturali. Adam enim & Cain non tenebantur niſi ad præcepta legis naturæ: ſed reprehenduntur de hoc quod peccatum ſuum non ſunt confeſſi.

Dicendum quòd Adam vituperatur ex hoc quod peccatum ſuum coram Deo non recognouit: Confeſſio enim quæ fit Deo per recognitionem peccati, eſt de iure naturali; non autem confeſſio quæ fit homini.

Vel dicendum quòd confiteri peccatum, in caſu, eſt de iure naturali, ſcilicet cùm quis in iudicio conſtitutus à iudice interrogatur; tunc enim non debet mentiri, peccatum ſuum excuſando, vel negando; de quo Adam & Cain vituperantur. *in ſupplem, q.* 6. *art.* 2. Cōfeſſionis neceſſitas.

GENESIS Cap. III. v. 12.

Mulier quam dediſti mihi ſociam.

VIdetur quòd non ſit conueniens pœna originalis peccati carentia viſionis diuinæ; nam dicitur, *omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima filij mea eſt, ita & anima patris mea eſt.* Ezech. 18. v. 4. Ex quo poteſt accipi quòd omnes animæ ſunt immediatè à Deo creatæ, & quòd vna non traducitur ab alia; ergo pœnâ quæ tantùm pertinet ad animam, non

Digitized by Google

debet aliquis puniri pro peccato originali quod à primo parente traducitur: ſed carentia diuinæ viſionis eſt pœna ad ſolam animam pertinens; ſicut & ipſa viſio diuina ſoliùs animæ eſt; ergo carentia diuinæ viſionis non eſt pœna debita originali peccato.

2. Peccato originali debetur minor pœna, quàm peccato veniali: ſed peccato veniali debetur pœna ſenſibilis, non autem carentia viſionis diuinæ; cùm ergo indubitanter carentia viſionis diuinæ ſine pœna ſenſus, ſit maior pœna, quàm pœna ſenſus ſine carentia viſionis diuinæ; videtur quòd peccato originali non debeatur pro pœna, carentia viſionis diuinæ.

3. Dignus eſt miſericordiâ qui alieno vitio laborauit: ſed ille qui punitur pro ſolo peccato originali, laborauit alieno vitio, ſcilicet primi parentis; ergo dignus eſt miſericordiâ: non ergo ei debetur pœna grauiſſima, quæ eſt carentia viſionis diuinæ.

4. Adam ſe excuſauit, vt patet in textu: fuiſſetque ſufficiens excuſatio, & pœnam non mereretur, ſi ſuggeſtioni mulieris reſiſtere non potuiſſet: ſed Deus dedit carnem animæ, cuius infectioni reſiſtere non poteſt; ergo non videtur quòd ex hoc obligetur ad aliquam pœnam.

Pœna originalis peccati eſt carentia diuinæ viſionis.

Dicendum quòd conueniens pœna originalis peccati eſt carentia viſionis diuinæ: Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd cùm ad perfectionem alicuius rei duo pertinere videantur quorum primum eſt quod ſit capax alicuius boni magni, vel actu habeat illud: Aliud verò eſt quòd exteriori auxilio non indigeat in nullo, vel in paucis: prima conditio præponderat ſecundæ; multò enim melius eſt quod eſt capax magni boni, quamuis ad illud obtinendum indigeat multis auxiliis, quàm illud quod non eſt capax, niſi parui boni: quod tamen abſque exteriori auxilio, vel cum pauco auxilio conſequi poteſt. Sicut meliùs diſpoſitum dicimus eſſe corpus alicuius hominis, ſi poſſit conſequi perfectam ſanitatem, licet multis auxiliis medicinæ, quàm ſi poſſit conſequi ſolùm ſanitatem quandam imperfectam abſque auxilio medicinæ.

Creatura ergo rationalis in hoc præeminet omni creaturæ, quòd capax eſt ſummi boni per diuinam viſionem & fruitionem; licet ad hoc conſequendum naturæ propriæ principia non ſufficiant: ſed ad hoc indigeat auxilio diuinæ gratiæ.

Sed circa hoc conſiderandum eſt, quòd aliquod diuinum auxilium neceſſarium eſt communiter omni creaturæ rationali, ſcilicet auxilium gratiæ gratum facientis; qua quælibet creatura rationalis indiget, vt poſſit peruenire ad beatitudinem perfectam.

Sed præter hoc auxilium, neceſſarium fuit homini aliud ſupernaturale auxilium, ratione ſuæ compoſitionis. Eſt enim homo compoſitus ex anima & corpore, & ex natura intellectuali & ſenſibili; quæ quodammodo ſi ſuæ naturæ relinquantur, intellectum aggrauant & impediunt; ne liberè ad ſummum faſtigium contemplationis peruenire poſſit: hoc autem auxilium fuit originalis iuſtitia, per

Digitized by Google

quam mens hominis ſi ſubderetur Deo, ei ſubderentur totaliter inferiores vires, & ipſum corpus; neque ratio impediretur quò minùs poſſet in Deum tendere.

Et ſicut corpus eſt propter animam, & ſenſus propter intellectum; ita hoc auxilium, quo continetur corpus ſub anima & vires ſenſitiuæ ſub mente intellectuali; eſt quaſi diſpoſitio quædam ad illud auxilium, quo mens humana ordinatur ad videndum Deum, & ad fruendum ipſo. Hoc autem auxilium originalis iuſtitiæ ſubtrahitur per peccatum originale.

Cùm autem aliquis peccando abiicit à ſe illud per quod diſponebatur ad aliquod bonum acquirendum, meretur vt ei ſubtrahatur illud bonum, ad quod obtinendum diſponebatur: & ipſa ſubtractio illius boni, eſt conueniens pœna eius. Et ideo conueniens pœna peccati originalis eſt ſubtractio gratiæ, & per conſequens viſionis diuinæ, ad quam homo per gratiam ordinatur.

Ad 1. Argum. R. quòd anima huius pueri, qui ſine baptiſmo decedit, non punitur carentiâ viſionis diuinæ propter peccatum Adæ, ſecundùm quod fuit perſonale peccatum eius: ſed punitur pro infectione originalis culpæ, quam incurrit ex vnione ad corpus; quod à primo parente traducitur ſecundùm ſeminalem rationem. Iniuſtum enim eſſet vt deriuaretur reatus pœnæ, niſi & deriuaretur infectio culpæ.

Ad 2. R. quòd peccatum veniale originali comparatũ, quodam modo eſt maius, & quodam modo eſt minus: Peccatum enim veniale comparatum huic perſonæ vel illi, magis habet de ratione peccati; quàm peccatum originale: quia peccatum veniale eſt peccatum voluntarium voluntate huius perſonæ, non autem peccatum originale. Sed originale peccatum comparatum ad naturam eſt grauius, quia priuat naturam maiori bono, quàm peccatum veniale priuet perſonam, ſcilicet bono gratiæ. Et propter hoc debetur ei carentia viſionis diuinæ; quia ad viſionem diuinam non peruenitur, niſi per gratiam, quam veniale peccatum non excludit.

Ad 3. R. quòd iſte puer decedens ſine baptiſmo, laborauit quidem vitio alieno quantùm ad cauſam; quia ſcilicet peccatum ab alio traxit: laborauit tamen vitio proprio, in quantum à primo parente culpam contraxit. Et ideo dignus eſt, miſericordiâ diminuente, non tamen totaliter relaxante.

Ad 4. R. quòd ſi vir non potuiſſet reſiſtere perſuaſioni mulieris, ſufficienter excuſatus fuiſſet à peccato actuali quod propriâ voluntate committitur. Et ſic etiam anima huius pueri excuſata eſt à reatu actualis peccati: non autem à reatu originalis, cuius infectionem contrahit per vnionem ad carnem. *In quæſt. Diſput q. 5. de malo art. 1.*

GENESIS Cap. 3. *v.* 13.

Serpens decepit me.

QVomodo mulier decepta, Explicatur ſupra, *Geneſis* 3. *v.* 5.

GENESIS Cap. 3. v. 14.

Maledictus es ſuper omnia animantia.

QVomodo intelligenda ſerpentis maledictio & pœna, Explicatur ſupra. *Gen.* 3. *v.* 1.

GENESIS Cap. 3. v. 14.

Super pectus tuum gradieris, & terram comedes.

DAmnati ſunt eiuſdem conditionis cum dæmonibus: ſed dæmones demerentur poſt ſuum caſum; vnde ſerpenti qui hominem ad peccandum induxit, eſt à Deo pœna inflicta vt patet in textu; ergo & damnati demerentur.

Dicendum quòd de damnatis ante diem iudicii & poſt, diſtinguendum eſt. Omnes enim communiter confitentur, quòd poſt diem iudicii non erit aliquod meritum vel demeritum: & hoc ideo eſt quia meritum vel demeritum ordinatur ad aliquod bonum, vel malum vlteriùs conſequendum. Poſt diem autem iudicii erit & vltima conſummatio bonorum & malorum, ita quòd nihil erit addendum vlteriùs de bono vel de malo: vnde & bona voluntas in beatis non erit meritum, ſed præmium; & mala voluntas non erit in damnatis demeritum, ſed pœna tantùm.

Nullũ erit meritũ poſt iudiciũ.

Sed ante diem iudicii poſſunt & beati mereri, & damnati demereri; non reſpectu præmii eſſentialis, vel pœnæ principalis; cùm quantùm ad hoc vtrique ad terminum peruenerint. Poteſt tamen hoc eſſe reſpectu præmii accidentalis, vel pœnæ ſecundariæ; quæ poſſunt augeri vſque ad diem iudicii: & hoc præcipuè in dæmonibus vel Angelis bonis, quorum officio aliqui trahuntur ad ſalutem, ex quo beatorum Angelorum gaudium creſcit; vel ad damnationem, ex quo creſcit pœna dæmonum.

Ad argumentum dicendum quòd ad damnatorum hominum officium non pertinet ad damnationem alios pertrahere, ſicut petinet ad officium dæmonum; ratione cuius demerentur, quantùm ad ſecundariam pœnam. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 50. *q.* 2. *art.* 1. & *ſupplem. q.* 98. *art.* 6.

GENESIS Cap. 3. v. 16.

Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.

MVlier grauiùs punita quàm vir, quia plus peccauit. Explicatur ſupra. *Gen.* 3. *v.* 5.

Id quod pertinet ad dignitatem alicuius, non videtur ad pœnam eius pertinere: ſed multiplicatio conceptus pertinet ad dignitatem mulieris; ergo non debet poni quaſi mulieris pœna.

R. quòd multitudo conceptuum inducitur in pœnam mulieris, non propter ipſam procreationem prolis, quæ etiam ante peccatum fuiſſet; ſed propter multitudinem afflictionum, quas mulier patitur ex hoc quòd portat fœtum cõceptum.

Item pœna peccati primorum parentum ad omnes deriuatur: ſed non omnium mulierum multiplicantur conceptus; nec omnes viri *in ſudore vultus ſui pane veſcuntur;* non ergo iſtæ ſunt conuenientes pœnæ primi peccati. *Geneſ.* 3. *v.* 19.

Digitized by Google

R. quòd illæ pœnæ aliqualiter ad omnes pertinent: Quæcumque enim mulier concipit, neceſſe eſt quòd ærumnas patiatur, & cum dolore pariat; præter B. Virginem quæ ſine corruptione concepit, & ſine dolore pepetit: quia eius conceptio non fuit ſecundùm legem naturæ à primis parentibus deriuatam. Si autem aliqua non concipit, neque parit, patitur ſterilitatis defectum, qui præponderat pœnis prædictis.

B. Virgo ſine dolore pepetit.

Similiter etiam oportet vt quicumque terram operatur, in ſudore vultus comedat panem. Et ipſi qui per ſe agriculturam non exercent, in aliis laboribus occupantur (*Homo enim naſcitur ad laborem.*) Et ſic panem ab aliis in ſudore vultus elaboratum manducat. 2. 2. *q.* 164. *art.* 2.

Iob. 5. *v.* 7.

GENESIS Cap. 3. *v.* 16.

Sub viri poteſtate eris.

Dicendum quòd hoc in pœnam mulieris inobedientis inductum eſt. Vel dicendum quòd non eſt ſub poteſtate viri per modum ſeruitutis, ſed per modum gubernationis. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *in fin. ſimile prima p. quæſt.* 96. *art.* 4. Idem locus explicatur ſupra *Gen.* 2. *cap.* 18.

Sub viri poteſtate eris. Videtur quòd gratia ſermonis ſapientiæ & ſcientiæ pertineat etiam ad mulieres; ad huiuſmodi enim gratiam pertinet doctrina: ſed docere competit mulieri, dicitur enim, *Vnigenitus fui coram matre mea, & docebat me*; ergo hæc gratia competit mulieribus.

Prou. 4. *v.* 3.

2. Maior eſt gratia prophetiæ quàm gratia ſermonis; ſicut maior eſt contemplatio veritatis, quàm eius enuntiatio: ſed prophetia conceditur mulieribus, ſicut legitur de Delbora, & de Olda prophetiſſa; ergo.

Iudic 4. 4. *Reg.* 22.

Sed contra eſt quod dicitur, *mulieres in Eccleſiis taceant.* Et docere mulieri non permitto: Hoc autem præcipuè pertinet ad gratiam ſermonis; ergo gratia ſermonis non competit mulieribus.

1. *Cor.* 14. *v.* 34. 1. *Tim.* 2. *v.* 12.

Dicendum quòd ſermone poteſt aliquis vti dupliciter, vno modò priuatè ad vnum vel paucos, familiariter colloquendo: & quantùm ad hoc gratia ſermonis poteſt competere mulieribus.

Alio modo, publicè alloquendo totam Eccleſiam: & hoc mulieri non conceditur.

Primò quidem & principaliter propter conditionem fœminei ſexus, qui debet eſſe ſubditus viro, vt patet in textu. Docere autem & perſuadere publicè in eccleſia non pertinet ad ſubditos, ſed ad prælatos. Magis tamen viri ſubditi ex commiſſione poſſunt exequi, quia non habent huiuſmodi ſubiectionem ex naturali ſexu, ſicut mulieres; ſed ex aliquo accidentaliter ſuperueniente.

Secundò ne animi hominum alliciantur ad libidinem. Tertiò quia vt communiter mulieres non ſunt in ſapientia perfectæ, vt eis poſſit conuenienter publica doctrina committi. Et per hæc patet R. ad primum.

Ad 2. R. quòd gratia prophetiæ attenditur ſecundùm mentem illuminatam à Deo; ex qua parte non eſt in hominibus ſexuum differentia. Sed gratia ſermonis pertinet

Digitized by Google

ad inſtructionem hominum, inter quos differentia ſexuum inuenitur. Vnde non eſt ſimilis ratio de vtroque. 2. 2. *q.* 177. *art.* 2.

GENESIS Cap. 3. v. 17.

Maledicta terra in opere tuo.

VIdetur quòd non liceat creaturam irrationalem maledicere; maledictio enim præcipuè videtur eſſe licita, in quantum reſpicit pœnam: ſed creatura irrationalis non eſt ſuſceptiua nec culpæ nec pœnæ; ergo eam maledicere non licet.

Dicendum quòd benedictio vel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui poteſt aliquid bene vel malè contingere, ſcilicet rationali creaturæ: creaturis autem irrationalibus bonum vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam ſunt.

Propter tria licet maledicere creaturam.

Ordinantur autem ad eam multipliciter: vno quidem modo per modum ſubuentionis, in quantum ſcilicet ex creaturis irrationalibus ſubuenitur humanæ neceſſitati. Et hoc modo dicitur *maledicta terra, &c.* Vt ſcilicet per eius ſtabilitatem homo puniretur. Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum ſignificationis; & ſic Dominus *maledixit ficulneam*, in ſignificationem Iudeæ.

Matth. 21. *v.* 19.

Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, ſcilicet temporis vel loci. Et ſic *maledixit Iob diei natiuitatis ſuæ*, propter culpam originalem, quam naſcendo contraxit, & propter ſequentes pœnalitates. Et propter hoc etiam poteſt intelligi Dauid maledixiſſe montibus Gelboë, ſcilicet propter cædem populi, quæ in eis contigerat.

Iob. 3. *v.* 1.

2. *Reg.* 1. *v.* 21.

Maledicere autem rebus irrationalibus, in quantum ſunt creaturæ Dei; eſt peccatum blaſphemiæ; maledicere autem eis ſecundùm ſe conſideratis, eſt otioſum & vanum; & per conſequens illicitum. Et per hoc patet reſponſio ad argumentum. 2. 2. *q.* 76. *art.* 2.

Maledicta terra in opere tuo. Sicut ad mulierem pertinet vt ſubdatur viro in his quæ ad domeſticam conuerſationem pertinent; ita ad virum pertinet quòd neceſſaria vitæ procuret. Et circa hoc punitur tripliciter, primò quidem per terræ ſterilitatem, cùm dicitur, *maledicta terra in opere tuo.* Secundò per laboris anxietatem, ſine qua fructus terræ non percipit. Vnde dicitur, *in labore comedes de ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Tertiò quantùm ad impedimenta quæ proueniunt terram colentibus. Vnde dicitur, ſpinas & tribulos germinabit tibi. 2. 2. *q.* 164. *art.* 2.

Maledicta terra in opere tuo. Res corporales propter hominem factę; eſſe nociuæ homini per peccatum cœperunt. *Lib.* 2. *ſent. ad Annibal. Diſt.* 21. *art.* 3.

Maledicta terra, &c. Videtur quòd non conuenienter homo in pœnam peccati ſit de paradiſo terreſtri eiectus; ea enim quæ homo per peccatum amiſit, per Christi paſſionem & eius ſacramenta recuperat: ſed homo per hoc non ducitur in paradiſum terreſtrem; ergo.

2. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: Sed homo in paradiſo *Sup.* 11. *v.* 17.

peccauit; ergo miſeriam in paradiſo terreſtri debuit ſuſtinere. Sed contra, locus debet proportionari locato: ſed per peccatum homo factus eſt miſer; ergo non debuit remanere in paradiſo terreſtri, cui erat locus felicitatis cuiuſdam.

Dicendum quòd anima hominis taliter fuerat inſtituta, vt quandiu ipſa inobediens Deo non fieret, nullam inobedientiam ſentiret in ſuo corpore, nec aliquod nocumentum ex exterioribus rebus quæ propter hominem factæ ſunt, & ei ſubiectæ. Poſt peccatum autem & ex corpore rebellionem ſenſit, & ex rebus exterioribus nocumentum. Et ideo ante peccatum poſitus fuit in loco temperatiſſimo & delicatiſſimo, vbi nullam moleſtiam ex rebus exterioribus ſentiret: ſed poſt peccatum ad locum turbulentum & anguſtiis plenum debuit educi. Et hoc probat textus.

Ad 1. R. quòd per mortem Chriſti reſtituuntur nobis potiora his, quæ per Adæ peccatum amiſimus. Vnde non reducimur in vitam animalem, & paradiſum terreſtrem; ſed in gloriam ſpiritualem, & cælum empyreum, quo etiam Adam transferendus eſſet ſi perſtitiſſet.

Ad 2. R. quòd Adam per peccatum, indignum ſe paradiſo terreſtri reddiderat: vnde ex hoc ipſo quòd à paradiſo excluditur, punitur in hoc in quo peccauit: ſicut contingit cùm aliquis ab eccleſia expellitur, propter ſacrilegium in Eccleſia commiſſum. *Libro 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 29. q. 1. art. 4.*

Spinas & tribulos germinabit tibi. Ante illam maledictionem ſpinæ & tribuli producti erant vel virtute, vel actu: ſed non erant producti homini in pœnam; vt ſcilicet terra quam propter cibum coleret, infructuoſa quædam & noxia germinaret. Vnde dictum eſt, *Germinabit tibi. 1. p. q. 69. art. 1. ſimile 2. 2. q. 164. art. 2. & ſupplem. q. 91. art. 3.*

Genesis Cap. 3. v. 19.

In ſudore vultus tui.

ID quod debetur homini damnato, non conuenit propriè naturæ inſtitutæ: ſed agricultura data eſt in pœnam homini damnato.

Dicendum quòd in ſtatu innocentiæ non fuiſſet agricultura laborioſa, ſicut eſt in ſtatu peccati: ſed delectabilis ex conſideratione diuinæ prouidentiæ & naturalis virtutis. *Lib. 2. ſent. Diſt. 17. q. 3. art. 3.*

In ſudore vultus tui. Videtur quòd operari manibus ſit in præcepto; dicitur enim, *Si quis non vult operari, non manducet.* 2. ad Theſſ. 3. v. 10.

2. Nullus debet excommunicari vt iura dicunt, niſi pro mortali: ſed nullus peccat mortaliter niſi contra præceptum faciens; cùm ergo ille qui ceſſat ab opere manuali, iure poſſit excommunicari, vt patet per illud quod dicitur; *ſi quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur*; videtur ergo quòd operari manibus ſit in præcepto. 2. ad Theſſ. 3. v. 14.

3. Ille qui peccauit tenetur pœnam debitam pro peccato ſubire ex neceſſitate præcepti: ſed omnes in Adam peccauerunt; pœna autem peccati

Digitized by Google

peccati Adæ eſt labor manualis, vt patet in textu; ergo omnibus eſt præceptum manibus laborare.

4. Labor manualis neceſſarius eſt ad ſuſtentationem vitæ corporalis, ſicut actus virtutum ſunt neceſſarii ad ſuſtentationem vitæ ſpiritualis: ſed actus virtutum ſunt in præcepto; ergo & laborare manibus.

5. Illud ad quod ſequitur peccatum mortale, non poteſt ſine peccato mortali fieri: ſed ad non laborare ſequitur non manducare, quod eſt peccatum mortale; ergo non operari manibus, eſt peccatum mortale.

Matth. 6. v. 25. Sed contra dicitur, *nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, &c.* Huic autem contrariatur labor manuum; quia qui laborant manibus, ſoliciti ſunt de neceſſariis corporis; ergo labor manuum non eſt in præcepto.

2. Lex vetus quantùm ad præcepta moralia ſufficienter continebat quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: ſed in præceptis veteris legis nihil continetur de labore manuum; ergo non eſt in præcepto.

3. Ad præcepta ſeruanda omnes tenentur: ſed ad labores manuum non omnes tenentur: Aliàs qui ſunt diuites, & manibus non laborant, mortaliter peccarent; ergo labor manuum non eſt in præcepto.

Dicendum quòd iudicium de vnaquaque reſumendum eſt ſecundùm finem ad quem ordinatur: labor autem manuum ad tria vtilis eſſe inuenitur. Primò ad otium tollendum. Secundò ad corpus domandum. Tertiò ordinatur ad quærendum victum. Si ergo conſideretur labor manuum ſecundùm quod ordinatur ad tollendum otium, vel corpus domandum; ſic idem iudicium eſt de labore manuum & de aliis exercitiis ad eadem ordinatis. Non enim eſt in præcepto quòd tollatur otium tali aut tali occupatione, ſed ſufficit ad otium tollendum quacumque licitâ occupatione ab otio quis deſiſtat. Et ſic occupatio laboris manuum non eſt in præcepto, conſiderato hoc fine.

Labor manuũ ad tria prodeſt.

Et ſimilis eſt ratio de labore manuum ſecundùm quod ordinatur ad corpus domandum; quia multis exercitiis corpus domari poteſt ſicut vigiliis, ieiuniis &c. Vnde nullum eorum in quantum ordinatur ad talem finem, eſt in præcepto ſpeciali; quamuis in generali ſit in præcepto corpus domare qualicumque exercitio, quo mortiferæ concupiſcentiæ reprimantur.

Secundùm autem quod ordinatur ad victum quærendum, Sic videtur eſſe in præcepto. Vnde dicitur, *operamini manibus veſtris ſicut præcepimus vobis.* Nec ſolùm in *1. ad Theſſ. 4.* præcepto iuris poſitiui, ſed etiam iuris naturalis. Illa enim ſunt de lege naturali ad quæ homo ex ſuis naturalibus inclinatur. Sicut autem ex ipſa diſpoſitione corporis patet, homo naturalem ordinationem habet ad opus manuale, propter quod dicitur, *Homo ad laborem naſcitur, & auis ad volandum.* *Iob. 5. v. 7.* Cùm autem aliis animalibus natura ſufficienter prouiderit in his quæ ad ſuſtentationem ſuæ vitæ pertinent in cibis, & armis, & tegumentis: homini in his non prouidit, quia ipſe eſt præditus ratione, per quam ſibi poteſt prouidere in omnibus ſupradictis. Vnde & etiã

Digitized by Google

ſibi loco omnium prædictorum manus conueniens ad diuerſa opera, quibus conceptiones rationis diuerſis artificiis exequatur.

Sciendum tamen eſt, quod duplex eſt præceptum legis naturæ; quoddam quod ordinatur ad tollendum defectum vnius ſingularis perſonæ; vel ſpirituale ſicut de actibus virtutum, vel corporale ſicut comeſtio. Aliud verò eſt quod ordinatur ad tollendum defectum totius ſpeciei, ſicut actus generationis, quo natura ſaluatur & multiplicatur.

Labor manuũ quomodo obligat. Hoc autem intereſt inter hæc duo genera præceptorum, quia primum præceptum legis naturæ quilibet tenetur ſingulariter obſeruare: ſed ad ſecundum præceptum non tenetur quilibet ſingulariter. In his enim quæ pertinẽt ad ſpeciem omnes homines computandi ſunt quaſi vnus homo. Sicut autem homo vnus habet diuerſa membra, quibus occupatur in diuerſis officiis ordinatis ad tollendum proprium defectum; quæ non poſſunt omnia per vnum membrum exerceri: ſicut oculus videt totum corpus, & pes totum corpus portat: ita oportet eſſe in his quæ ad totam ſpeciem pertinent. Non enim ſufficeret vnus homo ad exercenda omnia, quibus humana ſocietas indiget: & ideo diuerſis officiis oportet occupari diuerſos.

Hæc autem diuerſificatio hominum in diuerſis officiis contingit. Primò ex diuina prouidentia, quæ ita hominum ſtatus diſtribuit, vt nihil vnquam deeſſe inueniatur de neceſſariis ad vitam. Secundò etiam ex cauſis naturalibus, ex quibus contingit quòd in diuerſis hominibus ſunt diuerſæ inclinationes ad diuerſa officia, vel ad diuerſos modos viuendi.

Quia ergo labore manuum aliquis poteſt ſubuenire & proprio defectui, & alieno, cùm non poſſit vnus homo in omnibus ſibi ſufficere, ſed indiget alieno auxilio; patet quòd præceptum de labore manuum quodammodo ſub vtroque genere prædictorum præceptorum continetur. In quantum enim labore manuum vnius ſubuenitur neceſſitatibus aliorum; ſic pertinet ad ſecundum genus naturalium præceptorum. In quantum autem aliquis per hoc ſuis neceſſitatibus ſubuenit, pertinet ad primum genus, ſicut præceptum de comedendo.

Præceptum autem quod ordinatur ad tollendum defectum corporalem, non obligat niſi defectu exiſtente: vnde ſi eſſet aliquis qui poſſet viuere ſine cibo; non obligaretur præcepto de comedendo. ſic ergo præceptum de labore manuum non obligat aliquem ſingulariter, ſecundùm quod ordinatur ad tollendum defectum communem aliquo modo; neque ſecundùm quod ordinatur ad tollendum proprium, niſi defectu exiſtente. Et ideo ille qui habet vnde licitè viuere poſſit, non tenetur manibus operari: Qui autem non habet vnde aliàs viuat; vel niſi aliquo illicito negotio victum acquirat, tenetur manibus laborare.

Nota tamen quòd per operationem manualem intelligitur non ſolùm quod manibus fit, ſed quocumque corporali inſtrumento: & breuiter quodcumque officium homo agit, de quo licitè poſſit

victum acquirere, ſub labore manuum comprehenditur. Quia ergo præceptum eſt, ſed non omnes obligat, ideo ad vtraſque rationes reſpondendum eſt.

Ad 1. Argum. R. quòd Apoſtolus loquitur in caſu illo quando prætermiſſo labore manuum, de fœdis negotiis ſibi victum acquirebant; in quo caſu obligabantur ad præceptum ſeruandum: & ideo digni erant excommunicari.

Ad 3. R. quòd verba illa Dei, magis ſunt prænunciantis pœnam, quàm præcipientis ſatisfactionem. Et ideo non ſequitur quòd ad laborandum quilibet homo teneatur ex neceſſitate præcepti: Aliàs ſequeretur quòd quilibet teneretur ad agriculturam, de qua ibi Dominus facit mentionem.

Ad 4. R. quòd vita ſpiritualis à nullo poteſt conſeruari niſi per actus virtutum; & ideo quilibet obligatur ad ſeruanda præcepta quæ ſunt de actibus virtutum: ſed vita ſpiritualis à multis poteſt conſeruari ſine hoc quòd manibus operentur. Et ideo quamuis ſit generaliter in præcepto; non tamen quilibet ad obſeruationem eius tenetur.

Ad 5. R. quòd non manducare non eſt peccatum mortale, niſi quando ſine manducatione vita ſeruari non poteſt: Tunc enim aliquis non manducando ſeipſum occideret.

Ad 1. autem eorum quæ in contrarium obiiciuntur, R. quòd non prohibet Dominus Apoſtolis omnem ſolicitudinem, ſcilicet de his quæ pertinent ad victum corporis; aliàs ipſe loculos non habuiſſet: ſed prohibet ſolicitudinem ſuffocantem, qua mens ſuffocatur dupliciter. Vno modo vt in rebus temporalibus finem ponat rectæ operationis, & hoc Deus prohibet: ſecundò ſuffocatur mens prædictâ ſolicitudine, quando fiduciam de Deo amittit; & hoc Dominus prohibere intendit.

Ad 2. R. quòd non omnia quæ ſunt in præcepto, continentur explicitè in præceptis decalogi, ſed ad ea poſſunt reduci cùm implicitè in eis contineantur. Et ſic præceptum de labore manuum per quem vita corporalis conſeruatur, reducitur ad hoc præceptum, *non occides*, *Exod. 20. v. 13.* ſicut etiam præceptum de manducando. Vel ad hoc præceptum, *non furtum facies*, quo omne illicitum lucrum, quod per laborem *Exod. 20. v. 15.* manuum euitatur, prohibetur.

Ad 3. R. quòd in quolibet præcepto duo ſunt conſideranda, ſcilicet finis præcepti, & poſſibilitas obſeruandi; quia omnia præcepta cuiuſlibet legis ſunt ordinata ad aliquod bonum inducendum, vel malum tollendum; nec aliquid impoſſibile præcipi poteſt. Si ergo ſit tale præceptum quod nullo modo reddi poſſit impoſſibile obſeruandum, & ſine eo finis intentus haberi non poſſit; obligatio illius præcepti ſemper manet, ſicut eſt in præceptis de actibus virtutum; quia ad minus actus interiores ſemper ſunt in hominis poteſtate; & ſine eis vita ſpiritualis conſeruari non poteſt. Duobus ergo modis præceptum de operatione manuum obligationem amittit: vno modo quando aliquis redditur impotens ad laborandum propter corporis imbecillitatem. Alia modo quando finem huius præcepti, ſci-

licet conſeruationem corporalis vitæ conſequi poteſt ſine labore manuum *Quodlibeto* 7. *art.* 17.

Idem locus explicatur ſupra *Gen.* 2. *v.* 8. & *Gen.* 3. *v.* 16.

Terra es & in terram ibis. Sicut ſeparatio animæ à carne fuit inflicta homini propter peccatum primi parentis, ita etiam incineratio: ſed Chriſtus pro nobis ſuſtinuit mortem, vt debitum naturæ ſolueret; ergo ſimiliter corpus eius incinerari debuit.

Dicendum quòd mors & incineratio, ſunt pœnæ originalis peccati; in Chriſto autem nunquam fuit originale: vnde Chriſtus non contraxit huiuſmodi defectus ex neceſſitate ſuæ originis; quia ſine originali conceptus fuit. Sed voluntariè defectus humanæ naturæ aſſumpſit ad complendum opus noſtræ redemptionis, quod cùm eſſet in paſſione completum, quia dixit
Ioã. 19. v. 30. *conſummatum eſt*; ideo corpus eius incineratum non fuit, *Lib.* 3. *ſent. Diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 2.

GENESIS. Cap. 3. v. 19.

Puluis es, & in puluerem reuerteris.

MOrs corporalis in pœnam homini eſt inducta pro prima præuaricatione vt patet in textu; ſicut & mors ſpiritualis, quæ eſt ſeparatio animæ à Deo, eſt inflicta homini pro peccató mortali: ſed de morte ſpirituali nunquam redit ad vitam poſt ſententiam damnationis acceptam; ergo nec de morte corporali ad vitam corporalem erit regreſſus, & ſic reſurrectio non erit.

Dicendum quòd mors corporalis introducta eſt per peccatum Adæ, quod eſt morte Chriſti deletum; vnde pœna illa non manet in æternum: ſed peccatum mortale quod mortem æternam, per impœnitentiam inducit, vltra non expiabitur: & ideo mors illa æterna erit. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 43. *q.* 1. *art.* 1. & *ſupplem. q.* 75. *art.* 1.

Puluis es. Videtur quòd corpus Chriſti in ſepulchro fuerit incineratum; ſicut enim mors eſt pœna peccati primi parentis, ita etiam & incineratio, vt patet in textu: ſed Chriſtus mortem ſuſtinuit, vt nos à morte liberaret; ergo etiam incinerari debuit corpus eius, vt nos ab incineratione liberaret.

2. Corpus Chriſti fuit eiuſdem naturæ cum corporibus noſtris: ſed corpora noſtra ſtatim poſt mortem reſolui incipiunt, & ad putredinem diſponuntur; quia exhalante calido naturali, ſuperuenit calor extraneus, qui putrefactionem cauſat, ergo videtur quòd ſimiliter in corpore Chriſti acciderit.

3. Chriſtus ſepeliri voluit; vt daret hominibus ſpem reſurgendi etiam de ſepulchris; ergo etiam incinerationem pati debuit, vt ſpem reſurgendi incineratis poſt incinerationem daret.

Sed contra eſt quod dicitur, *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Pſal 15. v. 10. Dicendum quòd non fuit conueniens corpus Chriſti putrefieri vel quocumque modo incinerari; quia putrefactio cuiuſcumque corporis prouenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non poteſt ampliùs corpus continere in vnum. Mors autem Chriſti non debuit eſſe ex naturæ infirmitate, ne crederetur non eſſe voluntaria: & ideo non ex morbo, ſed ex paſ-

Digitized by Google

ſione illata voluit mori, cui ſe obtulit ſponte.

Et ideo Chriſtus, ne mors eius naturæ infirmitati aſcriberetur; noluit corpus ſuum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque reſolui: ſed ad oſtenſionem virtutis diuinæ voluit corpus illud incorruptum permanere.

Ad 1. R. quòd Chriſtus, cùm non eſſet ſubiectus peccato, neque morti erat obnoxius, neque incinerationi: voluntariè tamen mortem ſuſtinuit propter noſtram ſalutem. Si autem corpus eius fuiſſet putrefactum vel reſolutum, magis hoc fuiſſet in detrimentum ſalutis humanæ; dum non crederetur in eo eſſe virtus diuina. Vnde ex perſona eius dicitur, *quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem?* Quaſi dicat, ſi corpus meum putreſcat, perdetur effuſi mei ſanguinis vtilitas.

Pſ. 29. v. 10.

Ad 2. R. quòd corpus Chriſti quantùm ad conditionem naturæ paſſibilis, putrefactibile fuit; licet non quantùm ad meritum putrefactionis, quod eſt peccatum. Sed virtus diuina corpus Chriſti à putrefactione præſeruauit, ſicut & reſſuſcitauit à morte.

Ad 3. R. Quòd Chriſtus de ſepulchro reſurrexit virtute diuinâ, quæ nullis terminis coarctatur. Et ideo hoc quod à ſepulchro ſurrexit, ſufficiens argumentum fuit quòd homines erant reſuſcitandi virtute diuinâ, non ſolùm de ſepulchris, ſed etiam de quibuſcumque cineribus. 3. *p. q.* 51. *art.* 3. *ſimile lib.* 3. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 21. *art.* 3.

Puluis es. Videtur quod neceſſitas moriendi ſit tantùm homini ex peccato; quia natura dat inſtrumentum proportionatum ſuo motori; ſi ergo motor humani corporis eſt immortalis, inſtrumentum eius naturaliter eſt immortale, neceſſitas igitur moriendi in corpore humano non eſt naturalis.

2. Omne quod ineſt ex iudicis ſententia culpam prohibentis, ineſt ex culpa: ſed mortalitas ineſt ex iudicis ſententia, vt patet in textu, ergo ineſt ex culpa.

Sed contra, omne compoſitum ex contrariis naturaliter eſt corruptibile; cùm contraria agant & patiantur adinuicem: ſed tale fuit humanum corpus ex ſua prima inſtitutione; ergo naturaliter eſt corruptibile.

2. Omne generabile naturaliter eſt corruptibile: ſed corpus humanum naturaliter eſt generabile; ergo corruptibile.

Dicendum quòd in ſtatu innocentiæ, quamuis corpus ratione contrarietatis principiorum, haberet aliquem ordinem ad corruptionem; tamen in anima erat virtus, nempe iuſtitia originalis, continendi corpus ſub ſe, quandiu ipſa contineretur ſub Deo: per peccatum verò illa ſublata eſt. Nunc igitur neceſſitas moriendi, partim eſt ex natura conditionis humani corporis, vt à cauſa diſponente; partim à peccato vt à cauſa remouente prohibens. Et hoc modo neceſſitas moriendi eſt pœna ex peccato contracta.

Moriẽdi neceſſitas ex duobus.

Ad 1. R. quòd non oportet inſtrumentum proportionatum eſſe motori in duratione, ſed in aptitudine ſuſcipiendi impreſſionem motoris, quandiu eſt inſtrumentum eius.

Ad 2. R. quòd non totaliter eſt à ſententia, ſed partim eſt à diſpoſi-

Digitized by Google

tione naturali corporis. *Lib. 3. ſent. ad Annibald. Diſt. 16. art. 1. ſimile. lib. 3. ſent. Diſt. 16. q. 1. art. 1.*

GENESIS Cap. 3. v. 21.

Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas & induit eos.

VEſtitus ad neceſſitatem hominis pertinet, ſicut & cibus: ergo ſicut cibus primis parentibus fuit attributus ante peccatum, ita etiam & veſtitus attribui debuit: inconuenienter ergo poſt peccatum dicitur eis Deus tunicas pelliceas feciſſe.

Dicendum quòd Deus fecit eis tunicas pelliceas in ſignum mortalitatis eorum.

Ad Argum. R. quòd veſtitus neceſſarius eſt homini ſecundùm ſtatum præſentis miſeriæ, propter duo. Primò quidem propter defectum ab exterioribus nocumentis, puta intemperati caloris & frigoris. Secundò ad tegumentum ignominiæ, ne turpitudo membrorum appareat, in quibus præcipuè manifeſtatur rebellio carnis ad ſpiritum. Hæc autem duo in primo ſtatu non erant; quia in ſtatu illo corpus hominis non poterat per aliquod extrinſecum lædi: nec etiam erat in ſtatu illo aliqua turpitudo in corpore hominis quæ ad confuſionem induceret; *erat enim nudus Adam & vxor eius & non erubeſcebant.* Gen. 2 v. 25.

Alia autem ratio eſt de cibo qui eſt neceſſarius ad fomentum caloris naturalis, & ad corporis augmentum. 2. 2. q. 164. *art.* 2.

GENESIS Cap. 3. v. 22.

Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.

INſultare miſero videtur miſericordiæ & clementiæ Dei repugnare; ergo inconuenienter ponitur Deum inſultaſſe primis parentibus per peccatum iam in miſeriam deductis.

R. quòd verba hæc Dei non tam ſunt primis parentibus inſultantis, quàm cæteros (ne ita ſuperbiant) deterrentis, propter quos iſta conſcripta ſunt; Quia ſcilicet non ſolùm Adam non fuit factus qualis fieri voluit, ſed nec illud quod factus fuerat, conſeruauit. 2. 2. *q.* 164. *art.* 2.

GENESIS. Cap. 3. v. 22.

Ne fortè mittat manuum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.

QVamuis homo poſt peccatum lignum vitæ ſumpſiſſet, mortem euadere non potuiſſet; potuiſſet tamen mortem differre, ita vt vita eius auxilio ligni vitæ prolongaretur: ſicut de Enoch & Elia creditur. Et hoc homini non expediebat, vt tandiu in hac miſera vita permaneret. *Lib. 2. ſent. Diſt. 29. art. 5. ſimile 2. 2. quæſt. 164. art. 2.*

Quamuis homo etiam ante peccatum lignum vitæ ſumpſiſſet, non tamen ſimpliciter immortalitatem cauſaſſet; quia virtus cuiuſcumque corporis eſt finita. Vnde ſemel ſumptum præſeruaſſet à corruptione vſque ad determinatum tempus: quo finito, vel homo tranſlatus

fuiſſet ad ſpiritualem vitam; vel indiguiſſet iterum ſumere de ligno vitæ. 1. p. q. 97. art. 4. ſimile Lib. 2. ſent. ad Annibald Diſt. 19. art. 4.

Idem locus explicatur ſupra. Gen. 2. v. 17.

GENESIS Cap. 3. v. 23.

Et emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis.

ILlud quod propter hominem factum eſt, in aliquo homini ſeruire debet: ſed paradiſus terreſtris propter hominem factus eſt; ergo inde expelli non debuit.

R. quòd paradiſus terreſtris quamuis non ſeruiat homini quaſi in vſum eius veniens, ſeruit tamen ſibi ad inſtructionem eius proficiens: ſicut homo ex hoc ipſo quod cognoſcit ſe tali loco per peccatum priuatum, ad peccatum vitandum incitatur, & ad miſeriam ſuam cognoſcendam. *Lib. 2. ſent. Diſt. 29. art. 5. & 2. 2. q. 164. art. 2.*

Et emiſit eum Dominus. Videtur quòd ſolemnis pœnitentia iterari poſſit; ſacramenta enim quæ nõ imprimunt characterem, cum ſua ſolemnitate iterantur: ſed pœnitentia non imprimit characterem; ergo.

2. Pœnitentia ſolemniſatur propter grauitatem & manifeſtationem peccati: ſed poſt peractam pœnitentiam contingit ſimilia peccata committere, vel etiam grauiora; ergo ſolemnis pœnitentia iterum debet adhiberi.

Dicendum quòd ſolemnis pœnitentia iterari non debet propter tria; primò ne ex iteratione vileſcat. Secundò propter ſignificationem, quia eſt figura expulſionis hominis de paradiſo, quæ eſt ſemel tantùm facta. Tertiò quia ſolemniſatio eſt quaſi quædam profeſſio perpetuò pœnitentiam conſeruandi: & ideo iteratio ſolemnitati reſiſtit. Si tamen poſtmodum peccauerit, non clauditur ei locus pœnitentiæ: ſed pœnitentia ſolemnis iterum ei iniungenda non eſt. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta. *Lib. 4. ſent Diſt. 14. q. 1. art. 5.*

Pœnitentia ſolemnis non iteranda.

Et emiſit eum Dominus. Peccati pœna eſt mors corporalis, & excluſio à vita gloriæ: nam Deus hominem de paradiſo poſt peccatum eiecit, cui ante peccatum mortem fuerat comminatus, ſi peccaret. 3. p. q. 52. art. 5.

GENESIS Cap. 3. v. 24.

Collocauit ante paradiſum Cherubin.

PAradiſus terreſtris de ſe locus inacceſſibilis eſt; ergo fruſtra apponuntur cuſtodiæ, ne homo ad illum accedere poſſit, ad quem etiam ſine illis peruenire non valeret.

R. quòd illa impedimenta, ratione quorum inacceſſibilis dicitur paradiſus terreſtris, fortè hic gladius flammeus vocatur; quia præcipuè locus ille inacceſſibilis videtur, propter intemperatum calorem in locis intermediis. Et ideo non ſequitur quòd huiuſmodi impedimenta ſuperflua ſint. *Lib. 2. ſent. Diſt. 29 art. 5.*

Collocauit ante paradiſum Cherubin. Per peccatum Adæ clauſa eſt Ianua paradiſi vt patet in textu: ſed Chriſtus pro peccato Adæ ſatisfecit; ergo ipſe apertionem ianuæ nobis meruit.

Dicendum quòd ſicut clauſio

Digitized by Google

ianuæ eſt obſtaculum prohibens ab ingreſſu domus: ita per ſimilitudinem dicitur ianua paradiſi clauſa, in quantùm eſt aliquod obſtaculum prohibens ab introitu paradiſi. Obſtaculum autem poteſt eſſe duplex: vnum ex parte perſonæ, quod eſt per peccatum actuale; aliud ex parte naturæ quod eſt per peccatum originale. Primum quidem obſtaculum non eſt commune omnibus, ſed tantùm peccatoribus: ſed ſecundùm obſtaculum eſt omnibus commune. Et hoc quidem obſtaculum auferri non potuit, niſi per eum cuius apertio in totam naturam potuit, ſcilicet Chriſtum: & ideo ipſe nobis quantùm ad hoc apertionem ianuæ meruit, quæ per peccatum primi hominis toti vitiatæ naturæ clauſa erat. *Lib. 3. ſent. Diſt. 18. q. 1. art. 6. ſimile 3. p. quæſt. 49. art. 5.*

Et flammeum gladium atque verſatilem. Paradiſus terreſtris præcipuè videtur inacceſſibilis propter vehementiam æſtus in locis intermediis ex propinquitate ſolis Et hoc ſignificatur per flammeum gladium, qui verſatilis dicitur propter propter proprietatem motus circularis huiuſmodi æſtum cauſantis; & quia motus corporalis creaturæ diſponitur miniſterio Angelorum. 2. 2. *q. 164. art. 2.*

GENESIS Cap. IV. *v. 3.*

Cain obtulit de fructibus terræ munera Domino.

VIdetur quòd cæremoniæ ligis fuerint ante legem; ſacrificia enim & holocauſta pertinent ad cæremonias veteris legis: ſed ſacrificia & holocauſta fuerunt ante legem, vt patet in textu.

2. Ad cæremonias ſacrorum pertinet conſtructio altaris & eius inunctio: ſed iſta fuerunt ante legem, legitur enim quod *Abraham ædificauit altare Domino.* Et de Iacob dicitur, quòd *tulit lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper*; ergo cæremoniæ legis fuerunt ante legem. *Gen. 13. v. 4.* *Gen. 28. v. 18.*

3. Inter ſacramenta legalia primum dicitur fuiſſe circumciſio: ſed circumciſio fuit ante legem. Similiter etiam ſacerdotium fuit ante legem, quòd *Melchiſedech erat Sacerdos Dei ſummi.* *Gen. 17. v. 10.* *Gen. 14. v. 18.*

4. Diſcretio mundorum animalium ab immundis, pertinet ad cæremonias obſeruantiarum: ſed talis diſtinctio fuit ante legem, dicitur enim *ex omnibus* mundis animalibus tolle ſeptena & ſeptena, de animantibus verò immundis duo & duo; ergo cæremoniæ legales fuerunt ante legem. *Gen. 7. v. 2.*

Sed contra eſt quod dicitur, *Hæc ſunt præcepta & cæremoniæ, quæ mandauit Dominus Deus noſter, vt docerem vos*: non autem indiguiſſent ſuper his doceri, ſi priùs prædictæ cæremoniæ fuiſſent; ergo cæremoniæ legis non fuerunt ante legem. *Deut. 6. v. 1.*

Dicendum quòd cæremoniæ legis ad duo ordinabantur, ſcilicet ad cultum Dei, & ad figurandum Chriſtum. Quicumque autem colit Deum, oportet quòd per aliqua determinata eum colat, quæ ad exteriorem cultum pertinent. Determinatio autem diuini cultus pertinet ad cæremonias: ſicut etiam determinatio eorum per quæ ordinamur

namur ad proximum, pertinet ad præcepta iudicialia.

Et ideo ſicut inter homines communiter erant aliqua iudicialia, non tamen ex auctoritate legis diuinæ inſtituta, ſed ratione hominum ordinata: ita etiam erant quædam cæremoniæ, non quidem ex auctoritate alicuius legis determinatæ; ſed ſolùm ſecundùm voluntatem & deuotionem hominum Deum colentium.

Sed quia etiam ante legem fuerunt quidam viri præcipui prophetico ſpiritu pollentes, credendum eſt quòd ex inſtinctu diuino, quaſi ex quadam priuata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum; qui & conueniens eſſet interiori cultui, & etiam congrueret ad ſignificandum Chriſti myſteria, quæ figurabantur etiam per alia eorum geſta. Fuerunt igitur ante legem quædam cæremoniæ, non tamen cæremoniæ legis; quia non erant per aliquam legiſlationem inſtitutæ.

Ad 1. R. quòd huiuſmodi oblatione & ſacrificia & holocauſta offerebant antiqui ante legem ex quadam deuotione propriæ voluntaris, ſecundùm quod eis videbatur conueniens vt in rebus quas à Deo acceperant, quas in reuerentiam diuinam offerrent, proteſtarentur ſe colere Deum qui eſt omnium principium & finis.

Ad 2. R. quòd etiam ſacra quædam inſtituerunt, quia videbatur eis conueniens vt in reuerentiam diuinam, eſſent aliqua loca ab aliis diſtincta diuino cultui mancipata.

Ad 3. R. quòd Sacramentum circumciſionis præcepto diuino fuit ſtatutum ante legem. Vnde non poteſt dici Sacramentum legis quaſi in lege inſtitutum; ſed ſolùm quaſi in lege obſeruatum. Sacerdotium etiam erat ante legem apud colentes Deum ſecundùm humanam determinationem, qui hanc dignitatem primogenitis attribuebant.

Ad 4. R. quòd diſtinctio mundorum animalium & immundorum non fuit ante legem quantùm ad eſum; cùm dictum ſit, *omne quod* *Gen. 9. v. 3.*
mouetur & viuit, erit vobis in cibum: ſed ſolùm quantum ad ſacrificiorũ oblationem; quia de quibuſdam determinatis animalibus ſacrificia offerebant. Si tamẽ quantùm ad eſum, erat aliqua animalium diſcretio, hoc non erat quia eſus illorum reputaretur illicitus, cùm nullâ lege eſſet prohibitus; ſed propter abominationem vel conſuetudinem: ſicut & nunc videmus quod aliqua cibaria ſunt in aliquibus terris abominabilia, quæ in aliis comeduntur. 1. 2. *q.* 103. *art.* 1.

Genesis. Cap. IV. v. 4.

Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.

Quaſi per prius acceptans offerentem, quàm ea quæ offerebantur. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 26. *q.* 1, *art.* 3.

Reſpexit Dominus ad Abel. Videtur quòd gratia non ſit in eſſentia animæ ſicut in ſubiecto; quæcumque enim perfectio eſt in aliqua potentia animæ, perficit ad actum illius potentiæ: ſed gratia non perficit ad eſſe naturale, quod eſt actus eſſentiæ animæ; anima enim per ſuam eſſentiam eſt forma corporis, ergo gratia non eſt in eſſentia ani-

Digitized by Google

mæ ſicut in ſubiecto.

2. Oppoſita nata ſunt fieri circa idem: ſed culpa quæ opponitur gratiæ, non eſt in eſſentia animæ ſicut in ſubiecto, ſed in potentia; ergo nec gratia.

3. Gratuita præſupponunt naturalia: ſed potentiæ naturaliter inhærent ſubiecto animæ; ergo gratia eſt in ſubſtantia animæ mediante potentiâ, & ſic immediatum ſubiectum gratiæ non eſt eſſentia animæ ſed potentia.

Sed contra, Gratia importat acceptionem à Deo: ſed primò acceptatur anima à Deo quàm eius opera, vt patet in textu; ergo gratia per prius eſt in ſubſtantia animæ, quàm in potentiis, quibus ad operationes ordinatur.

Gratia eſt in ſubſtātia animæ.

Dicendum quòd ſuppoſito, gratiam & virtutem per eſſentiam differre; oportet dicere quòd gratia non eſt in potentia animæ ſicut in ſubiecto, ſed in eſſentia: ſic enim perfectiones perfectibilibus proportionaliter reſpondebunt. Nam ſicut eſſentia animæ eſt principium eſſe naturalis, & ab ea fluunt potentiæ, quæ ſunt actuum naturalium principia; ita gratia quæ eſt in eſſentia animæ, eſt principium eſſe ſpiritualis, & ab ea fluunt virtutes in potentiis, quæ ſunt proxima principia actuum meritoriorum.

Ad 1. R. quòd licet gratia non ſit principium eſſe naturalis, eſt tamen principium eſſe ſpiritualis, per quod naturale perficitur.

Ad 2. R. quòd culpa quæ ex actu cauſatur, eſt ſicut in proximo ſubiecto in potentia animæ, quæ eſt proximum actus principium: culpa autem originalis quæ ex infectione carnis contrahitur, eſt ſicut in proximo ſubiecto in eſſentia animæ per quam anima corpori vnitur vt forma. Et ſimiliter habitus virtutum ex actibus acquiſitarum, vel ad actus proximè ordinatarum, ſubiecta ſunt potentiæ: ſed illius perfectionis quæ deſuper venit, & ad actum immediatè non ordinatur ſcilicet gratiæ, eſſentia animæ ſubiectum proprium debet eſſe.

Ad 3. R. quòd gratuita præſupponunt naturalia, ſi proportionaliter accipiantur, vt fiat comparatio actuum ad actuum principia, id eſt, virtutum ad potentias & principiorum eſſendi, ad primum eſſendi principium: & ita comparatur gratia ad eſſentiam animæ. *Lib. 2. ſent. ad Annibaldum Diſt. 26. art. 3. ſimile in quæſt. diſp. q. 27. de veritate art. 6. & 1. 2. q. 110. art. 4.*

GENESIS Cap. 4. v. 7.

Sub te erit appetitus illius & tu dominaberis illius.

HVmani actus à diuina prouidentia non gubernantur mediis corporibus cœleſtibus. Ad huius quæſtionis veritatem oportet ſcire, qui dicantur actus humani; dicuntur enim illi propriè actus humani, quorum ipſe homo eſt Dominus: eſt autem homo Dominus ſuorum actuum per voluntatem, ſeu per liberum arbitrium. Vnde circa actus voluntatis & liberi arbitrii iſta quæſtio verſatur: Actus enim aliqui ſunt in ſemine non ſubiacentes imperio voluntatis, ſicut actus nutritiuæ potentiæ; & huiuſmodi actus eodem modo ſubiacent virtutibus cœleſtibus, ſicut & alii corporales actus,

Digitized by Google

Secundùm ſententiam fidei ipſe Deus immediatè eſt finis humanæ vitæ; eius enim viſione perfruentes beatificantur. Et ideo ipſe ſolus imprimere poteſt in voluntatem noſtram. Oportet autem ordinem mobilium reſpondere ordini mouentium: in ordine autem ad finem, quem prouidentia reſpicit, primum in nobis inuenitur voluntas, ad quam primò pertinet ratio boni & finis: & omnibus quæ ſunt in nobis vtitur ſicut inſtrumentis ad conſecutionem finis: Quamuis in aliquo reſpectu intellectus voluntatem præcedat. Propinquius autem voluntati eſt intellectus, remotiora ſunt corporales vires. Et ideo ipſe Deus qui eſt ſimpliciter primus prouidens, imprimit ſolus in voluntatem noſtram: Angelus autem qui eum ſequitur in ordine cauſarum, imprimit in intellectum noſtrum ſecundùm quod per Angelos illuminamur, purgamur, & perficimur: ſed cœleſtia corpora quæ ſunt inferiora agentia, imprimere poſſunt in vires ſenſibiles, & alias organis affixas.

Secundùm verò quod motus vnius potentiæ animæ redundat in aliam, contingit quòd impreſſio corporis cœleſtis redundat in intellectum; quaſi per accidens & vlteriùs in voluntatem. Et ſimiliter impreſſio Angeli in intellectum, redundat in voluntatem per accidens. Sed tamen quantùm ad hæc diuerſa eſt diſpoſitio intellectus, & voluntatis ad vires ſenſitiuas: intellectus enim naturaliter mouetur à ſenſitiua apprehenſiua motiua, per modum quo obiectum mouet potentiam; quia phantaſma ſe habet ad intellectum, ſicut color ad viſum, & ideo perturbatâ vi ſenſitiuâ interiori, de neceſſitate perturbatur intellectus: ſicut videmus quòd læſo organo phantaſiæ, de neceſſitate impeditur actio intellectus. Et ſecundùm hunc modum redundare poteſt in intellectum actio, vel impreſſio corporis cœleſtis; quaſi per viam neceſſitatis, per accidens tamen, ſicut in corpore per ſe. Et dico neceſſariò, niſi ſit contraria diſpoſitio ex parte mobilis: ſicut appetitus ſenſitiuus non eſt naturaliter motiuus voluntatis, ſed è conuerſo; quia appetitus ſuperior mouet inferiorem appetitum. Et quantumcumque appetitus inferior perturbetur per aliquam paſſionem iræ, vel concupiſcentiæ; non oportet quòd voluntas perturbetur, imò habet potentiam repellendi huiuſmodi perturbationem, vt dicitur in textu, & ideo ex corporibus cœleſtibus non inducitur aliqua neceſſitas, nec ex parte recipientium, nec ex parte agentium, in actibus humanis: ſed inclinatio ſola quam etiam voluntas repellere poteſt per virtutem acquiſitam, vel infuſam. *In quæſt. diſp. q.* 5. *de verit. art.* 10.

Sub te erit appetitus. Videtur quòd aliqua creatura poſſit immutare voluntatem, vel imprimere in ipſam; quia ipſa voluntas creatura quædam eſt: ſed voluntas actum ſuum immutat quo vult; ergo videtur quòd aliqua creatura immutet voluntatem & cogat ipſam.

2. Difficilius eſt immutare totum quàm partem; ſed corpora cœleſtia immutant totam multitudinem ad aliquid volendum; ergo multò fortiùs videtur quòd poſſunt cogere voluntatem alicuius vnius.

3. Quicumque vincitur ab aliquo, cogitur ab illo: ſed incontinentes vincuntur à paſſionibus, ergo paſſiones immutant & cogunt voluntatem incontinentis.

4. Superiora tam in ſpiritibus quàm in corporibus mouent inferiora naturali quodam ordine: ſed Angelorum beatorum ſicut intellectus eſt ſuperior & perfectior noſtro intellectu, ita & voluntas eorum noſtrâ voluntate; ergo ſicut per intellectum ſuum poſſunt imprimere in intellectum noſtrum eum illuminando, ita videtur quòd per voluntatem ſuam poſſunt imprimere in voluntatem noſtram aliquando eam immutando.

5. Magis natum eſt aliquid immutari à ſuperiori natura quàm ab inferiori: ſed voluntate noſtrâ ſicut eſt inferior appetitus ſenſibilis, ita eſt ſuperior voluntas angelica; ergo cùm appetitus ſenſibilis immutet interdum voluntatem; multò fortiùs voluntas angelica poterit voluntatem noſtram immutare.

Luca 14. v. 23. 6. Dicit paterfamilias ſeruo ſuo, *Compelle intrare*: intratur autem ad illam cœnam per voluntatem; ergo per Angelum qui eſt miniſter Dei voluntas noſtra poteſt ad aliquid cogi.

Creatura non poteſt immutare voluntatẽ. Sed contra, meritum & demeritum in voluntate quodammodo conſiſtit; ſi ergo aliqua creatura poſſet immutare voluntatem, poſſet aliquis iuſtificari, vel peccator effici per aliquam creaturam, quod falſum eſt; quia nullus fit peccator niſi per ſeipſum; nec aliquis fit iuſtus niſi Deo operante & ipſo cooperante.

Dicendum quòd voluntas poteſt intelligi immutari ab aliquo dupliciter: vno modo ſicut ab obiecto ſuo; ſicut voluntas immutatur ab appetibili; & ſic non quærimus hic de immutāre voluntatem; nam aliquod bonum de neceſſitate mouet voluntatem per modum obiecti, quamuis voluntas non cogatur. Alio verò modo poteſt intelligi voluntas immutari ab aliquo per modum cauſæ efficientis. Et ſic dicimus quòd non ſolùm nulla creatura poteſt cogere voluntatem agendo in ipſam; quia hoc nec Deus poterat. Sed nec etiam poteſt directè agere in voluntatem, vt eam immutet neceſſariò, vel qualitercumque inclinet, quod Deus poteſt. Sed indirectè poteſt aliqualiter inclinare voluntatem aliqua creatura, non tamen neceſſariò immutare.

Cuius ratio eſt quia cùm actus voluntatis ſit quaſi medius inter potentiam & obiectum, immutatio actus voluntatis poteſt conſiderari vel ex parte ipſius voluntatis, vel ex parte obiecti. Ex parte quidem voluntatis mutare actum voluntatis non poteſt niſi quod operatur intra voluntatem; & hoc eſt ipſa voluntas, & id, quod eſt cauſa eſſe voluntatis; quòd ſecundùm fidem, ſolus Deus eſt. Vnde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis quam ei dedit transferre de vno in aliud ſecundùm quod vult.

Sed ſi conſideretur actus voluntatis ex parte obiecti, ſic inuenitur voluntatis duplex obiectum. Vnum, ad quod de neceſſitate naturalis inclinatio determinatur: & hoc quidem obiectum eſt voluntati inditum & propoſitum à Creatore, qui ei naturalem inclinationem dedit

in illud. Vnde nullus poteſt neceſſariò per tale obiectum immutare voluntatem niſi ſolus Deus.

Aliud verò eſt obiectum voluntatis, quodquidem natum eſt inclinare voluntatem, in quantum eſt in eo aliqua ſimilitudo vel ordo reſpectu vltimi finis naturaliter deſiderati: non tamen ex hoc obiecto voluntas de neceſſitate immutatur; quia non in eo ſingulariter inuenitur ordo ad vltimum finem naturaliter deſideratum.

Et mediante hoc obiecto poteſt aliqua creatura inclinare aliquatenus voluntatem, non tamen neceſſariò immutare: ſicut patet cùm aliquis perſuadet alicui aliquid faciendum, proponendo ei eius vtilitatem, & honeſtatem: tamen in poteſtate voluntatis eſt vt illud acceptet, vel non acceptet, eo quòd non eſt naturaliter determinata ad id.

Sic igitur patet quòd nulla creatura poteſt directè immutare voluntatem, poteſt autem extrinſecus aliquid proponendo voluntati; eam aliqualiter inducere, non tamen immutare.

Ad 1. R. quòd voluntas poteſt ſeipſam immutare reſpectu aliquorum directè, cùm ſit domina ſuorum actuum. Et cùm dicitur quòd non immutatur directè à creatura, intelligitur à creatura alia. Non tamen ipſa poteſt ſe cogere, quia in hoc importatur contradictio, ſcilicet quòd aliquid ſit acceptum à ſeipſo quia violentum eſt, in quo nihil confert vim patiens, confert autem vim inferens. Et ſic voluntas non poteſt ſe cogere, quia ſic ſeipſâ in illa vi aliquid conferret inquantum cogeret ſe, & nihil conferret inquantum cogeretur; quod eſt impoſſibile.

Ad 2. R. quòd corpora cœleſtia non poſſunt de neceſſitate immutare voluntatem nec vnius hominis, nec multitudinis: ſed poſſunt immutare ipſa corpora. Ex ipſo autem corpore aliquo modo voluntas inclinatur, licet non neceſſariò; quia reſiſtere poteſt: ſicut cholerici ex naturali complexione inclinantur ad iram: tamen aliquis cholericus poteſt reſiſtere per voluntatem iſti inclinationi. Non autem reſiſtunt niſi ſapientes corporalibus inclinationibus, qui ſunt pauci reſpectu ſtultorum. Et ideo dicitur quòd corpora cœleſtia immutant multitudinem, inquantum multitudo ſequitur inclinationes corporales; non autem mutant hunc vel illum, qui per prudentiam reſiſtunt inclinationi prædictæ.

Ad 3 R. quòd incontinens non dicitur vinci à paſſionibus quaſi ipſæ paſſiones cogant, vel immutent neceſſariò voluntatem; alioquin incontinens non eſſet puniendus, quia pœna non debetur inuoluntario: incontinens autem non dicitur inuoluntariè operari. Sed dicitur incontinens vinci à paſſionibus, inquantum eorum impulſui voluntariè cedit.

Ad 4. R. quòd Angeli non imprimunt intellectui, quaſi interiùs aliquid in intellectu agentes; ſed ſolùm ex parte obiecti, inquantum aliquid intelligibile proponunt, quo intellectus noſter confortatur, & conuicitur ad ſenſum: ſed obiectum voluntatis per Angelum propoſitum non de neceſſitate immutat voluntatem, vt dictum eſt, & ideo non eſt ſimile.

Ad 5. R. quòd illud quod eſt inferius voluntate, vt corpus vel appetitus ſenſibilis, non immutat voluntatem, quaſi directè in voluntatem agendo; ſed ſolùm ex parte obiecti. Obiectum enim voluntatis eſt bonum apprehenſum: ſed bonum apprehenſum à ratione vniuerſali non mouet, niſi mediante apprehenſione particulari, eo quòd actus ſunt in particularibus. Ex ipſa autem paſſione appetitus ſenſitiui cuiuſdam, poteſt eſſe interdum complexio corporis, vel quæcumque impreſſio corporalis; quia ex hoc quod appetitus ille vtitur organo, impedit & interdum totaliter ligatur ipſa particularis apprehenſio; vel id quod ratio ſuperior dictat in vniuerſali, vt non applicetur actu ad hoc particulare. Et ſic voluntas in appetendo mouetur ad illud bonum quod ſibi nuntiat apprehenſio particularis, prætermiſſo illo bono quod nuntiat ratio vniuerſalis. Et per hunc modum huiuſmodi paſſiones voluntatem inclinant, non tamen de neceſſitate immutant; quia in poteſtate voluntatis eſt huiuſmodi comprimere, vt vſus rationis non impediatur, ſecundùm illud, *ſubter te erit appetitus illius*, ſcilicet peccati.

Ad 6. R. quod compulſio illa non eſt coactionis, ſed efficacis perſuaſionis, vel per aſpera; vel per lenia. *In quæſt. Diſp. q. 22. de Verit. art. 9.*

Sub te erit appetitus eius. Videtur quòd voluntas ex neceſſitate moueatur à paſſione appetitus inferioris; Dicitur enim, *non quod volo bonum, hoc ago* ſed quod odi malum, illud facio: Quod dicitur

Rom. 7. v. 15.

propter concupiſcentiam, quæ eſt paſſio quædam; ergo voluntas ex neceſſitate mouetur à paſſione.

2. Non eſt in poteſtate voluntatis quòd ſtatim paſſionem abiiciat; ergo non eſt in poteſtate voluntatis, quod non velit illud ad quod paſſio ſe inclinat.

3. Cauſa vniuerſalis non applicatur ad effectum particularem niſi mediante cauſâ particulari: Vnde ratio vniuerſalis non mouet niſi mediante æſtimatione particulari: ſed ſicut ſe habet ratio vniuerſalis ad æſtimationem particularem, ita ſe habet voluntas ad appetitum ſenſitiuum; ergo ad aliquod particulare volendum non mouetur voluntas, niſi mediante appetitu ſenſitiuo; ergo ſi appetitus ſenſitiuus ſit per aliquam paſſionem ad aliquid diſpoſitus, voluntas non poterit in contrarium moueri.

Dicendum quòd paſſio appetitus ſenſitiui mouet voluntatem ex ea parte qua voluntas mouetur ab obiecto, inquantum ſcilicet homo aliqualiter diſpoſitus per paſſionem, iudicat aliquid eſſe conueniens & bonum; quod extra paſſionem exiſtens non iudicaret. Huiuſmodi autem immutatio hominis per paſſionem duobus modis contingit. Vno modo ſic, quòd totaliter ratio ligatur, ita quòd homo vſum rationis non habet, ſicut contingit in his qui propter vehementem iram vel concupiſcencentiam furioſi, vel amentes fiunt, ſicut & propter aliquam aliam perturbationem corporalem: Huiuſmodi enim paſſiones non ſine corporali tranſmutatione accidunt. Et de talibus eadem eſt ratio ſicut & de animalibus brutis, quæ ex ne-

Quomodo paſſio mouet voluntatem.

Digitized by Google

ceſſitate ſequuntur impetum paſſionis: in his enim non eſt aliquis rationis motus, & per conſequens nec voluntatis.

Aliquando autem ratio non totaliter abſorbetur à paſſione, ſed remanet, quantùm ad aliquid, iudicium rationis liberum: & ſecundùm hoc remanet aliquid de motu voluntatis. In quantum ergo ratio manet libera, & paſſioni non ſubiecta, in tantùm voluntatis motus, qui manet; non ex neceſſitate tendit ad hoc ad quod paſſio inclinat. Et ſic, aut motus voluntaris non eſt in homine, ſed ſola paſſio dominatur: aut ſi motus voluntatis ſit, non ex neceſſitate ſequitur paſſionem.

Ad 1. R. quòd etſi voluntas non poſſit facere quin motus concupiſcentiæ inſurgat, de quo Apoſtolus dicit, *quod odi malum illud facio*, id eſt, concupiſco: tamen poteſt voluntas non velle concupiſcere, aut concupiſcentiæ non conſentire: & ſic non ex neceſſitate ſequitur concupiſcentiæ motum.

Ad 2. R. quòd cùm in homine duæ ſint naturæ, intellectualis ſcilicet & ſenſitiua; quandoque quidem eſt homo aliqualis vniformiter ſecundùm totam animam; quia ſcilicet vel pars ſenſitiua totaliter ſubiicitur rationi (ſicut contingit in virtuoſis) vel è conuerſo ratio totaliter abſorbetur à paſſione (ſicut accidit in amentibus) ſed aliquando etſi ratio obnubiletur à paſſione, remanet tamen aliquid rationis liberum: & ſecundùm hoc poteſt aliquis vel totaliter paſſionem repellere, vel ſaltem ſe tenere ne paſſionem ſequatur: in tali enim diſpoſitione quia homo ſecundùm diuerſas partes animæ diuerſimodè diſponitur, aliud ei videtur ſecundùm rationem, & aliud ſecundùm paſſionem.

Ad 3. R. quòd voluntas non ſolùm mouetur à bono vniuerſali apprehenſo per rationem, ſed etiam à bono apprehenſo per ſenſum; & ideo poteſt moueri ad aliquod particulare bonum abſque paſſione appetitus ſenſitiui: multa enim volumus & operamur abſque paſſione per ſolam appetitus electionem; vt patet in his in quibus ratio renititur paſſioni. 1.2. *q.* 10. *art.* 3.

Sub te erit appetitus. Videtur quòd peccatum quod eſt ex paſſione, non debeat dici ex infirmitate; paſſio enim eſt quidam vehemens motus appetitus ſenſitiui: vehementia enim motus magis atteſtatur fortitudini quàm infirmitati; ergo peccatum quod eſt ex paſſione non debet dici ex infirmitate.

2. Infirmitas hominis maximè attenditur ſecundùm illud quod eſt in eo fragilius: hoc autem eſt caro. Vnde dicitur, *recordatus eſt quia caro ſunt*; ergo magis debet dici peccatum ex infirmitate, quod eſt ex aliquo corporis defectu, quàm quod eſt ex animæ paſſione. *Pſ.* 77. *v.* 39.

3. Ad ea non videtur homo eſſe infirmus, quæ eius voluntati ſubduntur, vt patet in textu; ergo peccatum quod eſt ex paſſione, non eſt ex infirmitate.

Dicendum quòd cauſa peccati propria eſt ex parte animæ, in qua principaliter eſt peccatum. Poteſt autem dici infirmitas in anima ad ſimilitudinem infirmitatis corporis: Dicitur autem corpus hominis eſſe infirmum quando debilitatur vel impeditur in executione pro-

Digitized by Google

priæ operationis propter aliquam inordinationem partium corporis, ita ſcilicet quòd humores & membra hominis non ſubdantur virtuti regitiuæ & motiuæ corporis. Vnde & membrum dicitur eſſe infirmum quando non poteſt perficere operationem membri ſani, ſicut oculus quando non poteſt clarè videre.

Peccatum ex paſſione dicitur ex infirmitate.

Vnde & infirmitas animæ dicitur quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partium ipſius. Sicut autem partes corporis dicuntur eſſe inordinatæ, quando non ſequuntur ordinem naturæ; ita & partes animæ dicuntur eſſe inordinatæ, quando non ſubduntur ordini rationis: Ratio enim eſt vis regitiua partium animæ. Sic ergo quando extra ordinem rationis vis concupiſcibilis aut iraſcibilis aliquâ paſſione afficitur, & per hoc impedimentum præſtatur modo prædicto debitæ actioni hominis, dicitur peccatum eſſe ex infirmitate.

Ad 1. R. quòd ſicut quantò fuerit motus fortior in corpore præter ordinem naturæ, tantò eſt maior infirmitas; ita quantò fuerit motus fortior paſſionis præter ordinem rationis, tantò eſt maior infirmitas animæ.

Ad 2. R. quòd peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, qui non impeditur per corporis infirmitatem; poteſt enim qui eſt corpore infirmus, promptam habere voluntatem ad aliquid faciendum; impeditur autem per paſſionem. Vnde cùm dicitur peccatum eſſe ex infirmitate, magis eſt referendum ad infirmitatem animæ, quàm ad infirmitatem corporis. Dicitur tamen etiam ipſa infirmitas animæ infirmitas carnis, inquantum ex conditione carnis paſſiones animæ inſurgunt in nobis; eo quod appetitus ſenſitiuus eſt virtus vtens organo corporali.

Ad 3. R. quòd in poteſtate quidem voluntatis eſt aſſentire, vel non aſſentire his in quæ paſſio inclinat; & pro tanto dicitur noſter appetitus ſub nobis eſſe: ſed tamen iſte aſſenſus vel diſſenſus voluntatis impeditur per paſſionem modo prædicto. 12. *q.* 77. *art.* 3.

GENESIS Cap. 4. v. 10.

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

VIdetur quòd iudex poſſit aliquem iudicare, etiamſi non ſit aliquis accuſator; humana enim iuſtitia deriuatur à iuſtitia diuina: ſed Deus peccatores iudicat etiamſi nullus ſit accuſator; ergo videtur quòd homo poſſit in iudicio aliquem condemnare, etiamſi non adſit accuſator.

2. Accuſator requiritur in iudicio ad hoc quòd deferat crimen ad iudicem: ſed quandoque poteſt crimen ad iudicem deuenire alio modo quàm per accuſationem; ſicut per denunciationem, vel per infamiam, vel etiam ſi ipſe iudex videat; ergo iudex poteſt aliquem condemnare abſque accuſatore.

3. Facta ſanctorum in ſcripturis narrantur quaſi quædam exemplaria humanæ vitæ: ſed Daniel ſimul fuit accuſator & iudex contra iniquos ſenes; ergo non eſt contra iuſtitiam ſi aliquis aliquem condemnet tanquam iudex, & ipſemet ſit accuſator. *Dan.* 13. *v.* 45

Dicendum

Dicendum quòd iudex eſt interpres iuſtitiæ, vnde homines ad iudicem confugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam: iuſtitia autem non eſt ad ſeipſum, ſed ad alterum, & ideo oportet quòd iudex inter aliquos duos diiudicet. Quodquidem fit cùm vnus eſt actor & alius reus: & ideo in criminibus non poteſt aliquem iudicio condemnare iudex, niſi habeat accuſatorem ſecundùm illud, *non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obijciuntur.*

Quomodo iudex debet iudicare.

Act. 25.

Ad 1. R. quòd Deus in ſuo iudicio vtitur conſcientiâ peccantis quaſi accuſatore, ſecundùm illud, inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium. Vel etiam euidentiâ facti, quantùm ad ipſum, vt patet in textu.

Rom. 2.

Ad 2. R. quòd publica infamia habet locum accuſatoris In denuntiatione verò nō intenditur punitio peccantis, ſed emendatio: & ideo nihil agitur contra eum, cuius peccatum denuntiatur, ſed pro eo. Et ideo non eſt ibi neceſſarius accuſator. Ex eo autem quòd ipſe iudex videt, non poteſt procedere ad ſententiam ferendam, niſi ſecundùm ordinem publici iudicii, quòd tenet locum accuſatoris.

Ad 3. R. quòd Deus in ſuo iudicio procedit ex propria notitia veritatis, non autem homo. Et ideo homo non poteſt ſimul eſſe accuſator, & teſtis, & iudex, ſicut Deus. Daniel autem accuſator fuit ſimul & iudex, quaſi diuini iudicii executor, cuius inſtinctu mouebatur.

22. *quæſt.* 67. *art.* 3.

Vox ſanguinis clamat. Sanguis Abel clamauit de terra, non voce, ſed ratione. 22. *q.* 83 *art.* 8.

GENESIS Cap. 4. v. 13.

Maior eſt iniquitas mea, &c.

Videtur quòd pœna plus de ratione mali habeat quàm culpa; ſicut enim ſe habet meritum ad præmium, ita ſe habet culpa ad pœnam: ſed præmium eſt maius bonum quàm meritum; ergo pœna eſt magis malum quàm culpa.

2. Illud eſt magis malum quod opponitur magis bono: ſed pœna opponitur bono agentis, culpa autem bono actionis; cùm ergo melius ſit agens quàm actio videtur quòd peius ſit pœna quàm culpa.

3. Separatio à ſummo bono eſt pœna; ergo pœna eſt maius malum quàm culpa.

4. Finis eſt magis bonum quàm ordo ad finem: ſed ipſa priuatio finis eſt pœna, quæ dicitur carentia viſionis diuinæ, malum autem culpæ eſt per priuationem ordinis ad finem; ergo maius malum eſt pœna quàm culpa.

5. Illud quod præeligitur à viro iuſto, præſumitur eſſe minus malum Sed Loth cùm eſſet iuſtus præelegit culpam pœnæ, offerens ſcilicet filias ſuas libidini Sodomitarum, quod erat culpa; ne pateretur iniuriam in domo ſua, dum hoſpitibus ſuis violentia inferretur, quod eſt pœna; ergo pœna eſt magis malum quàm culpa.

Gen. 19. v. 8.

6. Sicut in bonis finis eſt melior his quæ ſunt ad finem, ita in malis eſt peior: ſed pœna eſt finis culpæ; ergo pœna eſt magis malum quàm culpa.

Bibliothecæ S. M.æ Transpontinæ de Vrbe

Digitized by Google

7. A qualibet culpa poteſt homo liberari, vnde reprehenditur Cain in textu: ſed aliqua pœna eſt à qua non poteſt homo liberari, ſcilicet pœna inferni, ergo pœna eſt magis malum quàm culpa.

8. Fomes eſt ex quo omnia peccata oriuntur, & ſic eſt prius quàm aliquod peccatum: ſed fomes eſt quædam pœna; ergo pœna eſt magis malum quàm culpa.

Sed contra malum culpæ opponitur bono honeſto; malum verò pœnæ bono delectabili: ſed bonum honeſtum eſt melius quàm bonum delectabile; ergo malum culpæ eſt peius quàm malum pœnæ.

Dicendum quòd ex malo culpæ dicitur malus ille cui ineſt, non autem ex malo pœnæ inquantum huiuſmodi: vnde conſequens eſt quod malum culpæ plus habeat de ratione mali, quàm malum pœnæ.

2. Cùm Deus ſit ipſa eſſentia bonitatis, quantò aliquid magis eſt alienum à Deo, tantò habet magis rationem mali: magis autem alienum eſt à Deo culpa quàm pœna: nam Deus eſt actor pœnæ, non autem actor culpæ: ex hoc ergo apparet quòd culpa eſt magis malum quàm pœna.

3. Quia malum culpæ conſiſtit in operari, malum autem pœnæ in hoc quod eſt pati: quod autem habet operationem malam, oſtenditur iam eſſe malum; quod autem patitur aliquid mali, non per hoc oſtenditur malum eſſe.

Culpa magis habet de ratione mali quàm pœna.

Ad 1. R. quòd ſi comparetur præmium ad meritum & pœna ad culpam quantùm ad terminationem, ſic inuenitur ſimilis comparatio vtrobique; quia ſicut meritum terminatur ad præmium, ita culpa terminatur ad pœnam. Sed ſi comparentur quantùm ad intentionem, non eſt ſimilis comparatio vtrobique, ſed magis è conuerſo. Nam ſicut aliquis operatur meritum propter præmium acquirendum, ita aliquis infert pœnam propter culpam vitandam; vnde ſicut præmium eſt melius merito, ita culpa eſt peior quàm pœna.

Ad 2. R. quòd bonum agentis eſt non ſolùm perfectio prima, cuius priuatio eſt pœna: ſed etiam perfectio ſecunda quæ operatio eſt, cui opponitur culpa, & melior eſt ipſa perfectio ſecunda quàm prima. Et ideo culpa quæ opponitur perfectioni ſecundæ, habet plus de ratione mali quàm pœna, quæ opponitur perfectioni primæ.

Ad 3. R. quòd culpa ſeparat à Deo ſeparatione, quæ opponitur vnioni charitatis; ſecundùm quam quis vult bonum ipſius Dei ſecundùm quod in ſe eſt: pœna autem ſeparat à Deo ſeparatione, quæ opponitur fruitioni, qua homo fruitur bono diuino. Et ſic ſeparatio culpæ eſt peior quàm ſeparatio pœnæ.

Ad 4. R. quòd priuatio ordinis ad finem, poteſt accipi dupliciter, vno modo in ipſo homine: & ſic ordinis priuatio ad finem eſt pœna, ſicut & priuatio finis: Alio modo in actione, & ſic priuatio ordinis ad finem eſt culpa. Ex hoc enim homo culpabilis eſt quod agit actionem non ordinatam ad finem debitum. Vnde non eſt comparatio mali culpæ ad malum pœnæ, ſicut finis & ordinis ad finem; quia vtrumque aliquo modo priuat & finem, & ordinem ad finem.

Nota quòd culpa quamuis ſit per

Digitized by Google

accidens cauſa pœnæ ex parte patientis pœnam, tamen ex parte inferentis eſt cauſa per ſe: hoc enim intendit puniens vt propter culpam pœnam inferat.

Nota ſecundò quòd non ideo culpa eſt malum quia pro culpa infertur pœna, ſed potiùs è conuerſio; ideo infertur malum pœnæ ad coërcendam & ordinandam malitiam culpæ. Et ſic patet quòd malum non dicitur de culpa ſolùm cauſaliter, ſed etiam formaliter, & principaliùs quàm de pœna.

Nota 3. Quod non eſt iudicandum de rebus ſecundùm exiſtimationem malorum, ſed ſecundùm exiſtimationem bonorum: ſicut non eſt iudicandum de ſaporibus ſecundùm exiſtimationem ægri, ſed ſecundùm exiſtimationem ſani. Et ideo non eſt iudicanda pœna peior, quia mali magis eam fugiunt; ſed potiùs iudicanda eſt culpa deterior, quia boni magis fugiunt ipſam.

Ad 5. R. quòd Loth non prælegit culpam pœnæ, ſed oſtendit ordinem eſſe ſeruandum in fuga culparum; quia tolerabilius eſt ſi quis committit minorem culpam quàm maiorem.

Nota quòd licet culpa ſit temporalis quantùm ad actum, eſt tamen æterna (niſi per pœnitentiam deleatur) quantùm ad reatum & maculam: & æternitas culpæ eſt cauſa æternitatis pœnæ.

Ad 6. R. quòd pœna eſt finis culpæ quantùm ad terminationem, ſed non quantùm ad intentionem.

Ad 7. R. quòd ideo à pœna inferni non poteſt aliquis redire ad vitam, quia culpa eorum qui ſunt in inferno, expiari non poteſt. Vnde per hoc non oſtenditur quòd pœna ſit magis malum quàm culpa.

Ad 8. R. quòd fomes eſt principium culparum in potentia: ſed malum in actu eſt peius quàm malum in potentia. *In quæſt. Diſput. quæſt. 1. de malo art. 5.*

Maior eſt iniquitas. Videtur quòd deſperatio ſine infidelitate eſſe non poſſit, certitudo enim ſpei à fide deriuatur: ſed manente causâ non tollitur effectus, ergo non poteſt aliquis certitudinem ſpei amittere deſperando, niſi fide ſublatâ.

2. Præferre culpam propriam bonitati vel miſericordiæ diuinæ, eſt negare infinitatem diuinæ miſericordiæ vel bonitatis, quod eſt infidelitas: ſed qui deſperat, culpam ſuam præfert miſericordiæ vel bonitati diuinæ, vt patet in textu: ergo quicumque deſperat, eſt infidelis.

Sed contra eſt, quòd remoto poſteriori non remouetur priùs: ſed ſpes eſt poſterior fide; ergo remotâ ſpe poteſt remanere fides; non ergo quicumque deſperat eſt infidelis.

Dicendum quòd infidelitas pertinet ad intellectum, deſperatio autem ad vim appetitiuam. Intellectus autem vniuerſalium eſt: ſed vis appetitiua mouetur ad particularia. Eſt enim motus appetitiuus ab anima ad res, quæ in ſeipſis particulares ſunt. Contingit autem aliquem habentem rectam exiſtimationem in vniuerſali, circa motum appetitiuum non rectè ſe habere, corruptâ eius æſtimatione particulari; quia neceſſe eſt quòd ab æſtimatione in vniuerſali, ad appetitum rei particularis perue-

Deſperatio ſine infidelitate eſſe poteſt.

niatur mediante æſtimatione particulari. Sicut ex propoſitione vniuerſali non infertur concluſio particularis, niſi aſſumendo particularem.

Et inde eſt quòd aliquis habens rectam fidem in vniuerſali, deficit in motu appetitiuo circa particulare; corruptâ particulari eius æſtimatione per habitum, vel per paſſionem. Sicut ille qui fornicatur, eligendo fornicationem vt bonum ſibi vt nunc, habet corruptam æſtimationem in particulari; cùm tamen retineat vniuerſalem æſtimationem veram ſecundùm fidem, ſcilicet quòd fornicatio ſit mortale peccatum. Et ſimiliter aliquis retinendo in vniuerſali veram æſtimationem fidei, quòd ſcilicet eſt remiſſio peccatorũ in Eccleſia; poteſt tamen pati motum deſperationis, quòd ſcilicet ſibi, in tali ſtatu exiſtenti, non ſit ſperandum de venia, corruptâ æſtimatione eius circa particulare. Et per hunc modum poteſt eſſe deſperatio ſine infidelitate, ſicut & alia peccata mortalia.

Ad 1. R. quòd effectus tollitur non ſolùm ſublatâ cauſâ primâ, ſed etiam ſublatâ cauſâ ſecundâ. Vnde motus ſpei auferri poteſt, non ſolùm ſublatâ vniuerſali exiſtimatione fidei, quæ eſt ſicut cauſa prima certitudinis ſpei; ſed etiam ſublatâ exiſtimatione particulari, quæ eſt ſicut cauſa ſecunda.

Ad 2. R. quòd ſi quis in vniuerſali exiſtimaret miſericordiam Dei non eſſe infinitam, eſſet infidelis. Hoc autem non exiſtimat deſperans; ſed quod ſibi in ſtatu illo, propter aliquam particularem diſpoſitionem, non ſit de diuina miſericordia ſperandum. 22. *q.* 20. *art.* 2.

Maior eſt iniquitas. Pœnitentia debet iterari, quia miſericordia Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet abſque vllo termino. 3. *p. q.* 84. *art.* 10.

Genesis Cap. 4. *v.* 23.

Occidi virum.

Videtur quòd aliquis caſualiter occidens hominem, incurrat homicidii reatum, legitur enim quòd Lamech credens interficere beſtiam, interfecit hominem, & reputatum eſt ei ad homicidium; ergo reatum homicidii incurrit, qui caſualiter hominem occidit.

2. Dicitur, *ſi quis percuſſerit mulierem prægnantem, & aborſum fecerit; ſi mors eius fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima:* ſed hoc poteſt fieri ſine intentione occiſionis; ergo. *Exodi 21. v. 22.*

Dicendum quòd caſus eſt cauſa agens præter intentionem: & ideo quæ caſualia ſunt ſimpliciter loquendo, non ſunt intenta neque voluntaria. Et quia omne peccatum eſt voluntarium, conſequens eſt quòd caſualia in quantum huiuſmodi non ſunt peccata.

Contingit tamen, id quod non eſt actu & per ſe volitum vel intentum, eſſe per accidens volitum vel intentum; ſecundùm quod cauſa per accidens dicitur remouens, prohibens. Vnde illi qui non remouet ea ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat remouere, erit quodammodo homicidium voluntarium. *Homicidium quomodo voluntarium.*

Hoc autem contingit dupliciter: vno modo dans operam rebus il-

Digitized by Google

licitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo quando non adhibet debitam ſolicitudinem. Et ideo ſecundùm iura, ſi aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur; non incurrit homicidii reatum: ſi verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam; non euadit homicidii reatum, ſi ex eius opere mors hominis ſequatur.

Ad 1. R. quòd Lamech non adhibuit ſufficientem diligentiam ad homicidium vitandum, & ideo reatum homicidii non euaſit.

Ad 2. R. quòd ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ: & ideo ſi ſequatur mors vel mulieris, vel puerperii animati; non effugiet homicidii crimen. 22. q. 64. *art.* 8.

GENESIS. Cap. V. *v.* 5.

Factum eſt omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus eſt.

SI mors eſſet pœna peccati, ſtatim fuiſſet ad peccatum conſecuta: ſed hoc non eſt verum, nam Adam poſt peccatum diu vixit. R. quòd quamuis annos multos primi parentes poſtea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in ſenium veteraſcebant, acceperunt. 22. *q.* 164. *art.* 1. *in fine.*

GENESIS Cap. VI. *v.* 2.

Videntes filij Dei filias hominum.

VIdetur quòd Angeli poſſint generare, textus enim exponitur à Ioſepho de dæmonibus incubis. R. quòd per eorum actum completur generatio inquantum ſemen humanum apponere poſſunt in loco conuenienti ad materiam proportionatam: ſicut etiam ſemina aliarum rerum colligere poſſunt ad complendum aliquos effectus: vt attribuatur id tantùm eis quod eſt motus localis; non autem ipſa generatio, cuius principium non eſt virtus dæmonis, aut corporis ab eo ſumpti: ſed virtus illius cuius ſemen fuit. Vnde & genitus non dæmonis, ſed alicuius hominis filius eſt.

Nota ergo quòd dæmones poſſunt ſcire virtutem ſeminis deciſi ex diſpoſitione eius à quo deciſum eſt: & ſimiliter mulierem proportionatam ad ſeminis illius ſuſceptionem; & etiam conſtellationem iuuantem ad effectum corporalem, ſcilicet optimæ complexionis in genito; quibus omnibus concurrentibus poſſibile eſt ſic genitos, corpore magnos eſſe vel fortes. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 4. *ſimile in quæſt. Diſp. q.* 6. *de potentia art.* 8. *&* 1. *p. q.* 51. *art.* 3. *Videntes filij Dei.* Per filios Dei intelliguntur filii Seth, qui boni erant; Filias autem hominum nominat ſcriptura eas quæ natæ erant de ſtirpe Cain. 1. *p. q.* 51. *art.* 3. *ad ſextum. Et lib.* 2. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 8. *art.* 3. *ad ſecundum.*

Angeli non poſſunt generare.

Geneſis Cap. 6. v. 3.

Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.

VIdetur quòd diuina miſericordia non patiatur ſaltem homines in æternum puniri, ex textu: & accipitur ibi *ſpiritus* pro indignatione. Cùm ergo indignatio Dei non ſit aliud quàm eius pœna, non punientur æternaliter.

Sed contra eſt quod dicitur, ſimul de electis & reprobis. *Ibunt hi* (ſcilicet reprobi) *in ſupplicium æternum*; iuſti autem in vitam æternam: ſed inconueniens eſt ponere quòd iuſtorum vita quandoque finiatur; ergo inconueniens eſt ponere quòd reproborum ſupplicium terminetur. *Matth. 25. v. 46.*

Dicendum quod dæmones ſunt in malitia obſtinati, & ità perpetuò puniendi; ita & hominum animæ, qui ſine charitate decedunt; cùm hoc hominibus ſit mors, quod eſt Angelis caſus. *Pœna Angeli & hominis æterna.*

Ad argumentum dicendum quod verbum illud eſt intelligendum de homine ſecundùm genus ſuum; quia ab humano genere quandoque Dei indignatio eſt remota per Chriſti aduentum. Sed illi qui in hac reconciliatione, quæ facta eſt per Chriſtum, noluerunt permanere; in ſeipſis diuinam iram perpetrauerunt: cùm non ſit nobis aliquis modus reconciliationis conceſſus, niſi per Chriſtum. *Lib. 4. ſent. Diſt. 46. q. 2. art. 3. & ſupplem. q. 99. art. 3.*

Geneſis Cap. 6. v. 7.

Pœnitet me feciſſe hominem.

IN Deo eſt amor, quia omnis affectionis principium eſt amor: Gaudium enim & deſiderium non eſt niſi amati boni. Timor etiam & triſtitia non eſt niſi de malo, quod contrariatur bono amato; ex his antem omnes aliæ affectiones oriuntur: ſed in Deo eſt gaudium & delectatio; ergo in Deo eſt amor.

De noſtris autem affectionibus nulla eſt quæ in Deo poſſit propriè eſſe, niſi gaudium & amor; quamuis etiam hæc in eo non ſecundùm paſſionem, ſicut in nobis ſint. Quod autem in Deo ſit gaudium vel delectatio, dicitur; *delectationes in dextera tua vſque in finem.* Et *Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo*, dicit diuina ſapientia quæ Deus eſt. Et *Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Amorem etiam Dei ſcriptura commemorat. *In charitate perpetua dilexi te: &, ipſe enim pater amat vos.* *Pſ. 15 v. 11. Prou. 8. v. 30. Luc. 15. v. 10. Hier. 31 v. 3. Ioan. 16. v. 27.*

Sciendum tamen etiam alias perfectiones quæ ſecundùm ſpeciem ſuam diuinæ perfectioni repugnant, in S. Scriptura de Deo dici, non quidem propriè, ſed metaphoricè propter ſimilitudinem vel effectuum vel alicuius affectionis præcedentis. Dico autem effectuum, quia interdum voluntas ex ſapientiæ ordine in illum effectum tendit, in quem aliquis ex paſſione defectiua inclinatur. Iudex enim ex iuſtitia punit, ſicut & iratus ex ira: Deus enim aliquando dicitur iratus, in quantùm ex ordine ſuæ ſapientiæ aliquem vult punire, ſe- *Quomodo paſſiones ſunt in Deo.*

Pſal. 2. v 13. cundum illud *Cùm exarſerit in breui ira eius.* Miſericors verò dicitur, in quantùm ex ſua beneuolentia miſerias hominum tollit; ſicut & nos propter miſericordiæ paſſionem facimus idem. Vnde *miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multùm miſericors.* Pœnitens etiam interdum dicitur, in quantùm ſecundùm æternum & immutabilem prouidentiæ ſuæ ordinem facit, quæ prius deſtruxerat, vel deſtruit quæ priùs fecit; ſicut & pœnitentiâ moti facere inueniuntur. Vnde *pœnitet me feciſſe hominem.* Quod autem hoc propriè intelligi non poſſit, patet per hoc quod habetur. *Triumphator in Iſraël non parcet, neque pœnitudine flectetur.*

Pſ. 102. v. 8.

1 Reg. 15. v 19.

Dico autem per ſimilitudinem præcedentis affectionis: nam amor & gaudium quæ in Deo propriè ſunt, principia ſunt omnium affectionum. Amor quidem per modum principii mouentis, gaudium verò per modum finis. Vnde etiam irati punientes gaudent, quaſi finem aſſecuti. Dicitur igitur Deus triſtari, in quantùm accidunt aliqua contraria his, quæ ipſe amat & approbat: ſicut & in nobis triſtitia eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt. Et hoc patet, *Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium: & vidit Deus quia non eſt vir; & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat.*

Eſai. 59. v. 16

Ex prædictis autem excluditur error quorumdam Iudæorum, attribuentium Deo iram, triſtitiam, pœnitentiam, & omnes huiuſmodi paſſiones ſecundùm proprietatem; non diſtinguentes quid in ſcripturis S. propriè, & quid metaphoricè dicatur. *Contra Gentil. lib.* 1. *cap.* 91.

Pœnitet me feciſſe hominem. Videtur quòd voluntas Dei ſit mutabilis; quemcumque enim pœnitet de eo quod fecit, habet mutabilem voluntatem.

2. Dicitur ex perſona Domini, *loquar aduerſùs gentem, & aduerſùs regnum, vt eradicem & deſtruam & diſperdam illud: ſed ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei*; ergo Deus habet mutabilem voluntatem. Hier. 18. v. 7.

3. Quicquid Deus facit, voluntariè facit: ſed Deus non ſemper eadem facit; nam quandoque præcepit legalia obſeruari, quandoque prohibuit; ergo.

4. Deus non ex neceſſitate vult quod vult; ergo poteſt velle & non velle idem: ſed omne quod habet potentiam ad oppoſita, eſt mutabile; ergo.

Sed contra eſt quod dicitur, *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur.* Num. 23. v. 19.

Dicendum quòd voluntas Dei eſt omnino immutabilis. Sed circa hoc conſiderandum eſt quòd aliud eſt mutare voluntatem, & aliud eſt velle aliquarum rerum mutationem. Poteſt enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente, velle quòd nunc fiat hoc, & poſtea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, ſi aliquis inciperet velle quod priùs non voluit vel deſineret velle quod voluit. Quodquidem accidere non poteſt, niſi præſuppoſitâ mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa diſpoſitionem ſubſtantiæ ipſius volentis. Cùm enim voluntas ſit boni, aliquis de nouo dupliciter poteſt in-

Volũtas Dei eſt immutabilis.

Digitized by Google

cipere aliquid velle. Vno modo ſic quòd de nouo incipiat ſibi illud eſſe bonum, quod non eſt abſque mutatione eius: ſicut adueniente frigore incipit eſſe bonum ſedere ad ignem, quod priùs non erat. Alio modo ſic, quod de nouo cognoſcat illud eſſe ſibi bonum, cùm priùs hoc ignoraſſet. Ad hoc enim conciliamur vt ſciamus quid nobis ſit bonum: At tam ſubſtantia Dei quàm eius ſcientia eſt omnino immutabilis; ergo & voluntas.

Ad 1. R. quòd illud verbum Domini metaphoricè intelligendum eſt, ſecundùm ſimilitudinem noſtram. Cùm enim nos pœnitet, deſtruimus quod fecimus; quamuis hoc eſſe poſſit abſque mutatione voluntatis: cùm etiam aliquis homo abſque mutatione voluntatis interdum velit aliquid facere, ſimul intendens poſtea illud deſtruere. Sic igitur Deus pœnituiſſe dicitur, ſecundùm ſimilitudinem operationis, inquantum hominem quem fecerat, per diluuium à facie terræ deleuit.

Ad 2. R. quòd voluntas Dei cùm ſit cauſa prima & vniuerſalis, non excludit cauſas medias, in quarum virtute eſt vt aliqui effectus producantur. Sed quia omnes cauſæ mediæ non adæquant virtutem cauſæ primæ, multa ſunt in virtute & ſcientia & voluntate diuina, quæ non continentur ſub ordine cauſarum inferiorum, ſicut reſſuſcitatio Lazari. Vnde aliquis reſpiciens ad cauſas inferiores dicere poterat, Lazarus non reſurget; reſpiciens verò ad cauſam primam diuinam poterat dicere, Lazarus reſurget. Et vtrumque horum Deus vult, ſcilicet quod aliquid quandoque ſit futurum, ſecundùm cauſam inferiorem; quod tamen futurum non ſit ſecundùm cauſam ſuperiorem, vel è conuerſo.

Sic ergo dicendum eſt quòd Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum ſecundùm quod continetur in ordine cauſarum inferiorum, vt puta ſecundùm diſpoſitionem naturæ, vel meritorum, quod tamen non ſit; quia aliter eſt in cauſa ſuperiori diuina. Sicut cùm prædixit Ezechiæ, *diſpone domui tuæ quia moriteris & non viues*: neque tamen ita euenit, quia ab æterno aliter fuit in ſcientia & voluntate diuina, quæ immutabilis eſt. Quod ergo dicit, *pœnitentiam agam & ego*, intelligitur metaphoricè dictum. Nam homines quando non implent quod comminati ſunt, pœnitere videntur. *Eſai. 38. v. 1.*

Ad 3. R. quòd ex ratione illa non poteſt concludi quod Deus habeat mutabilem voluntatem, ſed quòd rerum mutationem velit.

Ad 4. R. quòd licet Deum velle aliquid non ſit neceſſarium abſolutè, tamen neceſſarium eſt ex ſuppoſitione, propter immobilitatem diuinæ voluntatis. 1. *p. quæſt.* 19. *art.* 7.

GENESIS, Cap. 7. *v.* 2.

Ex omnibus mundis animalibus Tolle ſeptena.

Explicatur ſupra *Geneſis* 4. *verſ.* 3.

Geneſis

Digitized by Google

GENESIS Cap. 7. v. 17.

Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra.

1. Petri. 3. v. 10. Eccleſia figuratur per arcam, quia ſicut in arca cæteris pereuntibus, paucæ animæ ſaluæ factæ ſunt; ita in Eccleſia pauci, id eſt, ſoli electi ſaluabuntur. Per aquas autem ſignificantur tribulationes: Primò quia aquæ impellunt irruendo, ſic tribulationes. *Matt. 7. v. 25.* *Venerunt flumina, & irruerunt in domum illam.* Sed impulſu fluminum Eccleſia non mouetur. Vnde ſubdit, *& non cecidit.* Secundò aqua extinguit ignem. *Eccl. 3. v. 33.* *Ignem ardentem extinguit aqua*; ſic & tribulationes extinguunt impetus concupiſcentiarum, ne homines ad libitum eas ſequantur: ſed non extinguunt veram charitatem Eccleſiæ. *Cant. 8. v. 7.* *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Tertiò aquæ ſubmergunt per inundationem. *Threnor. 3. v. 54.* *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum*: ſed Eccleſia non per has ſubmergitur: *Iona 2. v. 6.* *Circundederunt me aquæ vſque ad animam.*

Non ergo deficit, ſed ſubleuatur: Et primò per eleuationem mentis ad Deum. *Oſea. 6. v. 1.* *In tribulatione ſua mane conſurgent ad me.* Secundò per ſpiritualem conſolationem: *Pſ. 93. v. 19.* *ſecundùm multitudinem dolorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* *2. Cor. 1. v. 5.* *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Tertiò per multiplicationem fidelium, quia tempore perſecutionum Deus multiplicauit Eccleſiã. *Exodi. 1. v. 12.* *Quantò magis opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur & creſcebant.* In prologo Epiſt. 1. ad Theſſalon.

GENESIS Cap. 8. v. 21.

Proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua.

Videtur quòd dubia non ſint in meliorem partem interpretanda; iudicium enim magis debet eſſe de eo quod in pluribus accidit: ſed in pluribus accidit quòd aliqui malè agant, vt patet in textu; ergo dubia magis debemus interpretari in malum quàm in bonum.

2. Homo debet diligere proximum ſicut ſeipſum: ſed circa ſeipſum homo debet dubia interpretari in peiorem partem, ſecundùm illud; *verebar omnia opera mea*; ergo videtur quòd ea quæ ſunt dubia circa proximos, ſint in peiorem partem interpretanda. *Iob 9. v. 28.* *Dubia in meliorem partem interpretanda.*

Dicendum quòd ex hoc ipſo quòd aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, iniuriatur ei & contemnit ipſum: nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quandoque inferre abſque cauſa agente. Et ideo vbi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debemus eum vt bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium eſt.

Ad 1. R. quòd poteſt contingere quòd ille qui in meliorem partem interpretatur, frequentiùs fallitur: ſed melius eſt quòd aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine; quàm quòd rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono, quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo.

Nota quòd aliud eſt iudicare de

V

Digitized by Google

rebus, & aliud de hominibus: in iudicio enim in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipſius rei, de qua iudicamus; cui nihil nocet qualitercumque iudicemus de ipſa: ſed attenditur ibi ſolùm bonum iudicantis, ſi verè iudicet; vel malum, ſi falsò: quia verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius. Et ideo vnuſquiſque debet niti ad hoc, quòd de rebus iudicet ſecundùm quod ſunt.

Sed in iudicio quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum & malum ex parte eius de quo iudicatur; qui in hoc ipſo honorabilis habetur, quòd bonus iudicatur; & contemptibilis, ſi iudicetur malus. Et ideo ad hoc potiùs tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat. Ipſi autem homini iudicanti falſum iudicium, quo bene indicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius; ſicut nec ad eius perfectionem pertinet ſecundùm ſe cognoſcere veritatem ſingularium contingentium, ſed magis pertinet ad bonum affectum.

Ad 2. R. quòd interpretari aliquid in deteriorem vel meliorem partem, contingit dupliciter. Vno modo per quamdam ſuppoſitionem: & ſic cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, ſiue noſtris, ſiue alienis; expedit ad hoc vt ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id quod eſt deterius; quia remedium quod eſt efficax contra maius malum, multò magis eſt efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum vel malum, diffiniendo ſiue determinando: & ſic in rerum iudicio debet aliquis niti ad hoc, vt interpretetur vnumquodque ſecundùm quod eſt; in iudicio autem perſonarum, vt interpretetur in melius. 2. 2. *q* 60. *art.* 4.

GENESIS Cap. 8. v. 22.

Cunctis diebus terræ, frigus & æſtus, æſtas & hyems nox & dies non requieſcent.

VIdetur quòd motus corporum cœleſtium in mundi innouatione non ceſſabit, quia *nox & dies non requieſcent*: ſed nox & dies efficiuntur per motum ſolis; ergo nunquam motus cœli ceſſabit.

Dicendum quòd verba illa intelliguntur de terra ſecundùm ſtatum iſtum, in quo poteſt eſſe generationis principium, & corruptionis plantarum; quod patet ex hoc quod ibi dicitur, *cunctis diebus terræ ſementis & meſſis.* Et hoc ſimpliciter concedendum eſt, quòd quandiu terra erit ſementibus & meſſibus apta, motus cœli non ceſſabit. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 48. *q.* 2. *art.* 2. *ſupplem. q.* 91. *artic.* 2. *& in quæſt. Diſp. q.* 5. *de potentia art.* 5.

GENESIS. Cap. IX. v. 3.

Quaſi olera virentia dedi vobis omnem carnem.

PLantæ & animalia non remanebunt in mundi innouatione, quia ceſſante fine ceſſare debet id quod eſt ad finem: ſed animalia & plantæ, facta ſunt

ad animalem vitam hominis ſuſtenſtentandam vt dicitur in textu. Sed poſt illam innouationem, animalis vita in homine non erit; ergo nec plantæ nec animalia remanere debent.

Dicendum quòd cùm innouatio mundi propter hominem fiat, oportet quòd innouationi hominis conformetur. Homo autem innouatus de ſtatu corruptionis, in incorruptionem tranſibit, & perpetuæ quietis: & ideo mundus hoc modo innouabitur, vt abiectâ omni corruptione perpetuò maneat in quiete. Vnde ad illam innouationem nihil ordinari poterit, niſi quod habet ordinem ad incorruptionem: Huiuſmodi autem ſunt corpora cœleſtia, elementa & homines. Corpora enim cœleſtia ſecundùm ſui naturam incorruptibilia ſunt & ſecundùm totum, & ſecundùm partes: elementa verò ſunt quidem corruptibilia ſecundùm partes, ſed incorruptibilia ſecundùm totum: Homines verò corrumpuntur & ſecundùm totum, & ſecundùm partes: ſed hoc eſt ex parte materiæ, non ex parte formæ, ſcilicet animæ rationalis, quæ poſt corruptionem hominis remanet incorrupta. Animalia verò bruta, & plantæ, & omnia corpora mixta corrumpuntur & ſecundùm totum, & ſecundùm partem; & hoc ex parte materiæ, quæ formam amittit; & ex parte formæ, quæ actu non manet: & ſic nullomodo habent ordinem ad incorruptionem; vnde in illa innouatione non manebunt. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 48. *q.* 2. *art* 5. *& ſupplem. q.* 91. *art.* 5.

Quaſi olera virentia. Non eſt homini peccatum, ſi animalia bruta occidat; ex diuina enim prouidentia naturali ordine in vſum hominis ordinantur. Vnde abſque iniuria homo eis vtitur occidendo, vel quolibet alio modo. *Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 111. *circa fin.*

Quaſi olera virentia. Sicut animalia dantur in cibum hominis, ita etiam & herbæ: ſed in herbis lex non diſtinxit aliquas immundas, cùm tamen aliquæ illarum ſint maximè nociuæ, vt puta venenoſæ, ergo videtur quòd nec de animalibus aliqua debuerint prohiberi tanquam immunda.

R. Quòd eſus plantarum & aliorum terræ naſcentium fuit apud homines etiam ante diluuium: ſed eſus carnium videtur eſſe poſt diluuium introductus, vt patet in textu. Et hoc ideo quia eſus terræ naſcentium magis pertinet ad quandam ſimplicitatem vitæ: eſus autem carnium ad quaſdam delicias, & curioſitatem viuendi; ſponte enim terra herbam germinat, vel cum modico ſtudio huiuſmodi terræ naſcentia in magna copia procurantur. Oportet autem cum magno ſtudio animalia nutrire, vel etiam capere: & ideo volens Dominus populum ſuum reducere ad ſimpliciorum victum, multa in genere animalium eis prohibuit; non autem in genere terræ naſcentium. Vel etiam quia animalia immolabantur idolis, non autem terræ naſcentia. 12. *q* 102. *art.* 6. *ad ſecundum.* Idem locus explicatur ſupra. *Gen.* 1. *v.* 29: *& Gen.* 4 *v.* 3.

GENESIS Cap. 9. v. 4.

Carnem cum ſanguine non comedetis.

HOc prohibuit Deus ad hoc quod horrerent homines

ſanguinis humani effuſionem. Item propter reuerentiam diuinam, quia ſanguis eſt maximè neceſſarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima eſſe in ſanguine: & ideo vt oſtenderetur quod à Deo nobis eſt & vita, ad honorem Dei effundebatur ſanguis. 12. q. 102. *art.* 3. *ad octauum.*

GENESIS Cap. 9. v. 13.

Arcum meum ponam in nubilus.

VIdetur quòd arcus nubium non ſit ſignum diluuii non futuri; illud enim quod fit ex neceſſitate naturæ, non videtur eſſe inſtitutum ad aliud ſignificandum: ſed arcus nubium prouenit ex neceſſitate naturæ propter oppoſitionem ſolis ad nubem roridam: ergo.

Dicendum quòd pluuiarum cauſa efficiens quidem eſt ſol, materialis verò vapor humidus eleuatus ex terra, & aliquis per virtutem ſolis. Hæc autem duo in triplici diſpoſitione ſe poſſunt habere: Quandoque enim calor ſolis omnino ſuperuincit vapores & exſiçat eos, & tunc pluuiæ ſequi non poſſunt; vnde in Ægypto & in terris multùm calidis non ſunt pluuiæ. In æſtate etiam propter propinquitatem ſolis ſunt pluuiæ rariores, in hyeme verò frequentiores.

Quandoque verò è contrario, virtus ſolis ad hoc vſque valer quòd vapores multiplicat; ſed tamen non poteſt eos deſiccare, & tunc ſuperabundant pluuiæ: & eſt ratio diluuii aquarum. Quandoque verò medio modo ſe habet, vt ſcilicet virtus ſolis non ſolùm operetur ad eleuationem vaporum; ſed etiam habet victoriam ſuper eos, vt non tantùm multiplicentur quòd diluuium inducere poſſint; neque etiam vapores omnino deſiccentur vt pluuia non ſequatur. Et ex hac media diſpoſitione, vel comparatione ſolis ad vapores, cauſatur iris; quæ non apparet vaporibus omnino deſiccatis; neque etiam eis omnino in aëre ſuperabundantibus. Et ideo iris eſt ſignum diluuii non futuri, inquantum procedit ex tali cauſa, quæ repugnat diluuio. Ideo autem ſcriptura tali modo loquendi vtitur, quia per iridem ſignificatur Chriſtus, per quem protegimur à ſpirituali diluuio. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum. *Quodlib.* 3. *q.* 14. *art.* 30. Iridis formatio.

GENESIS Cap. 9. v. 21.

Bibens vinum inebriatus eſt.

EBrietas contingere poteſt abſque peccato, ſicut & in Noë accidit propter inexperientiam fortitudinis vini. *In quæſt. Diſp. q.* 15. *de malo art.* 2. *ad nonum.*

GENESIS Cap. 9. v. 25.

Maledictus Chanaam ſeruus ſeruorum erit.

VIdetur quòd vindicta ſit exercenda in eos qui inuoluntariè peccarunt; dicitur enim. *Ego ſum Deus Zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Vnde & pro peccato Cham, Chanaam filius eius maledictus eſt. Exodi 20. v. 5.

Dicendum quòd pœna dupliciter poteſt conſiderari: vno modo ſecundùm rationem pœnæ; & ſecundùm hoc pœna non debetur niſi peccato; quia per pœnam repara-

Digitized by Google

tur æqualitas iuſtitiæ, inquantum ille qui peccando nimis ſecutus eſt ſuam voluntatem, aliquid contra ſuam voluntatem patitur. Vnde cùm omne peccatum ſit voluntarium, conſequens eſt quòd nullus punitur hoc modo, niſi pro eo quod voluntariè factum eſt.

Pœna dupliciter conſiderãda.

Alio modo poteſt conſiderari pœna inquantum eſt medicina non ſolùm ſanatiua peccati præteriti, ſed etiam præſeruatiua à peccato futuro, & promotiua in aliquod bonum. Et ſecundùm hoc, aliquis interdum punitur ſine culpa, non tamen ſine cauſa.

Sciendum tamen quòd nunquam medicina ſubtrahit maius bonum, vt promoueat minus bonum: ſicut medicina carnalis nunquam cæcat oculum vt ſanet calcaneum. Quandoque autem infert nocumentum in minoribus, vt melioribus auxilium præſtet. Et quia bona ſpiritualia ſunt maxima bona, bona autem temporalia ſunt minima; ideo quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis abſque culpa: cuiuſmodi ſunt plures pœnæ præſentis vitæ diuinitus inflictæ ad humiliationem vel probationem.

Non autem punitur aliquis in ſpiritualibus bonis ſine propria culpa; neque in præſenti, neque in futuro: quia ibi pœnæ non ſunt medicinæ, ſed conſequuntur ſpiritualem damnationem.

Ad Argum. R. quòd vnus homo pœnâ ſpirituali nunquam punitur pro peccato alterius; quia pœna ſpiritualis pertinet ad animam, ſecundùm quam quilibet eſt liber ſui. Pœnâ autem temporali quandoque vnus punitur pro peccato alterius, triplici ratione. Primò quidem quia vnus homo temporaliter eſt res alterius, & ita in pœnam eius etiam ipſe punitur: ſicut filii ſecundùm corpus ſunt quædam res patris, & ſerui ſunt quædam res dominorum. Alio modo in quantum peccatum vnius deriuatur in alterum, vel per imitationem, ſicut filii imitantur peccata parentum, & ſerui peccata dominorum, vt audaciùs peccent: vel per modum meriti, ſicut peccata ſubditorum merentur peccatorem prælatum, ſecundùm illud; *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Vnde & pro peccato Dauid populum numerantis, populus Iſraël punitus eſt. Siue etiam per aliqualem conſenſum ſeu diſſimulationem; ſicut etiam interdum boni ſimul puniuntur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt. Tertiò ad commendandum vnitatem humanæ ſocietatis, ex qua vnus debet pro alio ſolicitus eſſe, ne peccet. Et ad deteſtationem peccati, dum pœna vnius redundat in omnes; quaſi omnes eſſent vnum corpus.

Iob. 34. *v.* 30. 2. *Reg. vlt.*

Quòd autem Dominus dicit, *viſitans peccata parentum in filios, &c.* magis videtur ad miſericordiam quàm ad ſeueritatem pertinere; dum non ſtatim vindictam adhibet, ſed expectat in poſterum vt vel ſaltem poſteri corrigantur: ſed creſcente malitiâ poſterorum, quaſi neceſſe eſt vltionem inferri. 22. *q.* 108. *art.* 4.

Seruus ſeruorum erit. Maior videtur eſſe ſubiectio filii ad patrem, quàm ſerui ad Dominum; quia filiatio eſt naturalis, ſeruitus autem ex maledictione peccati, vt patet in textu: ſed ſeruus non poteſt præ-

termittere obſequium domini ſui, vt religionem ingrediatur, aut ſacrum ordinem aſſumat; ergo multò minùs filius.

R. Quòd quia ſeruitus eſt in pœnam peccati inducta, ideo per ſeruitutem aliquid adimitur homini quod aliàs ei competeret; ne ſcilicet liberè de ſua perſona poſſit diſponere: ſeruus enim id quod eſt, domini eſt. Sed filius non patitur detrimentum ex hoc quòd ſubiectus eſt patri, quin poſſit de ſua perſona liberè diſponere transferendo ſe ad obſequium Dei, quod maximè pertinet ad hominis bonum. 22. *quæſt.* 189. *art.* 6.

GENESIS Cap. XI. *v.* 7.

Confundamus linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.

SIcut gentibus ad idolatriam declinantibus introducta eſt diuerſitas linguarum; ita etiam quando erant gentes ad cultum vnius Dei reuocandæ, contra huiuſmodi diuerſitatem, remedium exhibitum eſt per donum linguarum. 22 *q.* 176. *art.* 1.

GENESIS. Cap. XII. *v.* 3.

In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.

VIdetur quòd lex vetus non conuenienter fuerit data tempore Moyſi; lex enim vetus diſponebat ad ſalutem quæ erat futura per Chriſtum: ſed ſtatim homo poſt peccatum indiguit huiuſmodi ſalutis remedio; ergo ſtatim poſt peccatum lex vetus dari debuit.

2. Lex vetus data eſt propter ſanctificationem eorum, ex quibus Chriſtus naſciturus erat: ſed Abrahæ incepit fieri promiſſio de ſemine quod eſt Chriſtus, vt patet in textu; ergo tempore Abrahæ debuit lex dari.

Lex vetus cõuenienti tempore data.

Dicendum quòd conuenientiſſimè lex vetus data fuit tempore Moyſi: cuius ratio poteſt accipi è duobus, ſecundùm quod quælibet lex duobus generibus hominum imponitur. Imponitur enim quibuſdam duris & ſuperbis, qui per legem compeſcuntur & domantur. Imponitur etiam bonis, qui per legem inſtructi adiuuantur ad implendum quod intendunt.

Conueniens igitur fuit tali tempore legem veterem dari, ad ſuperbiam hominum conuincendam. De duobus enim homo ſuperbierat ſcilicet de ſcientia & de potentia; de ſcientia quidem, quaſi ratio naturalis ei poſſit ſufficere ad ſalutem. Et ideo, vt de hoc eius ſuperbia conuinceretur, permiſſus eſt homo regimini ſuæ rationis, abſque adminiculo legis ſcriptæ, & experimento homo diſcere potuit quòd patiebatur rationis defectum; per hoc quòd homines vſque ad idololatriã & turpiſſima vitia circa tempora Abrahæ ſunt prolapſi. Et ideo poſt hæc tempora fuit neceſſarium legem ſcriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ; quæ per legem eſt cognitio peccati. Sed poſtquam homo eſt inſtructus per legem, conuicta eſt eius ſuperbia de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoſcebat.

Digitized by Google

Ex parte verò bonorũm lex data eſt in auxilium, quodquidem tunc maximè populo neceſſarium fuit, quando lex naturalis obſcurari incipiebat, propter exuperantiam peccatorum. Oportebat enim huiuſmodi auxilium quodam ordine dari, vt per imperfecta ad perfectionem manuducerentur: & ideo inter legem naturæ & legem gratiæ oportuit legem veterem dari.

Ad 1. R. quòd ſtatim poſt peccatum primi hominis non competebat legem dari, tum quia nondum homo recognoſcebat ſe eâ indigere, de ſua ratione confiſus; tum quia adhuc dictamen legis naturæ nondum erat obtenebratum per conſuetudinem peccandi.

Ad 2. R. quòd lex non debet dari niſi populo, eſt enim præceptum commune. Et ideo tempore Abrahæ data ſunt quædam familiaria præcepta & quaſi domeſtica Dei ad Abrahã, ſed poſtmodũ multiplicatis eius poſteris, intantum quòd populus eſſet, & liberatis eis à ſeruitute, lex conuenienter potuit dari: nam ſerui non ſunt pars populi vel ciuitatis, cui legem dari competit. *12. q. 98. art. 6.*

GENESIS. Cap. 12. *v.* 13.

Dic ſoror mea es.

Videtur quòd non omne mendacium ſit peccatum; nullus enim remuneratur à Deo pro peccato: ſed obſtretrices Ægypti remuneratæ ſunt à Deo propter mendacium: dicitur enim quòd *ædificauit illis Deus domos*; ergo. *Exodi 1. v. 21.*

2. Geſta ſanctorum narrantur in S. Scriptura ad informationem vitæ humanæ: ſed de quibuſdam ſanctiſſimis viris legitur quod ſunt mentiti, ſicut Abraham dixit de vxore ſua quòd ſoror ſua eſſet. Iacob etiam mentitus eſt dicens ſe eſſe Eſau, & tamen benedictionem adeptus eſt. Iudith etiam commendatur, quæ tamen Holopherni mentita eſt; non ergo omne mendacium eſt peccatum. *Gen. 26. v. 7. Iudith. 11.*

3. Minus malum eſt eligendum vt vitetur maius malum, ſicut medicus præſcindit membrum, ne corrumpatur totum corpus: ſed minus nocumentum eſt quòd aliquis generet falſam opinionem in animo alicuius, quàm quòd aliquis occidat, vel occidatur; ergo licitè poteſt homo mentiri, vt vnum præſeruet ab homicidio, & alium præſeruet à morte.

Dicendum quòd illud quod eſt ſecundùm ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum; quia ad hoc quòd aliquid ſit bonum, requiritur quod omnia rectè concurrant: bonum enim eſt ex integra cauſa, malum verò eſt ex ſingularibus defectibus: mendacium autem eſt malum ex genere, eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cùm enim voces naturaliter ſuum ſigna intellectum, innaturale eſt & indebitum quòd aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente; ergo omne mendacium eſt peccatum.

Ad 1. R. quòd obſtretrices non ſunt remuneratæ pro mendacio, ſed pro timore Dei, & beneuolentia, ex qua proceſſit mendacium.

Ad 2. R. quòd ea quæ in geſtis ſanctorum mendacia videntur, intelligenda ſunt figuraliter & propheticè dicta. Abraham tamen dicens Saram eſſe ſororem ſuam,

Digitized by Google

veritatem voluit celari, & non mendacium dici; ſoror enim dicitur, quia filia patris erat. Iacob verò myſticè dixit ſe eſſe Eſau primogenitum Iſaac, quia videlicet primogenita illius de iure ei debebantur. Vſus eſt autem hoc modo loquendi per ſpiritum prophetiæ, ad deſignandum myſterium; quia videlicet minor populus, ſcilicet gentium, ſubſtituendus erat in locum primogeniti, ſcilicet in locum Iudæorum.

Quidam verò commendantur in ſcriptura, non propter perfectam virtutem; ſed propter quandam virtutis indolem, ſcilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo mouebantur ad quædam indebita facienda. Et hoc modo Iudith laudatur non quia mentita eſt Holopherni; ſed propter affectum quem habuit ad ſalutem populi, pro qua periculis ſe expoſuit. Quamuis etiam dici poſſit quòd verba eius veritatem habent ſecundùm aliquem myſticum intellectum.

Ad 3. R quòd mendacium non ſolùm habet rationem peccati ex damno quod infertur proximo, ſed ex ſua inordinatione. Non licet autem aliquâ illicitâ inordinatione vti ad impediendum nocumenta & defectus aliorum. Et ideo non eſt licitum mendacium dicere ad hoc quòd aliquis alium à quocumque periculo liberet. Licet tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione. 22. *q.* 110. *art.* 3. *ſimile* 3. *ſent. Diſt.* 38. *art.* 3. *&* *Quodlib.* 8. *art.* 14.

Genesis. Cap. XIII. *v.* 4.

Abraham ædificauit altare Domino.

Explicatur ſupra *Geneſis* 4. *verſ.* 4.

Genesis Cap. 13. *v.* 7.

Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, fratres enim ſumus.

Quatuor modis in ſcripturis fratres dicuntur, ſcilicet naturâ, gente, cognatione & affectu 3. *p. q.* 28. *art.* 3. *ad quintum.* Dicitur frater quatuor modis.

Genesis Cap. XIV. *v.* 18.

Melchiſedec proferens panem & vinum.

Arguitur. In ſacramento Euchariſtiæ aliquid offertur Deo: ſed Melchiſedech non legitur Deo obtuliſſe, ſed homini, ſcilicet Abrahæ cui obtulit panem & vinum; ergo illa oblatio non eſt conueniens figura huius ſacramenti.

2. In ſacrificiis legis Moyſi fiebat ſanguinis effuſio: ſed oblatio Melchiſedech fuit ſine ſanguinis effuſione; ergo legalia ſacrificia expreſſiùs figurabant ſacramentum paſſionis Chriſti, quàm oblatio Melchiſedech.

Sed contra Chriſtus dicitur ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, non autem ſecundùm ſacerdotium legis Moyſi, quod eſt ſacerdotium leuiticum vt patet; ergo *Hebr.* 7. *v.* 1. oblatio Melchiſedech magis conuenit

uenit cum ſacerdotio Chriſti, quàm ſacrificium legis Moyſi.

Dicendum quòd aliquid poteſt figurari dupliciter : vno modo per id quod eſt ſignum & cauſa; & hoc modo effuſio ſanguinis & aquæ ex latere Chriſti fuerunt figura huius ſacramenti. Alio modo per id quod eſt ſignum tantùm : & ſic quantùm ad id quod eſt ſacramentũ tantùm in Euchariſtia, fuit figura eius oblatio Melchiſedech. Quantùm autem ad id quod eſt res, & ſacramentum, ſcilicet ipſum Chriſtum paſſum, fuit figura agnus paſchalis. Quantùm ad id quod eſt res tantùm ſcilicet gratia, fuit ſignum manna quod reficiebat omnem ſaporem ſuauitatis habens.

Ad 1. R. quòd Euchariſtia offertur Deo in ſanctificatione hoſtiæ, & offertur populo in ipſius ſumptione. Et hoc ſignificatum fuit in oblatione Melchiſedech, qui obtulit Abrahæ panem & vinum, & benedixit Deo excelſo.

Ad 2. R. quòd quantùm ad id quod eſt ſignum tantùm in hoc ſacramento, expreſſior figura huius ſacramenti fuit oblatio Melchiſedech, quàm figuræ legis Moyſi: ſed quantùm ad id quod eſt res, & ſacramentum ; expreſſior fuit figura legis Moſaicæ, qua expreſſiùs Chriſtus paſſus ſignificabatur. Et quia ritus ſacramenti conſiſtit in ſignis exterioribus , ideo ſacerdotium Chriſti quantùm ad ritum, magis conuenit cum Sacerdotio Melchiſedech, quàm cum ſacerdotio leuitico. *Lib. 4. ſent. Diſt. 8. q. 1. art. 2. ſimile 3. p q. 61. art. 3.*

Melchiſedech obtulit panem & vinum. Videtur quòd offerre ſacrificium Deo non ſit de lege naturæ; ea enim quæ ſunt iuris naturalis communia ſunt apud omnes homines : non autem hoc contingit circa ſacrificia; nam quidam leguntur obtuliſſe in ſacrificium panem & vinum, ſicut Melchiſedech; & quidam animalia ; ergo oblatio ſacrificiorum non eſt de iure naturali.

Dicendum quòd naturalis ratio dictat homini quòd alicui ſuperiori ſubdatur, propter defectus quos in ſeipſo ſentit, in quibus ab aliquo ſuperiori eget adiuuari & dirigi. Et quicquid illud ſit, hoc eſt quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora ſuperioribus ſubduntur; ita etiam naturalis ratio dictat homini ſecundùm naturalem inclinationem, vt ei quod eſt ſupra hominem, ſubiectionem & honorem exhibeat ſecundùm ſuum modum. Sacrificiũ Deo debetur.

Eſt autem modus conueniens homini, vt ſenſibilibus ſignis vtatur ad aliqua exprimenda; quia ex ſenſibilibus cognitionem accepit. Et ideo ex naturali ratione procedit quòd homo quibuſdam ſenſibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis, & honoris : ſecundùm ſimilitudinem eorum qui dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem ſacrificii: & ideo oblatio ſacrificii pertinet ad ius naturale.

Ad Argum. R. quòd aliqua in communi ſunt de iure naturali, quorum determinationes ſunt de iure poſitiuo : ſicut quòd malefactores puniantur, habet lex naturalis: ſed quòd tali pœnâ, vel tali puniantur, eſt ex conſtitutione diuina vel humana. Similiter etiam

Digitized by Google

oblatio ſacrificii in communi, eſt de lege naturali; & ideo in hoc omnes conueniunt: ſed determinatio ſacrificiorum eſt ex inſtitutione humana vel diuina; & ideo in hoc differunt. 22. *q.* 85. *art.* 1.

Melchiſedech obtulit panem & vinum. Videtur quòd aqua non ſit vino permiſcenda in Euchariſtiæ ſacramento: Hoc enim ſacrificium figuratum fuit per oblationem Melchiſedech: at non legitur obtuliſſe niſi panem & vinum; ergo.

R. quòd ſicut ſacrificium Chriſti ſignificatum eſt per oblationem Melchiſedech, ita etiam ſignificatum eſt per aquam, quæ in eremo fluxit de petra. 3. *p. q.* 74. *art.* 6. *Melchiſedech erat ſacerdos.* Explicatur ſupra *Gen.* 4. *v.* 3.

GENESIS Cap. 14. *v.* 20.

Dedit ei decimas ex omnibus.

VIdetur quòd homines non teneantur dare decimas ex neceſſitate præcepti; præceptum enim de ſolutione decimarum in lege veteri datur, vt patet, *omnes decimæ Domini ſunt*: non autem poteſt computari hoc inter præcepta moralia, quia ratio naturalis non dictat quòd decima pars debeat magis dari, quàm nona vel vndecima; ergo vel eſt præceptum iudiciale, vel cæremoniale: ſed tempore gratiæ non obligantur homines ad huiuſmodi præcepta; ergo homines nunc non obligantur ad decimarum ſolutionem. *Leuit. 27. v. 30.*

2. Homines tempore gratiæ non magis tenentur ad obſeruantiam legalium quàm ante legem: ſed ante legem non dabantur decimæ ex præcepto, ſed ſolùm ex voto, vt dicitur, quòd Iacob vouit votum dicens, *ſi fuerit Deus mecum, &c. decimas offeram tibi*; *ergo* etiam neque tempore gratiæ tenentur homines ad decimarum ſolutionem. *Gen. 28. v. 22.*

3. In veteri lege tenebantur homines ad triplices decimas ſoluendas, quarum quaſdam ſoluebant Leuitis; dicitur enim, *Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt, quas in vſus eorum & neceſſaria ſeparaui.* Erant quoque aliæ decimæ, de quibus legitur, *Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos, & comedes in conſpectu* Domini *Dei tui, in loco quem elegerit Deus.* Erant quoque & aliæ decimæ, de quibus ſubditur, *Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas; venietque Leuita qui aliam non habet partem neque poſſeſſionem tecum: & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra tuas portas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur*: ſed ad ſecundas & tertias decimas homines non tenentur tempore gratiæ; ergo neque ad primas. *Num. 18. v. 24.* *Deut. 14. v. 23* *Ibid.*

4. Quod ſine determinatione temporis debetur, niſi ſtatim ſoluatur, obligat ad peccatum; ſi ergo homines tempore gratiæ obligarentur ex neceſſitate præcepti ad decimas ſoluendas, in terris in quibus decimæ non ſoluuntur, omnes eſſent in peccato mortali; & per conſequens etiam miniſtri Eccleſiæ diſſimulando, quod videtur inconueniens: non ergo homines tempore gratiæ ex neceſſitate tenentur ad ſolutionem decimarum.

Dicendum quòd decimæ in veteri lege dabantur ad ſuſtentatio-

nem miniſtrorum Dei: vnde præceptum de ſolutione decimarum, partim quidem erat morale inditum naturali ratione, partim autem erat iudiciale ex diuina inſtitutione robur habens. Quòd enim eis qui diuino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi totius, populus neceſſaria victus miniſtraret; ratio naturalis dictat: ſed determinatio certæ partis exhibendæ miniſtris diuini cultus, non eſt de iure naturali, ſed eſt introducta inſtitutione diuinâ, ſecundùm conditionem illius populi cui lex dabatur; qui cùm in duodecim tribus eſſet diuiſus, duodecima tribus, ſcilicet Leuitica, quæ tota erat miniſteriis diuinis mancipata; poſſeſſiones non habebat vnde ſuſtentaretur. Vnde conuenienter inſtitutum eſt vt reliquæ vndecim tribus decimam partem ſuorum prouentuum Leuitis darent; vt honorabiliùs viuerent. Et quia etiam aliqui per negligentiam erant tranſgreſſores futuri.

Vnde quantùm ad determinationem decimæ partis, erat iudiciale; ſicut & alia multa ſpecialiter in illo populo inſtituta erant, ad æqualitatem inter homines adinuicem conſeruandam: licet ex conſequenti aliquid ſignificarent in futurum. Et ſic decimam date eſt perfectionis ſignum; eo quòd denarius eſt quodammodo numerus perfectus, quaſi primus limes membrorum, vltra quem numeri non procedunt, ſed reiterantur ab vno. Nouem ergo ſibi partibus reſeruatis, proteſtatur homo, quaſi in quodam ſigno, ad ſe pertinere imperfectionem; perfectionem verò quæ erat futura per Chriſtum, eſſe expectandam à Deo.

Nec tamen propter hoc eſt cæremoniale præceptum, ſed iudiciale. Eſt autem hæc differentia inter cæremonialia & iudicialia legis præcepta, quòd cæremonialia illicitum eſt obſeruare tempore legis nouæ: iudicialia verò etſi non obligent tempore gratiæ, tamen poſſunt obſeruari abſque peccato, & ad eorum obſeruantiam aliqui obligantur, ſi ſtatuantur auctoritate eorum quorum eſt condere legem. Determinatio autem decimæ partis ſoluendæ, eſt auctoritate Eccleſiæ, tempore nouæ legis inſtituta, ſecundùm quandam humanitatem; vt ſcilicet non minùs populus nouæ legis miniſtris noui teſtamenti exhiberet, quàm populus veteris legis, miniſtris veteris teſtamenti exhibebat; cùm tamen populus nouæ legis ad maiora obligetur ſecundùm illud, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, &c.* Et cùm miniſtri noui teſtamenti ſint maioris dignitatis quàm miniſtri veteris teſtamenti, vt probat Apoſtolus.

Præceptũ de ſolutione decimarum eſt iudiciale.

Matth. 5. v. 20.
2. Cor. 3. v. 6.

Sic ergo patet quòd ad ſolutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ. Quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſoluendam. Et per hoc patet Reſponſio ad primum.

Ad 2. R. quòd ante tempus veteris legis, non erãt determinati miniſtri diuini cultus: ſed dicitur quòd primogeniti erant ſacerdotes, qui duplicem portionẽ accipiebant. Et ideo etiam non erat determinata aliqua pars exhibenda miniſtris diuini cultus: ſed vbi aliquis occur-

Digitized by Google

rebat, vnuſquiſque dabat ei propriâ ſponte quod ſibi videbatur. Sicut Abraham quodam prophetico inſtinctu dedit decimas Melchiſedech ſacerdoti Dei ſummi. Et ſimiliter Iacob decimas vouit ſe daturum, quamuis non videatur decimas vouiſſe quaſi aliquibus miniſtris exhibendas: ſed in diuinum cultum, puta ad ſacrificiorum conſummationem. Vnde ſignanter dicit, *offeram tibi decimas.*

Ad 3. R. quòd ſecundæ decimæ quæ reſeruabantur ad ſacrificia offerenda, locum in noua lege non habent, ceſſantibus legalibus victimis. Tertiæ verò decimæ quas cum pauperibus comedere debebant, in noua lege augentur, per hoc quòd Dominus non ſolum decimam partem; ſed etiam omnia ſuperflua pauperibus iubet exhiberi, ſecundùm illud, *quod ſupereſt date Eleemoſinam.* Ipſæ etiam decimæ quæ miniſtris Eccleſiæ dantur, per eos debent in vſus pauperum diſpenſari.

Luca 11. *v.* 41.

Ad 4. R. quòd miniſtri Eccleſiæ maiorem curam debent habere ſpiritualium bonorum in populo promouendorum, quàm temporalium colligendorum. Et ideo Apoſtolus voluit vti poteſtate ſibi à Domino tradita, vt ſcilicet acciperet ſtipendia victus, ab his quibus Euangelium prædicabat; ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Chriſti. Nec tamen peccabant illi qui ei non ſubueniebant; alioquin Apoſtolus eos corrigere non omiſiſſet. Et ſimiliter laudabiliter miniſtri Eccleſiæ, decimas Eccleſiæ non requirunt, vbi ſine ſcandalo requiri non poſſent, propter diſſuetudinem, vel propter aliquam aliam cauſam Nec tamen ſunt in ſtatu damnationis qui non ſoluunt in locis in quibus Eccleſia non petit; niſi fortè propter obſtinationem animi, habentes voluntatem non ſoluendi, etiam ſi ab eis peterentur, 22. *q.* 87. *art.* 1.

1. *Cor.* 9. *v.* 12.

GENESIS Cap. XV. *v.* 1.

Ego ero merces tua.

VIdetur quòd lex vetus non ſolùm temporalia, ſed æterna promittebat, illud enim in lege promittitur, quod merces legis ponitur: ſed Deus ſeipſum mercedem Abrahæ promiſit, qui eſt bonum æternum; ergo non ſolùm temporalia, ſed æterna promittebat.

Dicendum quòd lex noua media eſt inter Eccleſiam cœleſtem, & ſtatum veteris legis: & ideo æterna bona, quæ in cœleſti Eccleſia palam & copiosè exhibentur, in noua lege manifeſtè promittuntur. In veteri autem lege non promittebantur, niſi ſub quibuſdam figuris: vnde dicitur: *Vmbram habens lex futurorum bonorum.* *Hebr.* 10. *v.* 1.

Et hoc propter tres cauſas præcipuè: primò vt ex his quæ cognoſcebant, aſſuefierent etiam à Deo maiora ſperare. Secundò vt non ſolùm cognitio, ſed affectus à temporalibus ad æterna manuduceretur. Tertiò quia bona æterna nondum ſtatim eis poterant exhiberi, nondum ſoluto pretio; vnde dilatio promiſſorum inefficacem faceret apud infirmos promiſſionem.

Lex vetus promittebat æterna in figura.

Ad argumentum dicendum, quòd vbicumque promittuntur

æterna in veteri lege, hoc eſt ſub quadam figura & ſimilitudine temporalium. Et ſecundùm hoc etiam Deus ſe mercedem Abrahæ conſtituit ad literam, quaſi remuneratorem in multiplicatione ſeminis, & in terræ promiſſæ collatione.

Vel dicendum, quòd hoc intelligitur de promiſſione communiter omnibus facta in veteri lege, non autem de illa quæ fiebat ſpecialiter ad aliquos perfectos viros; qui ad legem pertinebant. *Lib. 3 ſent. Diſt. 40. q. 1. art. 4.*

GENESIS Cap. 15. v. 6.

Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Fides habet duo obiecta, ſcilicet rem quam credit, & veritatem primam cui correſpondet. Fides autem non habet rationem virtutis, niſi in quantum inhæret teſtimonio veritatis primæ; vt ei credat quod ab ea manifeſtatur, ſecundùm illud *Credidit Deo Abraham, &c. In quæſt. Diſp. quæſt. vnica de ſpe art. 2.*

GENESIS Cap. 15. v. 8.

Vnde ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſum, &c.

Videtur quòd tentare Deum non ſit peccatum; Deus enim non præcipit aliquod peccatum: præcepit autem vt homines eum probent, quod eſt eum tentare; di-
Mal 3. citur enim *Inferte omnem decimam*
v. 10. *in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cæli*; ergo videtur quòd tentare Deum non ſit peccatū.

2. Sicut aliquis tentatur ad hoc quod experientia ſumatur de ſcientia, vel potentia eius; ita etiam & de bonitate vel voluntate ipſius: ſed licitum eſt quòd aliquis experimentum ſumat diuinæ bonitatis, ſicut etiam voluntatis; dicitur enim
Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Pſ. 33.
Dominus. Et, *vt probetis quæ ſit vo-* v. 9. Rom. 12.
luntas Dei bona, &c. ergo tentare v. 2.
Deum non eſt peccatum.

3. Nullus vituperatur in ſcriptura ex eo quòd à peccato ceſſat, ſed magis ſi peccatum committat: vituperatur autem Achas qui Domi-
no dicenti, *pete tibi ſignum à Domi-* Eſai. 7.
no Deo tuo, Reſpondit *non petam &* v. 11.
non tentabo Dominum. Et dictum eſt ei, *nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo.* De Abraham autem quòd dixit ad Dominum, *Vnde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſum eam*, ſcilicet terram repromiſſam à Deo.
Similiter etiam Gedeon ſignum à Iud. 6.
Deo petiit de victoria repromiſſa; v. 15.
qui tamen ex hoc non reprehenduntur; ergo tentare Deum non eſt peccatum.

Sed contra eſt quod dicitur, *Non* Deut. 6.
tentabis Dominum Deum tuum. Di- v. 16.
cendum quòd tentare eſt experimentum ſumere: nullus autem ex-
perimentum ſumit de eo de quo Tentare quid ſit.
eſt certus: & ideo omnis tentatio ex aliqua ignorantia vel dubitatione procedit, vel eius qui tentat; ſicut cùm quis experimentum de aliqua re ſumit vt eius qualitatem cognoſcat; ſiue aliorum, ſicut cùm quis experimentum de aliquo ſumit vt aliis oſtendat; per quem modum dicitur Deus nos tentare.

Ignorare autem vel dubitare de

his quæ pertinent ad Dei perfectionem, eſt peccatum: vnde manifeſtum eſt quòd tentare Deum ad hoc quod ipſe tentans cognoſcat Dei virtutem, eſt peccatum. Si quis autem ad hoc experimentum ſumat eorum quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipſe cognoſcat, ſed vt aliis demonſtret; hoc non eſt tentare Deum; cùm ſubſit iuſta neceſſitas, ſeu pia vtilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debent Sic enim Apoſtoli petiuerunt à Domino & vt in nomine Ieſu Chriſti fierent ſigna, vt dicitur, ad hoc
Act. 4. *v.* 30. ſcilicet quod virtus Chriſti infidelibus manifeſtaretur.

Ad 1. R. quòd ſolutio decimarum erat in lege præcepta; vnde habebat neceſſitatem ex obligatione præcepti: vnde ſoluendo decimas non tentabant Deum. Quod autem dicitur *probate me*, non eſt intelligendum cauſaliter, quaſi ad hoc ſoluere debebent decimas, vt probarent ſi Deus aperiret eis cataractas cœli: ſed conſecutiuè, quia ſcilicet ſi decimas ſoluerent, experimento probaturi erant beneficia quæ eis Deus conferret.

Ad 2. R. quòd duplex eſt cognitio diuinæ bonitatis vel voluntatis, vna quidem ſpeculatiua: & quantùm ad hanc, non licet dubitare nec probare vtrum Dei voluntas ſit bona; vel vtrum Deus ſit ſuauis. Alia autem eſt cognitio diuinæ voluntatis ſiue bonitatis, affectiua ſiue experimentalis; dum quis experitur in ſeipſo guſtum diuinæ dulcedinis, & complacentiam diuinæ voluntatis. Et hoc modo monemur vt probemus Dei voluntatem, & guſtemus eius ſuauitatem.

Ad 3. R. quòd Deus volebat ſignum dare regi Achas, non pro ipſo ſolùm; ſed pro totius populi inſtructione. Et ideo reprehenditur quaſi impeditor communis boni & ſalutis, quòd ſignum petere nolebat. Nec petendo tentaſſet Deum, tum quia ex mandato Dei petiiſſet; tum quia hoc pertinebat ad vtilitatem communem. Abrahā autem ſignum petiit ex inſtinctu diuino, & ideo non peccauit. Gedeon verò ex debilitate fidei ſignum petiiſſe videtur, & ideo à peccato non excuſatur. Sicut & Zacharias *Luc.* 1.
peccauit dicens ad Angelum, vnde *v.* 18.
ſciam? Vnde & propter hanc incredulitatem punitus fuit.

Sciendum tamen quòd dupliciter aliquis ſignum petit à Deo: vno modo ad explorandum diuinam poteſtatem, aut veritatem dicti eius: & hoc de ſe pertinet ad Dei tentationem. Alio modo ad hoc quòd inſtruatur quid circa aliquod factum ſit placitum Deo: & hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem. 22. *q.* 97. *art.* 2.

GENESIS Cap. XVI. *v.* 3.

Tulit Agar ancillam ſuam, & dedit eam viro ſuo vxorem.

Dicitur quòd *lex propter* *Gal.* 3.
præuaricatores poſita eſt, vt *v.* 19.
ſcilicet eos prohiberet: ſed lex vetus fecit mentionem de pluralitate vxorum ſine aliqua eius prohibitione, vt patet; *ſi habuerit* *Deut.*
homo duas vxores &c. Ergo haben- 21. *v.* 15.
do duas vxores, non erant præuaricatores; & ita erat licitum.

Præterea, Hoc idem videtur exemplo ex ſanctis patribus, qui

Digitized by Google

plures leguntur habuiſſe vxores, cùm Deo eſſent accepriſſimi ; ſicut Iacob & Dauid, & plures alii ; ergo aliquando fuit licitum.

Dicendum quod pluralitas vxorum dicitur eſſe contra legem naturæ, non quantùm ad prima præcepta eius, ſed quantùm ad ſecunda ; quæ quaſi concluſiones à primis præcepris deriuantur. Sed quia actus humanos variari oportet ſecundùm diuerſas conditiones perſonarum & temporum & aliarum circumſtantiarum ; ideo concluſiones prædictæ à primis legis naturæ præceptis non procedunt, vt ſemper efficaciam habentes, ſed in maiori parte : Talis eſt enim tota materia moralis. Et ideo vbi eorum efficacia deficit, licitè ea prætermitti poſſunt.

Quomodo licita vxorũ pluralitas.

Sed quia non eſt facilè determinare huiuſmodi varietates ; ideo illi, ex cuius auctoritate lex efficaciam habet, reſeruantur ; vt licentiam præbeat legem prætermittendi in illis caſibus, ad quos legis efficacia ſe extendere non debet. Et talis licentia diſpenſatio dicitur. Lex autem de vnitate vxoris non eſt humanitus, ſed diuinitus inſtituta ; nec vnquam verbo aut literis tradita, ſed cordi impreſſa, ſicut & alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc, à ſolo Deo diſpenſatio fieri potuit per inſpirationem internam ; quæquidem principaliter patribus ſanctis facta eſt, & per eorum exemplum ad alios deriuata eſt eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, vt maior eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Semper enim principalitor finis magis obſeruandus eſt quàm ſecundarius. Vnde cùm bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, vbi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debet negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus euenire ; ad quod remouendum præceptum prohibens pluralitatem vxorum ordinatur. *Supplem. q. 65. art. 2. & lib. 4. ſent. & ad Annibald. Diſt. 33. art. 3.*

GENESIS. Cap. 16. v. 4.

Qui ingreſſus eſt ad eam.

NOn poteſt aliqua ſimul eſſe ancilla & vxor : vnde ſecundùm legem ex hoc ipſo quòd ancilla in matrimonium ducebatur, libera reddebatur : ſed aliqui amiciſſimi Deo leguntur ad ſuas acceſſiſſe ancillas, ſicut Abraham & Iacob ; ergo illæ non erant vxores ; & ſic aliquando licuit concubinas habere.

Præterea illa quæ in matrimonium ducitur, non poteſt eiici, & filius eius debet eſſe hæreditatis particeps : ſed Abraham eiecit Agar, & filius eius non fuit hæres ; ergo non fuit vxor Abrahæ.

Sed contra. Eà quæ ſunt contra præcepta decalogi, nunquam licuerunt : ſed habere concubinam eſt contra præceptum Decalogi, ſcilicet, *non Mœchaberis* ; ergo nunquam fuit licitum.

Dicendum quòd cùm habere concubinam non matrimonio iunctam ſit contra legem naturæ, nullo tempore ſecundùm ſe licitum fuit ; nec etiam ex diſpenſatione: concubitus enim cum ea quæ non eſt matrimonio iuncta, non eſt conueniens actio ad bonum prolis,

Cõcubina nunquã fuit licita.

quod eſt principalis finis matrimonii : & ideo eſt contra prima præcepta legis naturæ, quæ diſpenſationem non recipiunt. Vnde vbicumque legitur in veteri Teſtamento, aliquos habuiſſe concubinas, quos neceſſe ſit à peccato mortali excuſari; oportet eas eſſe matrimonio iunctas : & tamen concubinas dici; quia aliquid habebant de ratione vxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Secundùm enim quod matrimonium ordinatur ad ſuum principalem finem, qui eſt bonum prolis, vxor viro coniungitur inſolubili coniunctione, vel ſaltem diuturnâ. Et circa hoc non eſt aliqua diſpenſatio, ſed quantùm ad ſecundum finem, qui eſt diſpenſatio familiæ, & communicatio operum, vxor enim coniungitur viro vt ſocia : ſed hoc deerat in his quæ concubinæ nominabantur, in hoc enim poterat eſſe diſpenſatio, cùm ſit ſecundarius matrimonii finis. Et ex hac etiam parte habebant aliquid ſimile concubinis, ratione cuius concubinæ nominabantur.

Ad 1. R. quòd antiqui patres eâ diſpenſatione qua plures habebant vxores ad ancillas accedebant vxorio affectu; erant enim vxores quantùm ad principalem & primarium finem matrimonii : ſed non quantùm ad illam coniunctionem quæ reſpicit ſecundarium finem, cui conditio ſeruitutis opponitur; cùm nō poſſit ſimul eſſe ſocia & ancilla.

Ad ſecundum dicendum quòd ſicut in lege Moyſi per diſpenſationem licebat dare libellum repudii ad euitandum vxoricidum : ita ex eadem diſpenſatione licuit Abrahæ ducere Agar, ad ſignificandum myſterium quod Apoſtolus explicat.
Quod etiam ille filius hæres non Gal. 4.
fuerit, ad myſterium pertinet, vt v. 21.
ibidem patet. Et quòd Eſau filius Rom. 9.
liberæ, hæres non fuit, vt patet. v. 13.

Similiter etiam propter myſterium factum fuit, vt filii Iacob ex ancillis & liberis nati, hæredes eſſent; quia Chriſto naſcuntur in Baptiſmo filii & hæredes. tam per bonos, quos libera ſignificat, quàm per malos miniſtros, qui per ancillas ſignificantur. *Lib. 4. ſent. Diſt. 33. q. 1. art. 3. & ſupplem. q. 65. art. 5.*

Qui ingreſſus eſt ad eam. Videtur quod fornicatio ſimplex non ſit peccatum mortale; ea enim quæ ſimul connumerantur videntur eſſe vnius rationis : ſed fornicatio connumeratur quibuſdam quæ non ſunt peccata mortalia, dicitur
enim *abſtineatis vos ab immolatis* Act. 15.
ſimulachrorum & ſanguine, & ſuffo- v. 29.
cato, & fornicatione : illorum autem vſus non eſt peccatum mortale,
ſecundùm illud, *nihil reijciendum* 1. Tim.
eſt quod cum gratiarum actione perci- 4. v. 4.
pitur; ergo fornicatio non eſt peccatum mortale.

2. Nullum peccatum mortale cadit ſub præcepto diuino : ſed præ-
cipitur à Domino, *Vade ſume tibi* Oſee. 1.
vxorem fornicationum, & fac filios v. 2.
fornicationum; ergo fornicatio non eſt peccatum mortale.

3. Multum peccatum mortale in ſcriptura S. abſque reprehenſione commemoratur : ſed fornicatio ſimplex commemoratur in ſcriptura in antiquis patribus ſine reprehenſione, vt patet de Abraham in
textu; & de Iacob, quòd *acceſſit ad* Gen. 30.
ancillas vxorum ſuarum; & quòd v. 5.
Iudas acceſſit ad Thamar, quam Gen. 38.
æſtimauit meretricem, ergo forni- v. 15.
catio

Digitized by Google

catio ſimplex non eſt peccatum mortale.

4. Omne peccatum mortale contrariatur charitati : ſed fornicatio ſimplex non contrariatur charitati, neque quantùm ad dilectionem Dei; quia non eſt directè peccatum contra Deum: nec etiam quantùm ad dilectionem proximi ; quia per hoc homo nulli facit iniuriam ; ergo fornicatio ſimplex non eſt peccatum mortale.

5. Quod eſt cibus ad ſalutem corporis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis: ſed non omnis inordinatus vſus ciborum eſt peccatum mortale; ergo nec omnis inordinatus concubitus ; quod maximè videtur de fornicatione ſimplici, quæ minima eſt inter ſpecies luxuriæ.

Tob. 4. v. 13. Sed contra eſt quod dicitur, *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire* : crimen autem importat peccatum mortale ; ergo fornicatio & omnis concubitus, qui eſt præter vxorem, eſt peccatum mortale.

Item, nihil excludit à regno Dei, niſi peccatum mortale: Fornicatio autem excludit, vt patet, vbi præmiſſâ fornicatione & quibuſdam *Gal. 5. v. 21.* aliis vitiis, ſubditur, *qui talia agunt regnum Dei non conſequuntur* ; ergo fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale.

Fornicatio eſt peccatum mortale. Dicendum quòd abſque omni dubio tenendum eſt quod fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale. Ad huius autem euidentiam conſiderandum eſt, quod peccatum mortale eſt omne peccatum quod committitur directè contra vitam hominis: Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem quæ vergit in nocumentum vitæ eius qui eſt ex tali concubitu naſciturus. Manifeſtum eſt autem quòd ad educationem hominis, non ſolùm requiritur cura matris à qua nutritur, ſed multò magis cura patris à quo eſt inſtruendus & defendendus, & in bonis tam interioribus quàm exterioribus promouendus.

¶ Et ideo contra naturam hominis eſt quòd vtatur vago concubitu: ſed oportet quod ſit maris ad determinatam fœminam cum qua permaneat, non per modicum tempus, ſed diu vel etiam per totam vitam. Et inde eſt quòd naturaliter eſt maribus in ſpecie humana ſolicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur, ſi eſſet vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ fœminæ, matrimonium vocatur, & ideo dicitur eſſe de iure naturali. Vnde cùm fornicatio ſit concubitus vagus, vt pote præter matrimonium exiſtens ; eſt contra bonum prolis educandæ, & ideo eſt peccatum mortale.

Nec obſtat ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens, ſufficienter prouideat proli de educatione, quia id quod cadit ſub legis determinatione, iudicatur ſecundùm id quod communiter accidit; & non ſecundùm id quod in aliquo caſu poteſt accidere.

Ad 1. R. quòd fornicatio illis communeratur, non quia habet eandem rationem culpæ cum aliis; ſed quantùm ad hoc quòd ex his quæ ibi ponuntur, ſimiliter poterat diſſidium generari inter Iudæos & Gentiles, & eorum vnanimis conſenſus impediri: Quia apud gentiles

fornicatio ſimplex non reputabatur illicita, propter corruptionem naturalis rationis; Iudæi autem ex lege diuina inſtructi, eam illicitam reputabant. Aliâ verò quæ ibi ponuntur, Iudæi abominabantur propter conſuetudinem legalis conuerſationis. Vnde Apoſtoli ea gentibus interdixerunt, non quaſi ſecundùm ſe illicita, ſed quaſi Iudæis abominabilia.

Ad 2. R. quòd fornicatio dicitur eſſe peccatum, inquantum eſt contra rationem rectam. Ratio autem hominis recta eſt ſecundùm quod regulatur voluntate diuinâ quæ eſt prima & ſumma regula. Et ideo quod homo facit ex voluntate Dei, eius præcepto obediens, nôn eſt contra rationem rectam; quamuis videatur eſſe contra communem ordinem rationis. Sicut etiam non eſt contra naturam quod miraculosè fit virtute diuinâ, quamuis ſit contra communem curſum naturæ. Et ideo ſicut Abraham non peccauit, filium innocentem volendo occidere; propter hoc quòd obediuit Deo; quamuis hoc ſecundùm ſe conſideratum, ſit communiter contra rectitudinem rationis humanæ. Ita etiam Oſee non peccauit fornicando ex præcepto diuino.

Ad 3. R. quòd Abraham & Iacob ad ancillas acceſſerunt, non quaſi fornicario concubitu, ſed quaſi ad vxores. Iudam autem non eſt neceſſarium à peccato excuſare, qui etiam auctor fuit venditionis Ioſeph.

Ad 4. R. quòd fornicatio ſimplex contrariatur dilectioni proximi, quantùm ad hoc quod repugnat bono prolis naſcituræ.

Ad 5. R. quòd ex vno concubitu poteſt vnus homo generari. Et ideo inordinatio concubitus quæ impedit bonum prolis naſcituræ, ex ipſo genere actus eſt peccatum mortale, & non ſolùm ex inordinatione concupiſcentiæ. Ex vna autem comeſtione non impeditur bonum totius vitæ vnius hominis: & ideo actus gulæ ex ſuo genere non eſt peccatum mortale. Eſſet tamen, ſi quis ſcienter cibum comederet, qui totam conditionem vitæ eius immutaret; ſicut patet de Adam. Nec tamen fornicatio eſt minimum peccatorum, quæ ſub luxuria continentur: minus enim eſt concubitus cum vxore qui fit ex libidine. 22. *q.* 154. *art.* 2.

Genesis Cap. 16. v. 6.

Ecce ancilla tua in manu tua eſt, vtere eâ vt libet.

AGar cognita eſt ab Abraham vxorio affectu: ſed ipſe eam præcepto diuino eiecit, & non peccauit; ergo potuit per diſpenſationem fieri licitum, quòd homo vxorem dimitteret. *ſupplem. quæſt.* 67. *art.* 2.

Genesis Cap. XVII. v. 1.

Ego Deus omnipotens.

DIuina virtus non eſt determinate ad aliquem vnum effectum. *In quæſt. Diſp. q.* 1. *de potentia art.* 7. *Libro* 2. *contra Gentil. cap.* 22. 1. *p. q.* 25, *art.* 3.

Digitized by Google

GENESIS Cap. 17. *v.* 1.

Ambula coram me & eſto perfectus.

ALiquid ad finem ordinatur dupliciter: vno modo vt neceſſarium ad finem, ſiue quo finis eſſe non poteſt, ſicut cibus ad vitam corporis conſeruandam: Alio modo ſicut neceſſarium ad finem, ſine quo ad finem non ita bene perueniri poteſt; ſicut equus ordinatur ad iter, non quia ſine equo aliquis ire non poſſit, ſed quia in equo meliùs vadit.

Præcepta abſque cōſiliis obſeruari poſſunt.

Similiter & conſilia ordinantur ad præcepta, non quia ſine conſiliis præcepta obſeruari non poſſint, & quantùm ad interiores actus, & quantùm ad exteriores. Nam Abraham qui & coniugio & diuitiis vtebatur, fuit coram Deo perfectus, vt patet in textu. Sed quia per conſilia faciliùs & expeditiùs ad perfectam præceptorum obſeruantiam peruenitur. *Quodlibeto* 4. *art.* 24. *ad tertium*.

GENESIS Cap. 17. *v.* 10.

Circumcidetur in vobis omne maſculinum.

VIdetur quòd circumciſio fuerit inconuenienter inſtituta; nam in circumciſione fiebat quædam fidei profeſſio: ſed à peccato primi hominis nullus vnquam ſaluari potuit, niſi per fidem paſſionis Chriſti; ergo ſtatim poſt peccatum primi hominis circunciſio inſtitui debuit, & non tempore Abrahæ.

2. In circunciſione homo profitebatur obſeruantiam veteris legis, ſicut in baptiſmo profitetur obſeruantiam nouæ legis. Vnde dicitur, *Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*: ſed legalis obſeruantia non eſt tradita tempore Abrahæ, ſed magis tempore Moyſi; ergo inconuenienter inſtituta eſt circunciſio tempore Abrahæ. *Gal.* 5. *v.* 3.

3. Circunciſio fuit figuratiua & præparatiua baptiſmi: ſed baptiſmus exhibetur omnibus populis; ergo circunciſio non debuit inſtitui vt obſeruanda tantùm ab vno populo.

Dicendum quòd circunciſio erat præparatoria ad baptiſmum, in quantum erat quædam profeſſio fidei Chriſti, quam etiam nos in baptiſmo profitemur. Inter antiquos autem patres primus Abraham promiſſionem accepit de Chriſto naſcituro, cùm dictum eſt ei, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. Ipſe etiam primus ſe à ſocietate infidelium ſegregauit, ſecundùm mandatum Dei dicentis, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua*; & ideo conuenienter circunciſio fuit inſtituta in Abraham. *Gen.* 22. *v.* 18. *Gen.* 12. *v.* 1.

Ad 1. R. quòd immediatè poſt peccatum primi parentis, propter doctrinam ipſius Adæ (qui plenè inſtructus fuerat de diuinis) adhuc fides & ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quòd non oportebat determinari hominibus aliqua ſigna fidei & ſalutis: ſed vnuſquiſque pro ſuo libito fidem ſuam aliquibus ſignis proteſtabatur. Sed circa tempus Abrahæ, diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus. Obſcurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiſcentiæ, vſque ad

Digitized by Google

peccatum contra naturam. Et ideo conuenienter tunc & non ante, fuit inſtituta circuncifio ad profitendum fidem, & ad minuendum carnalem concupiſcentiam.

Ad 2. R. quòd legalis obſeruantia tradi non debuit niſi populo iam congregato; quia lex ordinatur ad bonum publicum. Populus autem fidelium congregandus erat aliquo ſigno ſenſibili, quod eſt neceſſarium ad hoc quod homines in quacumque religione adunentur. Et ideo oportuit priùs inſtitui circuncifionem, quàm lex daretur. Illi autem patres qui fuerunt ante legem, familias ſuas inſtruxerunt de rebus diuinis, per modum paternæ admonitionis.

Ad 3. R. quòd baptiſmus in ſe continet perfectionem ſalutis, ad quam Deus omnes homines vocat; & ideo baptiſmus omnibus populis proponitur: circuncifio autem non continebat perfectionem ſalutis, ſed figurabat ipſam vt fiendam per Chriſtum, qui erat ex Iudæorum populo naſciturus; & ideo illi ſoli populo data eſt circuncifio.

Nota quòd circuncifio inſtituta eſt vt ſignum fidei Abrahæ, qui credidit ſe patrem futurum Chriſti ſibi repromiſſi: & ideo conuenienter ſolis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod ſpecialiter circuncifio ordinabatur; à patre trahitur, non à matre: ſed baptiſmus continet virtutem Chriſti, qui eſt vniuerſalis cauſa ſalutis omnium, & remiſſionis omnium peccatorum. 3. *p. q.* 70. *art.* 2. Idem locus explicatur ſupra. *Geneſ.* 4. *verſ.* 3.

Circumcidetur in vobis omne maſculinum. Videtur quòd omnibus populis circumcifio dari debuerit, quia data eſt in remedium contra originale: ſed morbus iſte communis omnibus erat. Item de ſemine Abrahæ multi populi proceſſerunt præter filios Iſraël, ſicut Iſmaëlitæ, Idumæi.

Dicendum quòd circumcifio eſt ſignum diſtinguens populum Dei ab aliis; ideo oportebat populo Iſraël ſpecialiter circumciſionem datam eſſe, non ſolùm quantùm ad illos qui de ſtirpe Iacob erant, ſed quantùm ad omnes qui ad populum illum qualitercumque pertinebant. Circũciſio filiis Iſraël data. Ad argumentum dicendum, quòd apud alios remanebant adhuc alia remedia, quæ fuerant ante circunciſionem data. Quantùm verò ad promiſſionem factam Abrahæ, ſeparatus eſt per electionem Dei Iſaac ab Iſmaële, Iacob ab Eſau, vt patet. Non autem aliqua ſegregatio facta eſt in filiis Iſraël: & ideo omnes filii Iſraël pertinebant ad populum Dei peculiarem. *Rom. 9. v. 13.* Et propter hoc illis ſolis circumcifio competebat, quaſi nunquam à familia Abrahæ ſeparatis. Iſmael & Eſau tenebantur ad circunciſionem, quandiuerant in familia parentum, non autem poſt receſſum ab eis. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 2.

Circumcidetis carnem præputij veſtri. Videtur quòd determinatio membri non fuerit de neceſſitate circumciſionis; in Sacramentis enim ſignum debet reſpondere ſignato: ſed purgatio originalis quæ ſignificatur per circumciſionem, non eſt ſecundùm aliquam partem determinatam, ſed ſecundùm totum; ergo nec circumcifio debet aliquam partem determinatam habere.

Digitized by Google

2. Sacramenta maximam honeſtatem in ſe habere debent: ſed membra generationis videntur eſſe turpia & verecunda; ergo non decuit vt in illo membro determinatè aliquod ſacramentum daretur.

Dicendum quòd circumciſio erat in ſignum purgationis originalis peccati; & in ſignum diſtinctionis populi, ex quo Chriſtus propagandus erat; & in ſignum caſtitatis ſeruandæ. Et quantùm ad omnia hæc decuit vt in membro generationis fieret; quia per actum generationis, & originale contrahitur, & Chriſtus ab illo populo deſcendit; & in illo actu caſtitas conſiſtit: & ideo membrum generationis erat de neceſſitate circuncidendum & quantùm ad efficaciam ſacramenti, & quantùm ad obligationem præcepti.

Ad 1. R. quòd quamuis originale peccatum quantùm ad eſſentiam, non determinet aliquam partem corporis, neque quantùm ad effectum; tamen quantùm ad cauſam determinat.

Ad 2. R. quòd membrum generationis quod de ſe nobile erat, propter concupiſcentiam quæ præcipuè in parte illa viget, ignobile redditum eſt. Et ideo oportebat quòd in illo membro præcipuè medicina apponeretur. *Lib. 4. ſent. Diſt. 1. q. 2. art. 3.*

Nota quòd literalis ratio circumciſionis principalis quidem fuit ad proteſtationem fidei vnius Dei. Et quia Abraham fuit primus qui ſe ab infidelibus ſeparauit, exiens de domo ſua & de cognatione ſua; ideo ipſe primus circumciſionem accepit. Et vt hæc proteſtatio & imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Iudæorum, acceperunt ſignum in carne ſua cuius obliuiſci non poſſent. Secunda ratio eſſe potuit ad debilitationem concupiſcentiæ in membro illo. Tertia ratio eſt in ſugillationem ſacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur. 12. *q.* 102. *art.* 5. *ad primum. vide.* 3. *p. q.* 70. *art.* 3.

GENESIS Cap. 17. *v.* 12.

Infans octo dierum circumcidetur.

Dicendum quòd circumciſio & erat in præcepto, & erat Sacramentum. Octaua ergo dies erat de neceſſitate circumciſionis, quantùm ad obligationem præcepti; ita quòd reus tranſgreſſionis erat, qui illud tempus non obſeruabat Sed non erat de neceſſitate eius quantùm ad efficaciam Sacramenti; quia etiam in alio tempore circumciſio facta, ſuum effectum Sacramentale habebat.

Dices: poterat contingere quod dies octauus erat dies ſabbati: ſed in die illo præcepta erat requies ab exterioribus operibus; ergo non erat de neceſſitate circumciſionis quòd octauo die fieret. R. quòd dies ſabbati non impediebat circumciſionem. Non enim erat opus purè corporale, ſed ſacramentale; ſicut & ſacrificia, quæ in ſabbato offerri licebat. Et ideo dicitur, *Circumciſionem accipit homo in ſabbato, & non ſoluitur lex Moyſi.* *Ioan. 7. v. 23.*

Dices ſecundò, illi qui vagati ſunt in deſerto, non fuerunt octauo die circumciſi; ſed poſtea tempore Ioſue in Galgala, & profuit illis circumciſio; nec illis obfuit ad tranſgreſſionem, vt videtur qui in *Ioſue 5. v. 2.*

Digitized by Google

deſerto mortui ſunt incircumciſi; ergo determinatio temporis non eſt de neceſſitate circumciſſionis. R. quòd illis qui in deſerto vagabantur, diſpenſatio præcepti facta eſt propter neceſſitatem, quæ tangitur; quia ſcilicet neſciebant quando caſtra mouenda eſſent. Et iterum quia non erat neceſſe eos tunc aliquod ſignum diſtinctionis habere, quando ſeorſum ab aliis hominibus habitabant. Non autem conſtat quòd aliqui de illis qui in deſerto nati ſunt, in deſerto mortui ſunt; & videtur probabile quòd non, quia dicitur, *Non erat in tribubus eorum infirmus*; & ita nullus eſt ibi mortuus incircumciſus. Si tamen aliqui incircumciſi mortui ſunt, idem dicendum eſt de eis, & de illis qui ante circumciſionis inſtitutionem moriebantur. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 3.

Ibid.

Pſ. 104. *v.* 37.

GENESIS, Cap. 17. *v.* 13.

Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.

Videtur quòd circumciſio ceſſare non debuerit: dicitur enim quòd circumciſio datur *in fœdus æternum*: ſed æternum eſt quod nullo fine clauditur.

Gal. 5. *v.* 2. Sed contra, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Dicendum quòd cùm venit quod perfectum eſt, euacuari debet quod ex parte eſt, ſi ad idem ordinetur; quia gratia non facit per duo, quod per vnum poteſt facere, ſicut nec natura. Circumciſio autem imperfecta erat reſpectu baptiſmi tripliciter: Primò quantùm ad ſignificationem; quia non ita ſignificabat expreſsè emundationem totius hominis, ab immunditia totius culpæ originalis, ſicut ablutio baptiſmalis. Secundò quantùm ad efficaciam, quia non tam abundans gratia ad operandum, & reprimendum fomitem in circumciſione dabatur, ſicut in Baptiſmo. Tertiò quantùm ad vtilitatem; quia non erat eius vtilitas ita communis ſicut Baptiſmi; cùm haberet determinatum populum, determinatum ſexum, & determinatum tempus; quod in Baptiſmo non accidit: & ideo adueniente tempore plenitudinis debuit ceſſare baptiſmo ſubſtituto.

Ad Argum. R. quòd æternum accipitur pro ſeculo, quod habet quidem finem, ſed non eſt determinatus nobis. Vel dicendum quòd circumciſio corporalis potuit eſſe in fœdus æternum, quantùm ad ſuum ſignificatum, & quantùm ad id quod ei ſuccedit: ſicut etiam fides poteſt dici ſemper manere ratione viſionis, quæ ei ſuccedit in patria. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 5.

GENESIS. Cap. XVIII. *v.* 2.

Apparuerunt ei tres viri.

Videtur quòd Angeli non poſſint corpus aſſumere; corpus enim ſubſtantiæ incorporeæ vnitum eſſe non poteſt, niſi vel quantùm ad eſſe, vel quantùm ad motum: ſed Angeli non poſſunt habere vnita ſibi corpora quantùm ad eſſe, quia ſic eſſent eis naturaliter vnita; ergo relinquitur quòd non poſſint corporibus vniri, niſi in quantùm mouent ea: ſed hoc non ſufficit ad rationem aſſumptio-

Digitized by Google

nis,quia ſic Angelus aſſumeret omne corpus quod mouet, quod patet eſſe falſum.

2. Si Angeli vel dæmones corpora aſſumant, hoc non eſt propter eorum neceſſitatem; ſed vel propter nos inſtruendos quantùm ad bonos, vel decipiendos quantùm ad malos: ſed ad vtrumque ſufficit ſola imaginaria viſio; ergo non videtur quod corpora aſſumant.

3. Deus in vet. Teſt. Patribus apparuit: ſed non eſt dicendum quòd Deus corpus aſſumpſerit, niſi per myſterium incarnationis; ergo nec Angeli apparentes corpora aſſumunt.

4. Sicut vniri corpori naturaliter conuenit animæ, ita non eſſe vnitum naturaliter conuenit Angelo: ſed anima non poteſt à corpore ſeparari cùm vult; ergo nec Angelus poteſt corpus aſſumere.

5. Si Angeli aſſumunt aliquod corpus, aut toti corpori vniuntur, aut alicui parti eius: ſi ſolùm alicui parti, non poterunt totum corpus mouere, niſi vnam partem moueant alterâ mediante; quod non videtur poſſe contingere niſi corpus aſſumptum habeat partes organicas determinatas ad motum, quod eſt ſolùm corporum animatorum. Si autem toti corpori vniuntur immediatè, oportet quod ſit in qualibet parte corporis aſſumpti Angelus, & conſtat quòd totus, cùm ſit impartibilis; ergo erit in pluribus locis ſimul, quod eſt ſolius Dei; non ergo Angelus poteſt corpus aſſumere.

Dicendum quod Angeli quandoque corpus aſſumunt formando corpus ſenſibile, exteriori ſiue corporali viſioni ſubiectum. Hoc autem conueniens eſt propter tres rationes. Primò quidem & principaliter quia omnes illæ apparitiones veteris Teſt. ad illam apparitionem ordinantur, in qua filius Dei viſibilis mundo apparuit. Vnde cùm filius Dei verum corpus aſſumpſerit, conueniens fuit vt etiam vera corpora aſſumendo, Angeli hominibus apparerent. Angeli poſſunt corpora aſſumere.

Secundò vt non ſolùm intellectum hominum illuminent per intellectualem viſionem: ſed etiam imaginationi prouideant, & exteriori ſenſui, per imaginariam viſionem corporum ſcilicet aſſumptorum.

Tertiò, quia etſi Angeli naturâ ſint nobis ſuperiores, per gratiam tamen adipiſcimur eorum æqualitatem & ſocietatem. Et ideo vt ſuam familiaritatem & affinitatem ad nos oſtendant, nobis ſuo modo per corporum aſſumptionem conformantur: vt quod noſtrum eſt accipientes; noſtrum intellectum in illud aſſurgere faciant, quod proprium eſt ipſorum: ſicut & filius Dei dum ad nos deſcendit, ad ſua nos eleuauit.

Dæmones autem quando in Angelos lucis ſe transfigurant, quod boni Angeli ad noſtrum profectum faciunt, ipſi ad deceptionem facere moliuntur.

Ad 1. R. quòd non omne corpus, quod mouet Angelus, aſſumit: Aſſumere enim dicitur quaſi ad ſe ſumere. Aſſumit ergo Angelus corpus, non vt ſuæ naturæ vniatur, ſicut homo aſſumit cibum, neque vt vniat ſuæ perſonæ, ſicut filius Dei aſſumpſit humanam naturam: ſed ad ſuam repræſentationem, illo

modo quo intelligibilia per ſenſibilia repræſentari poſſunt. Tunc ergo Angelus corpus aſſumere dicitur quando corpus aliquod hoc modo format, quod ad repræſentationem ſuam eſt aptum: nam per corporales formas Angelorum proprietates intelliguntur.

Ad 2. R. quòd non ſolùm imaginaria viſio eſt vtilis ad noſtram inſtructionem, ſed etiam corporalis.

Ad 3. R. quòd omnes Dei apparitiones quæ in veteris Teſt. leguntur, factæ ſunt miniſterio Angelorum: quamuis in eis Deus apparuiſſe dicitur, quia ipſe Deus erat finis in quem per repræſentationem huiuſmodi corporum, Angeli mentem hominis eleuare intendebant.

Ad 4. R. quòd nulla res habet poteſtatem ſupra ſuum eſſe; omnis enim rei virtus ab eſſentia eius fluit, vel eſſentiam præſupponit. Et quia anima per ſuum eſſe, vnitur corpori vt forma; non eſt in poteſtate eius vt ab vnione corporis ſe abſoluat. Et ſimiliter non eſt in poteſtate Angeli quòd ſe vniat corpori ſecundùm eſſe vt formam; ſed poteſt vniri corpori vt motor, & vt figuratum figuræ.

Ad 5. R. quòd Angelus eſt totus in toto corpore aſſumpto, & in qualibet parte eius, eâdem ratione qua & anima: licet enim non ſit forma corporis aſſumpti vt anima, eſt tamen motor. Mouens autem & motum oportet eſſe ſimul. Et tamen non ſequitur vt ſit in pluribus locis; comparatur enim totum corpus aſſumptum ad Angelum, ſicut vnus locus. *In quæſt. Diſp. q. 6. de potentia art. 7. P. 1. p. q. 51. art. 2. & lib. 2. ſent. Diſt. 8. art. 2.*

GENESIS Cap. 18. *v.* 2.

Et adorauit in terram.

ABraham tres viros qui Angeli erant, adorauit adoratione latriæ.

Dicendum quòd Angeli illi non apparuerunt Abrahæ in propria natura, ſed in quibuſdam corporibus quaſi imaginibus aſſumptis: vnde in quantùm erant imagines repræſentantes Trinitatem, poterant adorari latriâ: non autem in quantùm repræſentabant Angelos ipſos. *Lib. 3. ſent. Diſt. 9. q. 1. art. 2.*

Et adorauit in terram. Videtur quòd adoratio non ſit actus latriæ, ſiue religionis; cultus enim religionis ſoli Deo debetur: ſed adoratio non debetur ſoli Deo, vt patet in textu. Et, Nathan Propheta ingreſſus ad Regem Dauid, *adorauit eum pronus in terram*; ergo adoratio non eſt actus religionis. 3. Reg. 1. v. 23.

2. Vnus religionis cultus tribus perſonis debetur: non autem vnâ adoratione adoramus tres perſonas: ſed ad inuocationem trium perſonarum ſingulariter genu flectimus; ergo adoratio non eſt actus latriæ.

Sed contra eſt, *Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Dicendum quòd adoratio ordinatur in reuerentiam eius qui adoratur: manifeſtum eſt autem quòd religionis proprium, eſt reuerentiam Deo exhibere, cùm enim ſeruus dicatur ad Dominum, neceſſe eſt quod vbi eſt propria & ſpecialis ratio dominii, ibi ſit ſpecialis & propria ratio ſeruitutis. Manifeſtum eſt autem quòd dominium conuenit Deo ſecundùm propriam & ſingularem quandam rationem, quia ſcilicet ipſe Matt. 4. v. 10. Adoratio Deo debetur.

Digitized by Google

ipſe omnia fecit; & quia ſummum in omnibus rebus obtinet principatum: & ideo ſpecialis ratio ſeruitutis ei debetur. Et talis ſeruitus nomine latriæ deſignatur apud Græcos; & ideo ad religionem propriè pertinet: vnde adoratio qua Deus adoratur, eſt religionis actus.

Ad 1. R. quòd Deo debetur reuerentia propter eius excellentiam; quæ aliquibus creaturis communicatur non ſecundùm æqualitatem, ſed ſecundùm quandam participationem. Et ideo aliâ veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam; & aliâ veneratione quaſdam excellentes creaturas; quod pertinet ad duliam.

Et quia ea quæ exteriùs aguntur, ſigna ſunt interioris reuerentiæ; quædam exteriora ad reuerentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum eſt adoratio. Sed aliquid eſt quod ſoli Deo exhibetur, ſcilicet ſacrificium.

Secundùm reuerentiam ergo quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauid: ſecundùm autem reuerentiam quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, *timens ne honorem Dei transferret ad hominem.* Et ſimiliter ſecundùm reuerentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adorauit Angelos, & etiam Ioſue; quamuis poſſit intelligi quòd adorauerint adoratione latriæ Deum, qui in perſona Angeli apparebat & loquebatur. Secundùm autem reuerentiam quæ debetur Deo, prohibitus eſt Ioannes Angelum adorare, Tum ad oſtendendum dignitatem hominis quam adeptus eſt per Chriſtum, vt Angelis æquetur: vnde ibi ſubditur, *Conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum.* Tum etiam ad excludendum idololatriæ occaſionem; vnde ſubditur, *Deum adora.*

Eſter. 13. v. 14.

Ioſue 5. v. 15.

Apo. ult. v. 9.

Ad 2. Dicendum quòd quia vna eſt excellentia trium perſonarum, vnus honor & reuerentia eis debetur, & per conſequens vna adoratio, in cuius figuram cùm Abrahæ tres viri apparuerunt; adorans vnum alloquitur dicens, *Domine ſi inueni gratiam, &c.* Terna autem genu flectio ſignum eſt ternarii perſonarum, non autem diuerſitatis adorationum. 22. q. 88. art. 1.

GENESIS Cap. 18. v. 9.

Cumque comediſſent, &c.

Videtur quòd Angeli in corporibus aſſumptis opera vitæ exerceant, quia comederunt, locuti ſunt, ambulauerunt. Dicendum quòd quædã opera viuentium habent aliquid commune cum aliis operibus, vt locutio quæ eſt opus viuentis conuenit cum aliis ſonis inanimatorum, inquantum eſt ſonus; & progreſſio cum aliis motibus, inquantum eſt motus. Quantum ergo ad id quod eſt commune vtriſque operibus, poſſunt opera vitæ fieri ab Angelis per corpora aſſumpta; non autem quantùm ad id quod propriũ eſt viuentium: quia nihil poteſt habere opus vitæ quod non habeat vitam, quæ eſt potentiale principium talis actionis.

Angeli non exercent opera vitæ in corporibus.

Nota quòd Angeli aſſumunt corpora cum organis, vt per ea virtutes ſpirituales Angelorum deſignentur; ſicut per oculum deſignatur virtus cognitiua Angeli, &c.

Digitized by Google

Ad Argum. R. quod comedere propriè loquendo Angelis non conuenit, quia comeſtio importat ſumptionem cibi conuertibilis in ſubſtantiam comedentis. Et quamuis in corpus Chriſti poſt reſurrectionem cibus non conuerteretur, ſed reſolueretur in præiacentem materiam; tamen Chriſtus habebat corpus talis naturæ, in quod poſſet cibus conuerti; vnde fuit vera comeſtio. Sed cibus ſumptus ab Angelis neque conuertebatur in corpus aſſumptum, neque corpus illud talis erat naturæ in quod poſſet alimentum conuerti; vnde non fuit vera comeſtio, ſed figuratiua ſpiritualis comeſtionis. Et hoc eſt

Tob 12. v. 19. quod Angelus dixit, *Cùm eſſem vobiſcum videbar quidem manducare & bibere, ſed ego potu inuiſibili & cibo vtor.*

Abraham autem obtulit eis cibos, exiſtimans eos homines eſſe; in quibus tamen Deum venerabatur, ſicut ſolet Deus eſſe in Prophetis. 1. *p. q.* 51. *art.* 3. *V. q.* 6. *de potentia aut.* 8. & *Quodlib.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 5.

GENESIS Cap. 18. *v.* 17.

Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?

Gen. 19. v. 22. VIdetur quod Deus non ſit omnipotens ex textu. Et, *non potero facere quicquam donec gradiaris illuc*; ergo Deus non omnia poteſt.

Dicendum quòd in Deo non ponitur potentia paſſiua, ſed actiua; eo quòd eſt actus purus, nihil de potentia admixtum habens. Quia igitur eſt actus completus in ſe comprehendens quicquid in aliquo

Dei omnipotētia ſuadetur.

perfectionis eſſe poteſt, vel excogitari; ideo in omnia eius virtus actiua ſimpliciter poteſt.

Dupliciter ergo aliquid poteſt dici Deum non poſſe: vno modo quia pertinet ad paſſionem, ſicut dicimus Deum non poſſe pati, *non poſſe deficere, &c.* Alio modo quia illud quod dicitur Deum non poſſe, non habet rationem actus, & hoc contingit ex hoc quod non poteſt habere rationem entis, ſicut quod implicat in ſe contradictioné. Quod etiam dupliciter contingit: vno modo ſecundùm quod implicat contradictionem abſolutè in ſe conſideratum, ſicut hominem eſſe aſinum; Et hoc ſimpliciter Deus non poteſt. Alio modo ſecundùm quod in ſe conſideratum contradictionem non implicat, ſed ſolùm per reſpectum ad aliud; ſicut Petrum damnari in ſe conſideratum non implicat contradictionem; ſed per reſpectum ad præſcientiam vel ordinationem Dei, quæ ſe habent ad modum contradictorium, huiuſmodi contradictionem implicat: & hoc dicitur Deus poſſe facere ex potentia abſoluta, ſed non de potentia ordinata: vel poſſe ſimpliciter, ſed non poſſe ex ſuppoſitione.

Sic ergo tribus modis dicitur Deum non poſſe aliquid, primò quia ſonat defectum, & ſic *ſeipſum negare non poteſt.* Secundò quia implicat contradictionem, & ſic de corrupta non poteſt facere virginem. Tertiò quia repugnat præſcientiæ, vel ordinationi diuinæ, & ſic non poteſt celare Abraham quæ geſturus eſt. *Lib.* 1. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 42. *art.* 2. 2. Tim. 2. v. 13.

GENESIS Cap. 18. *v.* 21.

Deſcendam & videbo vtrum clamorem opere compleuerint.

EXplicatur ſuprà. *Geneſ.* 1. *verſ.* 1.

GENESIS Cap. 18. *v.* 23.

Nunquid perdes iuſtum cum impio?

VIdetur quod in aliquam vniuerſitatem ſententia excommunicationis ferri poſſit; illud enim quod eſt grauiſſimum in excommunicatione, eſt ſeparatio à ſacramentis Eccleſiæ: ſed aliquando tota ciuitas interdicitur à diuinis; ergo excommunicari in aliquo vniuerſitas poteſt.

Dicendum quòd excommunicari non debet aliquis niſi pro peccato mortali: peccatum autem in actu conſiſtit; actus autem non eſt communitatis, ſed ſingularium perſonarum vt frequenter; & ideo ſinguli de communitate excommunicari poſſunt, non autem ipſa communitas. Et ſi etiam quandoque actus ſit totius alicuius multitudinis, vt quando multi nauim trahunt, quam nullus trahere poſſet; non tamen eſt probabile quòd aliqua communitas ita tota ad malum conſentiat, quin aliqui ſint diſſentientes.

Excō-muni-cari nō debet vniuer-ſitas.

Et quia non eſt Dei qui iudicat omnem terram, *vt condemnet iuſtum cum impio*; ideo Eccleſia quæ iudicium Dei imitari debet, ſatis providè ſtatuit vt tota communitas non excommunicetur; ne collectis zizaniis ſimul eradicetur & triticum.

Ad Argum. R. quòd ſuſpenſio nō tanta pœna eſt quanta excommunicatio; quia ſuſpenſi non fraudantur Eccleſiæ ſuffragiis ſicut excommunicati. Vnde etiam aliquis ſine peccato proprio ſuſpenditur, ſicut & totum regnum ſupponitur interdicto pro peccato regis. Et ideo non eſt ſimile de excommunicatione & ſuſpenſione. *Lib.* 4. *ſent Diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 3.

GENESIS Cap. XIX. *v.* 8.

Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum.

VTrum peccauit Loth promittens filias, explicatur ſupra *Gen.* 4. *v.* 13.

GENESIS Cap. 19. *v.* 17.

Nec ſtes in omni circa regione.

VIdetur quòd omnis circunſtantia ſit confitenda; nam præcipitur Loth de Sodomis exeunti, ne moraretur in omni loco circa regionem: ſed pœnitens de Sodomis, id eſt, de peccato per confeſſionem exit; ergo non ſolum peccatum, ſed omnes circunſtantias confiteri debet.

R. quòd omnes circunſtantias confiteri eſt impoſſibile, quaſdam autem confiteri eſt neceſſitatis, eas nempe, quæ ad aliam ſpeciem mortalis trahunt; aliàs autem non eſt neceſſitatis, ſed perfectionis.

Non omnis circunſtantia confitēda.

Ad Argum. R. quòd quamuis de Sodomis, id eſt, de peccato mortali non poſſit homo exire, niſi per confeſſionem ad minus in propoſito exiſtentem: Tamen de illis quæ

circa ſunt, id eſt, de venialibus, & circunſtantiis quæ venialibus æquivalent, poteſt homo ſine confeſſione exire. *Lib. 4. ſent. Diſt. 16. art. 2.*

Nec ſtes in omni circa regione. Duplex eſt tentationis occaſio; vna quidem ex parte hominis, putà cùm aliquis ſe peccato propinquum facit, occaſiones peccandi non euitans. Et talis occaſio tentationis eſt vitanda, vt patet in textu. Alia verò tentationis occaſio eſt ex parte diaboli qui ſemper inuidet ad meliora tendentibus. Et talis tentationis occaſio non eſt vitanda. *3. p. q. 41. art. 2.*

Tentationis occaſio duplex.

GENESIS Cap. 19. v. 22.

Non potero facere quicquam donec gradiaris illuc.

ILlud non eſt referendum ad potentiam abſoluatm, ſed ad id quod poteſt fieri congruenter, non enim congruum erat vt periret cum malis. *3. p. q. 43. art. 2. Idem locus explicatur ſupra Gen. 18. v. 17.*

GENESIS. Cap. 19. v. 24.

Dominus pluit ſuper Sodomam.

PArvuli diuino iudicio ſimul puniuntur temporaliter cum parentibus, tum quia ſunt res parentum, & in eis etiam parentes puniuntur, tum etiam quia hoc in eorum bonum cedit; ne ſi reſeruarentur, eſſent imitatores paternæ malitiæ; & ſic grauiores pœnas mererentur. *22. q. 108. art. 4.*

Paruuli cur puniuntur cum parentibus.

GENESIS. Cap. 19. v. 26.

Verſa eſt in ſtatuam ſalis.

SI conuerſio vxoris Loth in ſtatuam ſalis facta eſt mediantibus dæmonibus, manifeſtum eſt quòd in illa operatione dæmon fuit inſtrumentum diuinæ virtutis; vnde talem effectum produxit non propriâ virtute, ſed virtute diuinâ quæ non ſubiicitur ordini rerum, ſed poteſt immediatè quoſcumque effectus producere ſupremos vel infimos prout voluerit. Deus autem non ſemper punit per malos angelos, ſed quandoque etiam per bonos; ſicut patet de Angelo qui percuſſit caſtra Aſſyriorum. *In quæſt. Diſp. q. 16. de malo art. 9.*

Deus punit per bonos & malos angelos.

Eſai. 37. v. 36.

GENESIS Cap. 19. v. 32.

Veni, inebriemus eum vino.

VIdetur quòd ebrietas non excuſet à peccato; non enim excuſatur peccatum per peccatum, ſed magis augetur; ebrietas autem eſt peccatum; ergo non excuſat à peccato.

Dicendum quòd in ebrietate duo attenduntur, ſcilicet defectus conſequens, & actus præcedens. Ex parte autem defectus conſequentis, in quo ligatur vſus rationis, ebrietas habet excuſare à peccato; inquantum cauſat inuoluntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus præcedentis videtur eſſe diſtinguendum, quia ſi ex actu illo præcedente ſubſecuta eſt ebrietas ſine peccato, tunc peccatum ſequens totaliter excuſatur à culpa; ſicut fortè accidit de Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, ſic non

Quomodo ebrietas excuſat à peccato.

totaliter aliquis excuſatur à peccato ſequenti, quod ſcilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus; inquantum ſcilicet aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in ſequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum ſequens, ſicut & diminuitur ratio voluntarii.

Ad Argum. R. quòd ebrietas habet excuſare peccatum, non ex parte qua eſt peccatum, ſed ex parte defectus conſequentis. 22. q. 150. art. 4.

GENESIS Cap. 19. v. 33.

Ingreſſa eſt maior dormiuitque cum patre: at ille non ſenſit.

PEccatum mortale eſſe non poteſt, niſi in ratione: ſed quandoque actus luxuriæ exercetur ſine deliberatione rationis, ſicut patet de Loth qui ignoranter ad filias ſuas acceſſit; ergo videtur quòd actus luxuriæ non ſemper ſit peccatum mortale.

R. Quòd cùm ad rationem pertineat conſentire ad actum, non poteſt eſſe actus fornicationis abſque rationis deliberatione; niſi fortè in eo qui vſum rationis non habet: & tunc ſi hoc impedimentum prouenit ex cauſa illicita, non omnino excuſatur à peccato; ſicut patet de Loth qui ex ebrietate commiſit inceſtum. Niſi fortè ebrietas illa contingerit abſque peccato illius; ſicut & in Noë accidit propter inexperientiam fortitudinis vini. Si autem cauſa huiuſmodi defectus ſit abſque culpa, ſic actus ſequens luxuriæ vel cuiuſcumque peccati non imputatur ad peccatum; ſicut patet in furioſis & amentibus. *In quæſt. diſp. q. 15. de malo art. 2.*

GENESIS. Cap. XXII. v. 1.

Tentauit Deus Abraham.

VIdetur quòd tentare non ſit proprium diaboli; dicitur enim Deus tentare, vt patet in textu: Tentat etiam caro & mundus: & etiam homo dicitur tentare Deum & hominem; ergo.

2. Tentare eſt ignorantis: ſed dæmones ſciunt quid circa homines agatur, ergo dæmones non tentant.

3. Tentatio eſt via in peccatum: peccatum autem in voluntate conſiſtit; cùm ergo dæmones non poſſint voluntatem hominis immutare, videtur quòd non ad eos pertineat tentare.

Dicendum quòd tentare eſt propriè experimentum ſumere de aliquo: experimentum autem ſumitur de aliquo, vt ſciatur aliquid circa ipſum. Et ideo proximus finis cuiuſlibet tentantis eſt ſcientia.

Sed quandoque vlterius ex ſcientia quæritur aliquis alius finis, vel bonus, vel malus. Bonus quidem, ſicut cùm aliquis vult ſcire qualis aliquis ſit, vel quantùm ad ſcientiam, vel quantùm ad virtutem, vt eum promoueat: malus autem quando hoc ſcire vult, vt eum decipiat, vel ſubuertat.

Et per hunc modum poteſt accipi quomodo tentare diuerſis diuerſimodè attribuatur. Homo enim tentare dicitur, quandoque quidem vt ſciat tantùm: & propter hoc tentare Deum dicitur eſſe peccatum, quia homo quaſi incertus, experiri præſumit Dei virtutem. Quando-

Digitized by Google

que verò tentat vt iuuet; quandoque verò vt noceat.

Diabolus autem ſemper tentat vt noceat in peccatum præcipitando: & ſecundùm hoc dicitur proprium officium eius tentare. Nam etſi homo aliquando ſic tentet; hoc agit inquantum eſt miniſter diaboli. Deus autem tentare dicitur vt ſciat, eo modo loquendi quo dicitur ſcire, quòd faciat alios ſcire. Vnde dicitur, *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum.*

Tentare proprium diaboli.

Deut. 13. v. 3.

Caro etiam & mundus dicuntur tentare inſtrumentaliter ſeu materialiter; inquantum ſcilicet poteſt cognoſci qualis ſit homo ex hoc quod ſequitur vel repugnat concupiſcentiis carnis; & ex hoc quòd contemnit proſpera mundi & aduerſa; quibus etiam diabolus vtitur ad tentandum. Et ſic patet ſolutio ad primum.

Ad 2. R. quòd dæmones ſciunt ea quæ exteriùs aguntur circa homines: ſed interiorem hominis conditionem ſolus Deus nouit qui eſt ſpirituum ponderator; ex qua aliqui ſunt magis proni ad vnum vitium quàm ad aliud. Et ideo diabolus tentat explorando exteriorem conditionem hominis; vt de illo vitio tentet, ad quod homo magis pronus eſt.

Ad 3. R. quòd dæmon etſi non poſſit immutare voluntatem, poteſt tamen aliqualiter immutare inferioris hominis vires: ex quibus etſi non cogitur voluntas, tamen inclinatur. 1. *p.* q. 114. *art.* 2.

GENESIS Cap. 22. *v.* 2.

Tolle filium tuum vnigenitum.

PRæceptum Abrahæ de occidendo filio, à Deo factum eſt ad manifeſtationem fidei & amoris Abrahæ; vt eſſet poſteris in exemplum, & in ſignificationem mortis Chriſti. *Lib.* 1. *ſent. diſt.* 47. *quæſt.* 1. *art.* 4.

Tolle filium tuum vnigenitum. Quicumque conſentit in peccatum mortale, peccat mortaliter: Quicumque præcipit peccatum mortale, conſentit; imò quodammodo principaliter facit. Cùm ergo Deus præceperit peccatum mortale, Abrahæ ſcilicet, quòd interficeret filium innocentem: & Oſee, quod acciperet mulierem fornicariam, & faceret ex ea filios fornicationis. Et Semey, vt *Malediceret Dauid*; quem conſtat peccaſſe ex pœna ſibi inflicta; videtur quòd ipſe peccauerit mortaliter.

Oſee. 1. *v.* 2.

2. *Reg.* 16. *v.* 7.

Dicendum quòd nihil prohibet aliquem actum qui in ſe eſſet peccatum mortale, aliquâ circunſtantiâ additâ fieri virtuoſum. Occidere enim hominem abſolutè peccatum mortale eſt: ſed miniſtro iudicis occidere hominem propter iuſtitiam ex præcepto iudicis, non eſt peccatum, ſed actus iuſtitiæ. Sicut autem princeps ciuitatis habet diſponere de hominibus quantùm ad vitam, & mortem; & alia quæcumque pertinent ad finem ſui regiminis, qui eſt iuſtitia: ita Deus habet omnia in ſui diſpoſitione dirigere ad finem ſui regiminis, quod eſt eius bonitas. Et ideo, licet occidere filium innocentem, de ſe poſſit eſſe peccatum mortale; ta-

Digitized by Google

men ſi hoc fiat ex præcepto Dei, propter finem quem Deus præuidit, & ordinauit; licet etiam ſit homini ignotus, non eſt peccatum, ſed meritum.

Et ſimiliter etiam dicendum eſt de fornicatione Oſee, cùm conſtet Deum eſſe ordinatorem totius humanæ generationis. Quamuis quidam dicant, quòd hoc non acciderit ſecundùm veritatem rei, ſed ſecundùm viſionem prophetiæ.

De præcepto autem Semey eſt dicendum aliter. Dicitur enim Deus dupliciter præcipere: vno modo loquendo ſpiritualiter, vel corporaliter per ſubſtantiam creatam; & ſic præcepit Abrahæ & prophetis. Alio modo inclinando, ſicut dicitur *præcepiſſe vermi, vt comederet hederam*. Et per hunc modum præcepit Semey, vt malediceret Dauid; in quantum cor eius inclinauit. *q. 1. de potentia art. 6.* *Iona. 4. v. 7.*

Tolle filium tuum. Videtur quòd lex naturæ mutari poſſit; nam contra legem naturalem eſt occiſio innocentis, & etiam adulterium & furtum: ſed iſta inueniuntur eſſe mutata à Deo, putà cùm Deus præcepit Abrahæ quòd occideret filium innocentem, vt patet in textu, & cùm præcepit Iudæis vt mutuata Ægiptiorum vaſa ſubriperent, & cùm præcepit Oſee vt vxorem fornicariam acciperet; ergo lex naturalis poteſt mutari. *Exodi 11. v. 2. Oſee. 1. v. 2.*

Dicendum quòd lex naturalis poteſt intelligi mutari dupliciter: vno modo per hoc quod aliquid ei addatur; & ſic nihil prohibet legem naturalem mutari: multa enim ſupra legem naturalem ſuperaddita ſunt ad humanam vitam vtilia, tam per legem diuinam, quàm etiam per leges humanas. Alio modo poteſt intelligi mutatio legis naturalis per modum ſubtractionis; vt ſcilicet aliquid deſinat eſſe de lege naturali, quod priùs fuit ſecundùm legem naturalem: & ſic quantùm ad prima principia legis naturæ, lex naturæ eſt omnino immutabilis. *Lex naturæ nõ poteſt mutari.*

Quantùm autem ad ſecunda præcepta, quæ diximus eſſe quaſi quaſdam proprias concluſiones propinquas primis principiis; ſic lex naturalis non immutatur, quin vt in pluribus ſit rectum ſemper quod lex naturalis habet: poteſt tamen mutari in aliquo particulari, & in paucioribus; propter aliquas ſpeciales cauſas impedientes obſeruantiam talium præceptorum.

Nota quòd lex ſcripta data eſt ad correctionem legis naturalis; vel quia per legem ſcriptam ſuppletum eſt, quod legi naturæ deerat, vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus quantùm ad aliqua, corrupta erat, in tantùm vt exiſtimarent eſſe bona quæ naturaliter ſunt mala; & talis corruptio correctione indigebat.

Ad Argum. R. quòd naturali morte moriuntur omnes communiter, tam nocentes quàm innocentes; quæ quidem naturalis mors diuinâ poteſtate inducitur propter peccatum originale. Et ideo abſque aliqua iniuſtitia, ſecundùm mandatum Dei, poteſt infligi mors cuicumque homini, vel nocenti vel innocenti.

Similiter etiam adulterium eſt concubitus cum vxore aliena, quæ quidem eſt ei deputata ſecundùm legem diuinitus traditam. Vnde ad quamcumque mulierem aliquis accedat ex mandatio diuino, non

eſt adulterium nec fornicatio. Et eadem ratio eſt de furto, quod eſt acceptio rei alienæ; quicquid enim accipit aliquis ex mandato Dei, qui eſt Dominus vniuerſorum; non accipit abſque voluntate Domini, quod eſt furari. Nec ſolùm in rebus humanis quicquid à Deo mandatur, hoc ipſo eſt debitum, ſed etiam in rebus naturalibus quicquid à Deo fit, eſt naturale quodammodo.

Nota quòd aliquid dicitur eſſe de iure naturali dupliciter: vno modo quia ad hoc natura inclinat, ſicut non eſſe iniuriam alteri faciendam: Alio modo quia natura non induceit contrarium; ſicut poſſemus dicere quòd hominem eſſe nudum eſt de iure naturali; quia natura non dedit ei veſtitum, ſed ars adinuenit. Et hoc modo communis omnium poſſeſſio & omnium vna libertas, dicitur eſſe de iure naturali; quia ſcilicet diſtinctio poſſeſſionum & ſeruitus non ſunt inductæ à natura, ſed per hominum rationem, ad vtilitatem humanæ vitæ. Et ſic, etiam in hoc lex naturæ non eſt mutata niſi per additionem. De potent. Dei. *q.* 1. *art.* 6.12. *q.* 94. *art.* 5. *ſimile* 12. *q.* 100. *art.* 8. *ad tertium.* 22. *q.* 64. *art.* 6. *q.* 104. *art.* 4. *ad ſecundum. q.* 154. *art.* 2. *ad ſecundum. Et Opuſculo* 9. *q.* 86.

GENESIS Cap. 22. *v.* 5.

Ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.

Luca vlt. v. 28. VIdetur quòd omnis ſimulatio non ſit peccatum, dicitur enim quòd Dominus *ſe finxit longiùs ire*; & quod Abraham dixit ſeruulis, vt patet in textu: fingere autem & captiosè loqui ad ſimulationem pertinet: ſed non eſt dicendum quòd in Chriſto & in Abraham fuerit peccatum; ergo non omnis ſimulatio eſt peccatum.

Dicendum quòd ad virtutem veritatis pertinet vt quis talem ſe exhibeat exteriùs per ſigna exteriora qualis eſt ſigna autem exteriora non ſolùm ſunt verba, ſed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur quòd aliquis per verba exteriora aliud ſignificet quàm quod habet apud ſe, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati quòd aliquis per aliqua ſigna factorum vel rerum, aliquid ſignificet contrarium eius quod in eo eſt; quod propriè ſimulatio dicitur. Vnde ſimulatio propriè eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens. Non refert autem vtrum aliquis mentiatur verbo vel quocumque alio facto. Vnde cùm omne mendacium ſit peccatum, conſequens eſt quòd omnis ſimulatio eſt peccatum.

Ad Argum. R. quòd non omne quod fingimus mendacium eſt, ſed quando id fingimus quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Cùm autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Sic ergo Dominus in Euangelio finxit ſe longiùs ire; quia compoſuit motum ſuum quaſi volentis longiùs ire, ad aliud figuratè ſignificandum, ſcilicet quòd ipſe ab eorum fide longè erat. Vel quia cùm longiùs receſſurus eſſet aſcendendo in cœlum, per hoſpitalitatem quodammodo retinebatur in terra.

Abraham

Abraham etiam figuratiuè locutus eſt, prophetauit enim quod ignorabat; nam ipſe ſolus diſponebat redire immolato filio: ſed Dominus per os eius locutus eſt quod parabat. Vnde patet quòd neuter ſimulauit. 22. *q.* 111. *art.* 1.

GENESIS. Cap. 22. *v.* 12.

Non extendas manum tuam ſuper puerum.

QVamuis Deus non vellet voluntate conſequente quod Abraham filium occideret, voluit tamen voluntate antecedente quòd voluntas Abrahæ in hoc ferretur; & talem voluntatem præceptum expreſſit. *Lib.* 1. *ſent. d.* 47. *art.* 4. *ad primum.*

GENESIS Cap. 22. *v.* 12.

Nunc cognoui quòd timeas Dominum.

EST conſuetus modus loquendi in ſcripturis, vt Deus dicatur aliquid cognoſcere, ſi illud cognoſcere facit, vt patet in textu. Et ſic per oppoſitum filius Dei neſcire dicitur quod non facit nos ſcire. *Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 8. & 3. *p. q.* 10. *art.* 2. *ad primum.*

Nunc cognoui. Arguitur, ex perſona Domini dicitur ad Abraham, *Nunc cognoui quòd timeas Dominum*, id eſt, cognoſcere feci: loquitur autem ibi de timore caſto, qui non eſt ſine gratia; ergo homo poteſt cognoſcere ſe habere gratiam.

Homo nō poteſt cognoſcere ſe habere gratiā.

R. quòd illud verbum Abrahæ dictum, poteſt referri ad notitiam experimentalem, quæ eſt per exhibitionem operis. In opere enim illo quod fecerat, Abraham cognoſcere potuit experimentaliter ſe Dei timorem habere. Vel poteſt hoc etiam ad reuelationem referri. 12. *q.* 112. *art.* 5. *ad quintum.*

GENESIS Cap. 22. *v.* 14.

Apellauit nomen loci ipſius, Dominus videt.

ARguitur, ſtatus veteris legis non fuit immutatus niſi per Chriſtum: ſed Tabernaculum deſignat ſtatum veteris legis; non ergo debuit mutari per ædificationem alicuius templi.

R. quòd ſtatus veteris legis non fuit immutatus ante Chriſtum quantùm ad impletionem legis, quæ facta eſt ſolùm per Chriſtum: eſt tamen immutatus quantùm ad conditionem populi qui erat ſub lege. Nam primò populus fuit in deſerto non habens certam manſionem; poſtmodum autem habuerunt varia bella cum finitimis gentibus; vltimò autem tempore Dauid regis & Salomonis, populus ille habuit quietiſſimum ſtatum: & tunc primò ædificatum fuit templum in loco, quem deſignauerat Abraham ex diuina demonſtratione, ad immolandum; vt patet in textu.

Locus autem ille deſignari non debuit per ædificationem templi ante tempus prædictum, propter tres rationes. Prima eſt, ne Gentes appropriarent ſibi locum illum. Secunda eſt, ne gentes ipſum deſtruerent. Tertia verò ratio eſt, ne quælibet tribus vellet habere locum illum in ſorte ſua; & propter hoc orirentur lites & iurgia, & ideo non fuit ædificatum templum, donec haberent regem per quem poſſet huiuſmodi iurgium compeſci.

Bibliothecæ S. M.ª Transpontinæ de Urbe

Antea verò ad cultum Dei erat ordinatum tabernaculum portatile per diuerſa loca, quaſi nondum exiſtente determinato loco diuini cultus. Et hæc eſt ratio literalis diuerſitatis tabernaculi & templi.

Ratio autem figuralis eſſe poteſt, quia per hæc duo ſignificatur duplex ſtatus: Per tabernaculum enim, quod eſt mutabile, ſignificatur ſtatus præſentis vitæ mutabilis. Per templum verò, quod erat fixum & ſtans, ſignificatur ſtatus futuræ vitæ, quæ omnino immutabilis eſt. Et propter hoc in ædificatione templi dicitur quòd non eſt auditus ſonus mallei vel ſecuris; ad ſignificandum quòd omnis perturbationis tumultus longè erit à ſtatu futuro.

Vel per tabernaculum ſignificatur ſtatus veteris legis: per templum autem à Salomone conſtructum, ſtatus nouæ legis. Vnde ad conſtructionem tabernaculi ſoli Iudæi ſunt operati; ad ædificationem verò templi cooperati ſunt etiam Gentiles, ſcilicet Tyrii & Sidonii. 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 4. *ad ſecundum.*

GENESIS. Cap. XXIII. *v.* 7.

Abraham adorauit populum terræ.

Peccatores debent honorari, Abraham enim honorauit peccatores habitantes in Sichem; quando voluit emere ſpeluncam duplicem.

Quomodo peccatores honorandi.

Ad quod dicendum, quod dulia reuerentiam & honorem importat quæ creaturæ exhiberi poteſt: cùm autem honor non debeatur niſi rebus diuinis, non debetur propriè & directè niſi habenti gratiam & virtutem, quæ diuinos facit. Sed habet aliquis virtutem multipliciter, vel ſicut actu virtuoſus; & hinc directè debetur & propriè & ſecundùm ſe honor: vel ſicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem, & ſic cuilibet habenti imaginē Dei eſt exhibendus honor, niſi ſit confirmatus in malo; quia ligatus eſt in illo ordo ad virtutem: Vel ſicut ordinatus ad inducendum vel conſeruandum virtutem, & ſic debetur omnibus prælatis, qui ad hoc ordinati ſunt, vt alios dirigant in virtutem. *Lib.* 3. *ſent. Diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 3.

GENESIS Cap. 23. *v.* 9.

Speluncam duplicem pecunia digna tradat mihi.

Videtur quòd licitum ſit pecuniam accipere pro his quæ ſunt ſpiritualibus annexa; Nam ſpiritualibus annexa dicuntur ius ſepulturæ, ius patronatus, & ius primogenituræ ſecundùm antiquos (quia primogeniti ante legem, ſacerdotis officio fungebantur) & etiam ius accipiendi decimas: ſed Abraham emit ab Ephron, ſpeluncam duplicem in ſepulturam, vt patet in textu: Iacob autem emit ab Eſau ius primogenituræ: ius *Gen* 25. *v.* 31.
etiam patronatus tranſit cum re vendita, & in feudum conceditur: Decimæ etiam conceſſæ ſunt quibuſdam militibus & redimi poſſunt. Prælati etiam interdum retinent ſibi ad tempus fructus præbendarum quas conferunt: cùm tamen præbendæ ſint ſpiritualibus anne-

Digitized by Google

xæ; ergo licet emere & vendere ea quæ ſunt ſpiritualibus annexa.

Non poſſunt vendi ſpiritualia.

Dicendum quòd aliquid poteſt eſſe annexum ſpiritualibus dupliciter: vno modo ſicut ex ſpiritualibus dependens, ſicut habere beneficia Eccleſiaſtica, dicitur ſpiritualibus annexum; quia non competit niſi habenti officium clericale: Vnde huiuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus & propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia eis venditis intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubiici.

Quædam autem ſunt annexa ſpiritualibus in quantum ad ſpiritalia ordinantur, ſicut ius patronatus quod ordinatur ad præſentandum clericos ad Eccleſiaſtica beneficia; & vaſa ſacra quæ ordinantur ad ſacramentorum vſum. Vnde huiuſmodi non præſupponunt ſpiritualia, ſed magis ea ordine temporis præcedunt. Et ideo aliquo modo vendi poſſunt; non autem inquantum ſunt ſpiritualibus annexa.

Nota quòd omnia temporalia annectuntur ſpiritualibus ſicut fini, & ideo ipſa quidem temporalia vendere licet: ſed ordo eorum ad ſpiritualia ſub venditione cadere non debet; vnde ſacrorum vaſorum conſecratio vendi non poteſt. Tamen pro neceſſitate Eccleſiæ & pauperum, materia eorum vendi poteſt; dummodo præmiſsâ oratione priùs confringantur; quia poſt confractionem non intelliguntur eſſe vaſa ſacra, ſed purum metallum. Vnde ſi ex eadem materia ſimilia vaſa iterum integrarentur, indigerent iterum conſecrari.

Ad argum. R. quòd ſpelunca duplex quam Abraham emit in ſepulturam, non habetur quòd erat terra conſecrata ad ſepeliendum: & ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad vſum ſepulturæ, vt ibi inſtitueret ſepulchrum; ſicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad inſtituendum ibi cœmeterium vel etiam Eccleſiam. Tamen quia apud Gentiles loca ſepulturæ deputata religioſa reputabantur; ſi Ephron pro loco ſepulturæ intendit pretium accipere, peccauit vendens; licet Abraham non peccauerit emens: Quia non intendebat emere niſi terram communem, licet enim etiam nunc terram vbi quondam fuit Eccleſia, vendere aut emere in caſu neceſſitatis; ſicut & de materia ſacrorum vaſorum dictum eſt.

Vel excuſatur Abraham, quia in hoc redemit ſuam vexationem. Quamuis enim Ephron gratis ei ſepulturam offerret; perpendit tamen Abraham quòd gratis recipere ſine eius offenſa non poſſet.

Ius autem primogenituræ debebatur Iacob ex diuina electione, ſecundùm illud, *Iacob dilexi, Eſau* Mal. 1. v. 2. *autem odio habui*. Et ideo Eſau peccauit primogenita vendens: Iacob autem non peccauit emendo, quia intelligitur ſuam vexationem redemiſſe.

Ius autem patronatus per ſe vendi non poteſt, nec in feudum dari; ſed tranſit cum villa quæ venditur vel conceditur. Ius autem ſpirituale accipiendi decimas, non conceditur laicis; ſed tantummodo res temporales quæ nomine decimæ dantur.

Circa collationem verò beneficiorum, ſciendum eſt quòd ſi Epiſ-

Digitized by Google

opus antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam cauſam ordinauerit aliquid ſubtrahendum de fructibus beneficii conferendi, & in pios vſus expendendum; non eſt illicitum. Si verò ab eo cui beneficium confert, requirat aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius beneficii; idem eſt ac ſi aliquod munus ab eo exigeret; & non caret vitio ſimoniæ 22. *q.* 100. *art.* 4. *V. Lib.* 4. *ſent.* D *ſt* 25. *q.* 3. *art.* 2.

GENESIS Cap. XXIV. *v.* 14.

Puella cui dixero, inclina hydriam.

VIdetur quòd diuinatio quæ fit per auguria, & omina, & alias huiuſmodi obſeruationes exteriorum rerum, non ſit illicita; ſi enim eſſet illicita, ſancti viri eâ non vterentur: ſed de Ioſeph legitur quòd auguriis intendebat; nam diſpenſator Ioſeph dixit, *Scyphum quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Et ipſe poſtea dixit fratribus ſuis, *An ignoratis quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* Ergo vti tali diuinatione non eſt illicitum. *Gen.* 44. *v.* 5.

2. Aues aliqua circa futuros euentus temporum naturaliter cognoſcunt, ſecundùm illud, *miluus in cælo cognouit tempus ſuum*, turtur & Hyrundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: ſed naturalis cognitio eſt infaillibilis, & à Deo; ergo vti cognitione auium ad præcognoſcendum futura, quod eſt augurari, non videtur illicitum. *Hier.* 8. *v.* 7.

3. Gedeon vſus fuit omine, ex hoc quod audiuit recitationem & interpretationem cuiuſdam ſomnii. Similiter Eliezer ſeruus Abrahæ, vt patet in textu; ergo videtur quòd talis diuinatio non ſit illicita. *Iudic.* 7. *v.* 15.

Sed contra eſt quod dicitur, *non inueniatur in te qui obſeruet auguria.* *Deut.* 18. *v.* 10.
Dicendum quòd motus vel garritus auium, vel quæcunque diſpoſitiones in huiuſmodi rebus conſideratæ; manifeſtum eſt quòd non ſunt cauſæ futurorum euentuum; vnde ex eis futura cognoſci non poſſunt, ſicut ex cauſis. Relinquitur ergo quòd ſi ex eis aliqua futura cognoſcantur, hoc erit in quantum ſunt effectus aliquarum cauſarum, quæ etiam ſunt cauſantes vel præcognoſcentes futuros euentus. *Auguria quomodo licita.*

Cauſa autem operationum brutorum animalium eſt inſtinctus quidam quo mouentur in modum naturæ; non enim habent dominium ſui actus. Hic autem inſtinctus poteſt ex duplici cauſa procedere: vno quidem modo ex cauſa corporali; cùm enim bruta animalia non habeant niſi animam ſenſitiuam, cuius omnes potentiæ ſunt actus corporalium organorum; ſubiacet eorum anima diſpoſitioni continentium corporum, & primordialiter cæleſtium. Et ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes eſſe futurorum ſigna, inquantum conformantur diſpoſitionibus corporum cœleſtium, & aëris continentis; ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus.

In hoc tamen duo conſiderari oportet: primum quidem vt operationes huiuſmodi non extendantur niſi ad præcognoſcenda futura, quæ cauſantur per motus cœleſtium corporum: ſecundò vt non

extendantur niſi ad ea quæ aliqualiter poſſunt ad huiuſmodi animalia pertinere: conſequuntur enim per cœleſtia corpora cognitionem quandam naturalem, & inſtinctum ad ea quæ eorum vitæ ſunt neceſſaria; ſicut ſunt immutationes quæ fiunt per pluuias, & ventos, & alia huiuſmodi.

Alio modo inſtinctus huiuſmodi cauſantur ex cauſa ſpirituali, ſcilicet vel ex Deo, vt patet in columba ſuper Chriſtum deſcendente, & in coruo qui pauit Eliam, & in cete qui abſorbuit & eiecit Ionam. Vel etiam ex dæmonibus qui vtuntur huiuſmodi operationibus brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus & eadem ratio videtur eſſe de omnibus aliis huiuſmodi, præterquam de ominibus; quia verba humana quæ accipiuntur pro omine, non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum. Diſponuntur tamen ſecundùm diuinam prouidentiam, & quandoque ſecundùm dæmonum operationem.

Sic ergo dicendum quòd omnis huiuſmodi diuinatio, ſi extendatur vltra illud ad quod poteſt pertingere ſecundùm ordinem naturæ, vel diuinæ prouidentiæ; eſt ſuperſtitioſa & illicita.

Ad 1. R. quòd hoc quod Ioſeph dixit, non eſſe aliquem ſibi ſimilem in ſcientia augurandi, ſecundùm Aug. ioco dixit, non ſeriò; referens fortè hoc ad illud quod vulgus de eo opinabatur: & ſic etiam diſpenſator eius locutus eſt.

Ad 2. R. quòd Hier. loquitur de cognitione auium, reſpectu eorum quæ ad eas pertinent. Et ad hæc præcognoſcenda conſiderare earum voces & motus non eſt illicitum; putà, ſi quis ex hoc quòd cornicula frequenter crocitat, prædicat pluuiam citò eſſe futuram.

Ad 3. R. quòd Gedeon obſeruauit recitationem & expoſitionem ſomnii, accipiens ea pro omine, quaſi ordinata ad ſui inſtructionem à diuina prouidentia. Et ſimiliter Eliezer attendit verba puellæ, oratione præmiſsâ ad Deum. 22. *q.* 95. *art.* 7.

GENESIS Cap. XXV. *v.* 1.

Abraham verò aliam duxit vxorem.

VIdetur quòd ſecundæ nuptiæ non ſunt licitæ, quia nullus arceri debet ne interſit illis quæ ſunt honeſta & licita: ſed ſacerdores arcentur ne interſint ſecundis nuptiis; ergo non ſunt licitæ.

Sed contra eſt quòd Abraham ſecundas nuptias contraxit. Præterea dicit Apoſtolus, *Volo autem iuniores,* ſcilicet viduas, nubere, filios procreare; ergo ſecundæ nuptiæ ſunt licitæ. Dicendum quòd vinculum matrimoniale non durat niſi vſque ad mortem, vt patet: & ideo moriente altero coniugum, vinculum matrimoniale ceſſat. Vnde propter præcedens matrimonium, non impeditur aliquis à ſecundo, mortuo coniuge. Et ſic non ſolùm ſecundæ, ſed tertiæ, & ſic deinceps nuptiæ ſunt licitæ.

1. Tim. 5. v. 14 — *Rom. 7. v. 2.* — *Secundæ nuptiæ licitæ.*

Ad argumentum dicendum, quòd homines diuinis dediti, non ſolùm ab illicitis, ſed etiam ab illis qui habent aliquam turpitudinis ſpe

ciem arceantur. Et ideo etiam arceantur à ſecundis nuptiis quæ carent honeſtate, quæ erat in primis. *Lib. 4. ſent. Diſt.* 42. *q.* 3. *art.* 1.

GENESIS Cap. 25. *v.* 5.

Abraham dedit omnia bona ſua Iſaac, & filiis concubinarum largitus eſt munera.

ET tamen illi non erant ex illicito coitu nati; ergò multò magis debent qui ex illicito coitu naſcuntur, hoc damnum reportare, quòd non ſuccedant in bonis paternis. *Supplem. q.* 68. *art.* 2. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 3. *& ſupplem. q.* 68. *art.* 2.

GENESIS. Cap. 25. *v.* 21.

Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, & dedit conceptum Rebeccæ.

EX illo autem conceptu natus eſt Iacob, qui prædeſtinatus fuit: non autem fuiſſet impleta prædeſtinatio ſi natus non fuiſſet; ergo prædeſtinatio iuuatur præcibus ſanctorum. *In quæſt. diſp. q.* 6. *de vent. art.* 6. *&* 1. *p. q.* 23. *art.* 8.

GENESIS Cap. 25. *v.* 31.

Vende mihi primogenita tua.

EXplicatur ſupra *Gen.* 23. *v.* 9. *V. lib.* 4. *ſent. Diſt.* 25. *q.* 3. *art.* 2.

Hebr. Eſau propter quidam dictus pro-
12. v. 16. phanus eſt, qui [illegible] tanta fuit inordinatio concupiſcentiæ cibi, quòd propter cibum primogenita vendidit: vnde quodammodo videbatur delectationem cibi concupiſcere tanquam finem. *In quæſt. diſp. q.* 14. *de malo art.* 2.

GENESIS. Cap. XXVI. *v.* 7.

Dic quod ſoror mea es.

EXplicatur ſupra *Geneſis* 12. *v.* 13.

GENESIS Cap. 26. *v.* 21.

Foderunt alium puteum, & pro illo rixati ſunt.

IBi non intelligitur quòd ſerui Iſaac ſint rixati, ſed quòd incolæ terræ rixati ſunt contra eos. 22. *q.* 41. *art.* 1. *ad ſecundum.*

GENESIS Cap. 26. *v.* 24.

Ego ſum Deus Abraham patris tui.

PRophetia ordinatur ad cognitionem diuinæ veritatis, per cuius contemplationem non ſolum in fide inſtruimur, ſed etiam in noſtris operibus gubernamur, ſecundùm illud, *Emitte lucem tuam & veritatem* *Pſ.* 42.
tuam, ipſa me deduxerunt. *v.* 3.

Fides autem noſtra in duobus principaliter conſiſtit: primò quidem in vera Dei cognitione, ſecundùm illud, *accedentem ad Deum* *Heb* 11.
oportet credere quia eſt. Secundò in *v.* 6.
myſterio incarnationis Chriſti, ſecundùm illud. *Creditis in Deum &* *Ioan.*14
in me credite. *v.* 1.

Si ergo de prophetia loquamur inquantum ordinatur ad fidem Deitatis; ſic quidem creuit ſecundùm tres temporum diſtinctiones, ſcilicet ante legem, ſub lege & ſub gratia. Nam ante legem, Abraham & alii patres prophetice ſunt inſtructi de his quæ pertinent ad fidem Dei-

tatis; vnde & prophetæ nominantur, ſecundùm illud, *in prophetis meis nolite malignari.* Quod ſpecialiter dicitur propter Abraham & Iſaac. *Pſ.* 104. *v.* 15.

Sub lege autem facta eſt reuelatio prophetica de his quæ pertinent ad fidem Deitatis excellentiùs quàm antè; quia iam oportebat circa hoc inſtitui non ſolùm ſpeciales perſonas, aut quaſdam familias, ſed totum populum. Vnde Dominus dicit Moyſi: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai non indicaui eis:* Quia ſcilicet præcedentes patres fuerant inſtructi in fide de omnipotentia vnius Dei: ſed Moyſes poſtea pleniùs fuit inſtructus de ſimplicitate diuinæ eſſentiæ cùm dictum eſt ei, *Ego ſum qui ſum*, quodquidem nomen ſignificatur à Iudæis per hoc nomen Adonai, propter venerationem illius ineffabilis nominis. Ex. 6. v. 3. Ex. 3. v. 14.

Poſtmodum verò tempore gratiæ ab ipſo filio Dei reuelatum eſt myſterium Trinitatis, ſecundùm illud, *Euntes docete omnes gentes, &c.* Matth. vlt. v. 19.

In ſingulis tamen ſtatibus, prima reuelatio excellentior fuit. Ante legem prima reuelatio facta eſt Abrahæ; cuius tempore cœperunt homines à fide vnius Dei deuiare, ad idololatriam declinando. Ante autem non erat neceſſaria talis reuelatio, omnibus in cultu vnius Dei perſiſtentibus, Iſaac verò facta eſt inferior reuelatio, quaſi fundata ſuper reuelatione facta Abrahæ, vt patet in textu. Et ſimiliter ad Iacob dictum eſt, *Ego ſum Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac.* Gen. 28. v. 13.

Et ſimiliter in ſtatu legis, prima reuelatio facta Moyſi, excellentior fuit; ſupra quam fundatur omnis alia Prophetarum reuelatio: ita etiam in tempore gratiæ ſuper reuelatione facta Apoſtolis de fide vnitatis & Trinitatis, fundatur tota fides Eccleſiæ, ſecundùm illud, *ſuper hanc petram*, ſcilicet confeſſionis tuæ, *ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. v. 18.

Quantùm verò ad fidem incarnationis Chriſti, manifeſtum eſt quòd quantò fuerunt Chriſto propinquiores ſiue antè, ſiue poſt; vt plurimùm plures de hoc inſtructi fuerunt. Poſt tamen pleniùs quàm antè.

Quantùm verò ad directionem humanorum actuum, prophetica reuelatio diuerſificata eſt, non ſecundùm temporis proceſſum, ſed ſecundùm conditionem negotiorum, quia vt dicitur, *cùm defecerit prophetia, diſſipabitur populus.* Et ideo quolibet tempore inſtructi ſunt homines diuinitus de agendis, ſecundùm quod erat expediens ad ſalutem electorum. 22. *quæſt.* 174. *art.* 6. Prou. 29. v. 18

GENESIS Cap. XXVII. v. 24.

Tu es filius meus Eſau? Reſpondit ego ſum.

VIdetur quòd non omne mendacium ſit peccatum; nullum enim peccatum fit inſtinctu ſpiritus ſancti: ſed Iacob propter familiare conſilium ſpiritus ſancti, quod à matre acceperat, dixit ſe eſſe primogenitum, cùm non eſſet, & ita mentitus eſt; ergo aliquod mendacium non eſt peccatum.

Digitized by Google

Dicendum quòd cùm locutio inuenta ſit ad exprimendam conceptionem cordis, quandoeunque aliquis loquitur quod in corde non habet, loquitur quod non debet: Hoc autem contingit in omni mendacio; vnde omne mendacium eſt peccatum, quantuncumque aliquis propter bonum mentiatur.

Omne mendaciũ eſt peccatum.

Ad argumentum dicendum, quòd verba quæ Iacob protulit, ſecundùm aliquem intellectum veritatem habuerunt; ſibi enim primogenitura Dei electione debebatur, & ad illum intellectum ſpiritus ſanctus verba ordinabat, cuius inſtinctu & intellectu loquebatur; ſiue ipſe illum intellectum ex verbis acciperet explicitè, ſiue implicitè hoc ſignificare intendens, ad quod ſpiritus ſanctus ordinabat; vnde à mendacio excuſatur. Et eadem ratio eſt de omnibus verbis, quæ mendacium ſapere videntur, ab illis viris prolata, in quibus mendacium concedere nefarium videtur. *Lib. 3 ſent. Diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *& lib.* 3. *ſent. ad Annibald. diſt.* 38. *art.* 2. Idem locus explicatur ſuprà. *Gen.* 12. *v.* 13.

GENESIS. Cap. 27. v. 41.

Venient dies luctus patris mei.

ESau locum veniæ non inuenit, quia non verè pœnituit, etſi lachrymas exteriùs emiſerit; quod patet ex hoc quod dixit, *venient dies luctus patris mei*, & occidam Iacob fratrem meum. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 14. *q.* 2. *art.* 1. *ad ſecundum, &* 3. *p. q.* 86. *art.* 1.

GENESIS Cap. XXVIII. v. 6.

Non accipies vxorem de filiabus Chanaan.

VIdetur quòd aliquis præcepto patris poſſit compelli ad matrimonium contrahendum vel non contrahendum, dicitur enim *filij obedite parentibus veſtris per omnia.* Præterea Iſaac præcepit Iacob, quòd *non acciperet vxorem de filiabus Chanaan*: non autem præcepiſſet, niſi de iure præcipere potuiſſet. *Coloſ. 3. v. 20.*

Dicendum quòd cùm in matrimonio ſit quaſi quædam ſeruitus perpetua, pater non poteſt cogere filium ad matrimonium per præceptum; cùm ſit liberæ conditionis: ſed poteſt eum inducere ex rationabili cauſa. Et Tunc ſicut ſe habet filius ad cauſam illam; ita ſe habet ad præceptum patris; vt ſcilicet ſi cauſa illa cogat de neceſſitate, vel de honeſtate: & præceptum patris ſimiliter cogat, alias non.

Matrimoniũ liberè contrahendũ.

Dicendum ergo quòd verbum Apoſtoli, non intelligitur in illis, in quibus eſt liber ſui, ſicut pater: & huiuſmodi eſt matrimonium, per quod etiam filius fit pater. Item dicendum quòd Iacob tenebatur ad faciendum hoc quod mandabat Iſaac, tum propter malitiam illarum mulierum; tum quia ſemen Chanaan de terra quæ ſemini patriarcharum promittebatur erat diſperdendum; & ideo Iſaac, præcipere poterat. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 29. *art.* 4. *& ſupplem. q.* 47. *art.* 6.

GENESIS.

GENESIS Cap. 28. *v.* 12.

Vidit in ſomnis ſcalam.

IAcob vidit Angelos in ſcala aſcendentes, quod pertinet ad contemplationem; & deſcendentes quod pertinet ad actionem. 22. q. 181. *art.* 4. *ad ſecundum.*

GENESIS Cap. 28. *v.* 13.

Ego ſum Deus Abraham.

EXplicatur ſupra *Geneſis* 26. *v.* 24.

GENESIS Cap. 28. *v.* 18.

Tulit lapidem, fundens oleum deſuper.

EXplicatur ſuprà: *Geneſ.* 4. *verſ.* 3.

GENESIS Cap. 28. *v.* 20.

Vouit votum dicens, ſi fuerit Deus mecum.

VIdetur quòd votum non ſit tantùm de meliori bono; quia illud quod eſt neceſſitatis, non reputatur bonum melius, ſed commune bonum: ſed de eo quod neceſſitatis, patet eſſe votum; ſicut Iacob vouit quòd eſſet ſibi Dominus in Deum; ergo non oportet quod ſit de meliori bono.

Dicendum quòd duplex eſt neceſſitas; vna abſoluta, & talis neceſſitas omnino excludit votum; ſicut ſi aliquis voueret ſe non moriturum, vel ea quæ omnino non ſunt in poteſtate eius, nullum eſſet votum. Alia eſt neceſſitas conditionata ex ſuppoſitione finis; & ſic ineſt nobis neceſſitas faciendi illa, ſine quibus non poſſumus ſalutem conſequi; ſicut ſunt præcepta ad quæ aliàs tenemur. Et talis neceſſitas non excludit omnino votum: inuenitur enim quandoque largè accipiendo votum, eſſe de his quæ ſunt ſub tali neceſſitate. Sed excludit talis neceſſitas votum propriè dictum: & ideo ſi votum accipiatur ſecundùm propriam ſui rationem, eſt propriè de bonis illis ad quæ non omnes tenentur, quæ ſupererogationis ſunt: & ideo dicuntur meliora bona, quia ſuperadduntur illis bonis ſine quibus non eſt ſalus. Et ideo votum propriè acceptum dicitur eſſe de meliori bono.

Votum eſt de meliori bono.

Ad argumentum ergo dicendum, quòd illa Iacob promiſſio, magis fuit recognitio quædam obligationis, quàm obligationis cauſa: & ideo non poteſt propriè, ſed largo modo votum dici. Vel dicendum quòd votum Iacob non fuit de eo quod erat neceſſitatis, ſed de ſpeciali modo cultus per altaris conſtructionem, & decimarum exhibitionem: & ideo fuit de meliori bono. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 1.

Votum vouit. Videtur quod votum de neceſſitate non obligat. Votum enim quandoque fit ſub conditione, vt patet in textu: ſed tale votum non obligat conditione non extante; ergo non omne votum de neceſſitate obligat.

Sed contra eſt quod dicitur, *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Dicendum quòd votum eſt quidam promiſſionis contractus inter Deum & hominem. Vnde cùm contractus bonæ fidei inter homines factus obli- *Deut.* 23 *v.* 21.

Votum obligat.

get ad neceſſariam obſeruationem, multò fortiùs votum quo homo Deo aliquid promittit; in his duntaxat ad quæ votum ſe extendit: in illis autem ad quæ votum non ſe extendit, obligatio voti non habet locum. Et ideo qui votum ritè factum prætermittit, mortaliter peccat; quia fidem quam cum Deo iniit, frangit.

Ad argumentum dicendum, quod illud quod ſub conditione vouetur, non vouetur ſimpliciter; & ideo non obligat niſi illâ conditione extante. *Lib. 4. ſent. Diſt. 38. q. 1. art. 3.*

Votum vouit. Arguitur, idem Deus eſt qui colitur à iuſtis quacunque mundi ætate: ſed ante legem datam iuſti abſque peccato mortali colebant Deum qualitercumque eis placebat. Vnde & Iacob proprio voto ſe obligauit ad ſpecialem cultum; ergo etiam modò nullus Dei cultus eſt pernicioſus.

R. Quòd ante tempus legis iuſti per interiorem inſtinctum inſtruebantur de modo colendi Deum, quos alii ſequebantur. Poſtmodum verò exterioribus præceptis circa hoc homines ſunt inſtructi; quæ præterire peſtiferum eſt. 22. *q.* 93. *art.* 1. *ad ſecundum, Simile* 3. *p. q.* 60. *art.* 5.

GENESIS Cap. 28. *v.* 22.

Cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Videtur quòd non de omnibus teneantur homines decimas dare; ſolutio enim decimarum videtur eſſe ex veteri lege introducta: ſed in veteri lege nullum præceptum datur de perſonalibus decimis, quæ ſcilicet ſoluuntur de his quæ aliquis acquirit ex proprio actu, puta de mercationibus vel de militia; ergo de talibus decimas nullus ſoluere tenetur.

2. De malè acquiſitis non debet fieri oblatio: ſed oblationes quæ immediatè Deo exhibentur, magis videntur pertinere ad diuinum cultum, quàm decimæ quæ exhibentur miniſtris; ergo etiam nec decimæ de malè acquiſitis ſunt ſoluendæ.

3. Non mandatur ſolui decima niſi de frugibus & pomis arborum, & animalibus quæ traſeunt ſub virga paſtoris: ſed præter hæc ſunt quædam alia minuta, quæ homini proueniunt; ſicut herbæ quæ naſcuntur in horto, & alia huiuſmodi; ergo nec de illis homo decimas dare tenetur. *Leuit. vlt. v.* 30.

4. Homo non poteſt ſoluere niſi id quod eſt in eius poteſtate: ſed non omnia quæ proueniunt homini de fructibus agrorum aut animalium remanent in eius poteſtate; quia quædam aliquando ſubtrahuntur per furtum vel rapinam; quædam verò quandoque in alium transferuntur per venditionem: quædam etiam aliis debentur, ſicut principibus debentur tributa, & operariis debentur mercedes; ergo de his non tenetur aliquis decimas dare. *De omnibus homines debent decimas dare.*

Sed contra eſt quod dicitur in textu, omnia enim quæ homo habet, ſunt ei data diuinitus; ergo de omnibus debet decimas dare.

Dicendum quòd de vnaquaque re præcipuè eſt iudicandum ſecundùm eius radicem: Radix autem ſolutionis decimarum, eſt debitum

Digitized by Google

1 Cor. 9. v. 11. quo ſeminantibus ſpiritualia, debentur carnalia, vt dicitur; *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus?* Super hoc enim debitum, fundauit Eccleſia determinationem ſolutionis decimarum. Omnia autem quæcumque homo poſſidet, ſub carnalibus continentur; & ideo de omnibus poſſeſſis decimæ ſunt ſoluendæ.

Ad 1. R. quòd ſpecialis ratio fuit quare in veteri lege non fuit datum præceptum de perſonalibus decimis, ſecundùm conditionem populi illius; quia ſcilicet omnes aliæ tribus certas poſſeſſiones habebant, de quibus poterant ſufficienter prouidere Leuitis, qui carebant poſſeſſionibus: non autem interdicebatur eis quin de aliis operibus honeſtis lucrarentur, ſicut & alii Iudæi. Sed populus nouæ legis eſt vbique per mundum diffuſus; quorum plurimi poſſeſſiones non habent, ſed de aliquibus negotiis viuunt; qui nihil conferrent ad ſubſidium miniſtrorum Dei, ſi de eorum negotiis decimas non ſoluerenr.

Miniſtris etiam nouæ legis arctiùs interdicitur ne ſe ingerant negotiis lucratiuis, ſecundùm illud; 2. Tim. 2. v. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotijs.* Et ideo in noua lege tenentur homines ad decimas perſonales, ſecundùm conſuetudinem patriæ & indigentiam miniſtrorum.

Ad 2. R. quòd aliqua malè acquiruntur dupliciter: Vno modo quia ipſa acquiſitio eſt iniuſta, putà quæ acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut vſuram; quæ homo tenetur reſtituere, non autem de eis decimas dare. Tamen ſi aliquis ager ſit emptus de vſura; de fructu eius tenetur vſurarius decimas dare; quia fructus illi non ſunt ex vſura, ſed ex Dei munere.

Aliqua malè acquiruntur dupliciter.

Quædam verò dicuntur malè acquiſita, quia acquiruntur ex turpi cauſa; ſicut de meretricio & hiſtrionatu, & aliis huiuſmodi, quæ non tenentur reſtituere. Vnde de talibus tenentur decimas dare ſecundùm modum aliarum perſonalium decimarum. Tamen Eccleſia non debet eas recipere quandiu ſunt in peccato; ne videatur eorum peccatis communicare: ſed poſt quam pœnituerint poſſunt ab eis de his recipi decimæ.

Ad 3. R. quòd ea quæ ordinantur in finem, ſunt iudicanda ſecundùm quòd competunt fini. Decimarum autem ſolutio eſt debita non propter ſe, ſed propter miniſtros; quorum honeſtati non conuenit vt etiam minimâ exactâ diligentiâ requirant. Et ideo lex vetus non determinauit vt de huiuſmodi minutis rebus decimæ dentur; ſed reliquit hoc arbitrio dare volentium; quia minima quaſi nihil computantur.

Vnde Phariſæi quaſi perfectam legis iuſtitiam ſibi aſcribentes, etiam de his minutis decimas ſoluebant. Nec tamen de hoc reprehenduntur à Domino; ſed ſolùm de hoc quòd maiora, ſcilicet ſpiritualia præcepta, contemnebant. Vnde & nunc de huiuſmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, niſi fortè propter conſuetudinem patriæ.

Ad 4. R. quòd de his quæ furto vel rapinâ tolluntur, ille à quo auferuntur decimas ſoluere non tenetur antequam recuperet; niſi for-

tè propter culpam vel negligentiam ſuam damnum incurrerit; quia ex hoc Eccleſia non debet damnificari.

Si verò vendat triticum non decimatum, poteſt Eccleſia decimas exigere Eccleſiæ debitas; & ab emptore, quia habet rem Eccleſiæ debitam; & à venditore, quia quantùm eſt de ſe Eccleſiam defraudauit. Vno tamen ſoluente alius non tenetur.

Debentur autem decimæ de fructibus terræ, inquantum proueniunt ex diuino munere; & ideo decimæ non cadunt ſub tributo, nec etiam ſunt obnoxiæ mercedi operariorum. Et ideo non debent priùs deduci tributa, & pretium operariorum, quàm ſoluantur decimæ: ſed ante omnia debent decimæ ſolui ex integris fructibus. 22. q. 87. *art.* 2 Idem locus explicatur ſupra. *Gen.* 14 *v.* 20.

GENESIS Cap. XXIX. v. 14.

Laban dixit ad Iacob, os meum es & caro mea.

Ratione cognationis quæ erat inter eos; ergo talis propinquitas magis debet dici carnalitas, quàm conſanguinitas.

Dicendum quòd illud quod proximè conuertitur in ſemen, eſt ſanguis: & propter hoc vinculum quod ex propagatione carnali contrahitur carnaliter, conuenientiùs dicitur conſanguinitas, quàm carnalitas. Et quòd aliquando vnus conſanguineus dicitur eſſe caro alterius, hoc eſt in quantùm ſanguis, qui in ſemen viri, aut in menſtruum conuertitur, eſt potentiâ caro & os. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 1. *& ſupplem. q.* 54. *art.* 1. *ad* 4.

GENESIS Cap. 29. v. 17.

Lia lippis erat oculis.

Vita actiua fœcunda dicitur, vnde per Liam ſignificatur. *Lib.* 3. *ſent. Diſt.* 35. *q.* 1. *art.* 3. 22. *q.* 179. *art.* 2. *& q.* 181. *art.* 2.

GENESIS. Cap. 29. v. 23.

Veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum.

Inter Liam & Iacob fuit verum matrimonium: ſed ibi fuit error; ergo error non excludit matrimonium.

Dicendum quòd matrimonium quod fuit inter Liam & Iacob, non fuit perfectum ex ipſo concubitu qui ex errore contigit: ſed ex conſenſu qui poſtmodum acceſſit. Tamen & vterque à peccato excuſatur. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 30. *q.* 1. *art.* 1. *ſupplem. q.* 51. *art.* 1. *Et lib.* 4. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 29. *art.* 2.

Veſpere Liam. Quod ignoratur, non eſt voluntarium. Vnde ſi quis accederet ad coniugatam alterius quam putaret eſſe ſuam vxorem, eſſet abſque peccato; ſicut Lia ſubinducta eſt ipſi Iacob loco Rachelis. *In quæſt. Diſp. q.* 2. *de malo art.* 6. *ad vndecimum.*

Digitized by Google

GENESIS Cap. XXX. v. 5.

Iacob acceſſit ad ancillas vxorum ſuarum.

EXplicatur ſuprà. *Gen.* 16. *verſ.* 4.

GENESIS Cap. XXXI. v. 40.

Nocte & die æſtu vrebar & gelu.

VErba ſunt Iacob oſtendentis & commendantis curam paſtoralem, ac paſtorale officium. In quibus circa hoc officium tria ponuntur, ſcilicet aſſiduitas, patientia, ſolicitudo. Primum eſt quia ſine intermiſſione debet curam gregis gerere. Vnde dicit *nocte & die.* Nocte orando, die erudiendo. Vel per diem, id eſt, tempore proſperitatis, & per noctem tempore aduerſitatis. Tres qualitates paſtoris.

Secundum eſt quia maximè prælato patientia neceſſaria eſt, debet enim prælatus propter gregis ſalutem omnia ſuſtinere. Vnde dicit *æſtu*, id eſt feruore inſtantis perſecutionis. *gelu*, id eſt, timore futurorum.

Tertium eſt quia præeſt in ſolicitudine, & hoc expellit ſomnum negligentiæ. Vnde ſubditur, *Fugiebat ſomnus ab oculis meis. In prologo ſuper Epiſt.* 2. *ad Timotheum.* Ibid.

GENESIS. Cap. 31. v. 53.

Deus Abraham iudicet inter nos.

VIdetur quòd non liceat iuramentum recipere vel exigere, quia dicitur, Quòd *qui conſentiunt malè facientibus digni ſunt morte*: ſed qui iurat per idola, peccat mortaliter; qui autem ab eo iuramentum recipit, videtur ei conſentire. Rom. 1. v. 32.

Sed contra eſt quod legitur de Iacob qui recepit iuramentum Laban, qui ſcilicet per Deos ſuos iurauit, nec eſt dicendum quòd peccauerit. Nam ſine quo non poteſt ordo iudiciarius obſeruari, non videtur eſſe peccatum: ſed ordo iudiciarius in multis caſibus ſine receptione iuramenti obſeruari non poſſet; ergo recipere iuramentum non eſt peccatum.

Dicendum quòd ſicut iurare non ſemper malum eſt, ſed quandoque eſt licitum, quando pro neceſſitate aliqua, & cum cautela iuratur; ita etiam iuramentum recipere, vel exigere ex cauſa neceſſaria, & aliis debitis circunſtantiis obſeruatis, poteſt eſſe ſine peccato. Iurare quádoque licitum.

Ad argumentum dicendum quòd ille qui iurat per idola, peccat quidem quantùm ad formam iuramenti, ſed non quantùm ad aſſertionem veri, vel promiſſionem alicuius quod redundat in bonum commune: & quantùm ad hoc poteſt ei conſentire ſine peccato, ſed non quantùm ad primum. Et ideo iuramento eius vti poſſumus quandoque ſine peccato. *Lib.* 3. *ſent. Diſt.* 39. *q.* 1. *art.* 5.

GENESIS Cap. XXXII. v. 30.

Vidi Deum facie ad faciem.

VIdetur quòd Deus in ſtatu viæ poſſit per eſſentiam videri; quia dicitur,

Eſai. 6. v. 1. *vidi Dominum ſedentem*. 2. Iacob vidit, vt patet in textu. 3. Iob vidit, Iob. 42. v. 5. *auditu auris audiui te, nunc autem* Nu. 12. *oculus meus videt te*. 4. de Moyſe dicitur, v. 8. *Palam & non per ænigmata vidit Deum*.

Ex. 33. v. 20. Sed contra eſt quod dicitur, *Non videbit me homo & viuet*. Dicendum quòd cùm beatitudo ſit vltimus finis rationalis creaturæ, ſtatus viæ in qualibet rationali creatura dicitur eſſe ille, in quo à beatitudine deficit. Beatitudo autem cuiuſlibet rationalis creaturæ conſiſtit in viſione Dei per eſſentiam: operatio autem delectabiliſſima in qua beatitudo conſiſtit, oportet quòd ſit potentiæ diſpoſitæ & perfectæ ad digniſſimum obiectum. Et ideo ad hoc quod creatura rationalis ſit beata per viſionem Dei in eſſentia ſua, oportet quòd in hanc viſionem ſit potens per aliquam diſpoſitionem ſibi inhærentem, quam dicimus eſſe lumen gloriæ.

Sic autem nulla pura creatura in ſtatu viæ exiſtens, videre poteſt Deum per eſſentiam: homo enim per diſpoſitiones omnes quas in ſtatu viæ habet, non poteſt in aliquid amplius, niſi vt intelligat quicquid intelligit per ſpecies à ſenſu abſtractas; quia phantaſmata ſunt intellectui noſtro vt ſenſibilia ſenſui.

Deus in hac vita non poteſt per eſſentiam videri.

Intellectus etiam Angeli in ſtatu viæ, per omnes diſpoſitiones naturales, vel etiam gratuitas; non poteſt in aliquid amplius niſi vt intelligat omne quod intelligit per formas creatas, ad quas naturalis facultas intellectus eius determinatur. Deus autem in eſſentia ſua videri non poteſt nec per aliquam formam à ſenſu abſtractam, nec per aliquam formam creatam. Vnde patet quòd nullus intellectus puræ creaturæ in ſtatu viæ exiſtentis poteſt in viſionem Dei per eſſentiam, per aliquam diſpoſitionem ſibi inhærentem.

Sed contingit aliquando diuinâ virtute quòd aliqua res miraculosè perducitur in aliquid, in quo nullo modo poteſt per aliquas diſpoſitiones ſibi inhærentes, ſicut quòd virgo pariat, quòd ignis in aqua comburat. Et ſimiliter poteſt miraculosè fieri quòd diuinâ virtute aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitionem viæ, eleuetur ad videndum Deum per eſſentiam: nec tamen ex tali viſione poteſt dici beatus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm; inquantum ſcilicet communicat in actu beati: ſicut etiam aliquod corpus in ſtatu grauitatis exiſtens, poteſt miraculosè participare actum agilitatis, vel impaſſibilitatis; ſicut de Abacuc legitur, & de tribus pueris conſeruatis in fornace. Nec tamen eorum corpora erant glorioſa. Dan. vlt. v. 35. Dan. 3. v. 50.

Ea autem quæ fiunt miraculosè, non dicuntur poſſibilia ſecundùm naturam in qua fiunt, ſed ſecundùm virtutem facientis tantùm. Non enim dicimus propriè loquendo quod cæcus poſſit fieri videns, ſed quòd Deus poteſt eum facere videntem. Et ideo dicendum eſt quòd nulla pura creatura in ſtatu viæ exiſtens, poteſt Deum per eſſentiam videre: ſed Deus poteſt facere quòd videat adhuc in ſtatu viæ manens.

Ad 1. R. quòd per hoc quod in ſcriptura dicitur, quòd aliquis ſanctus vidit Deum vt Eſaias; non eſt intelligendum quòd eſſentiam Dei viderit: ſed quòd oſtenſæ ſunt eis

aliquæ formæ vel corporales vel imaginariæ, per quas manuducebantur in Dei cognitionem.

Ad 2. R. quòd viſio illa Iacob fuit imaginaria, corporalis: Dicitur tamen vidiſſe facie ad faciem, quia illa figura in qua ei apparuit Deus facie ad faciem, eſt ab eo viſa.

Ad 3. R. quòd verbum Iob poteſt intelligi de viſione imaginaria & intellectuali. Si enim intelligatur de imaginaria, deſignatur profectus Iob in gradu prophetiæ; cùm primò non fuerit ei facta reuelatio niſi per auditum loquentis; poſtmodum verò per viſionem loquentis.

Si autem intelligatur de viſione intellectuali; tunc oſtenditur profectus eius de cognitione fidei in intellectum diuinorum; qualis hîc per contemplationem habetur à ſanctis, quæ quidem viſio dicitur: Quia ſicut videndo aliqua cognoſcimus, ab ipſis rebus accipiendo; ita ſancti in contemplatione accipiunt lumen ab ipſo Deo, per quod diuina altiùs cæteris contemplantur: ſed audita cognoſcimus aſſentiendo eis qui ab ipſis rebus ſpecies acceperunt, dum nobis referunt ſe vidiſſe. Et ſimiliter per fidem adhæremus dictis Apoſtolorum & prophetarum, qui fuerunt diuino lumine illuſtrati. Et ſic non oportet ponere quòd Deum per eſſentiam viderit.

Ex. 33. *v.* 11. Ad 4. R. quòd duplex eminentia viſionis Moyſi aſcribitur: vna, vbi dicitur quòd *loquebatur Dominus Moyſi facie ad faciem*, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum. Ex quibus tamen verbis haberi non poteſt quòd Deum per eſſentiam viderit: quod patet ex hoc quòd petit dicens, *oſtende mihi gloriam tuam*; quod ei tunc conceſſum non eſt, vnde dictum eſt *ei, faciem meam videre non poteris.*

Alia eminentia viſionis Moyſi oſtenditur, vbi Dominus de eo dixit ad Aaron & Mariam, *ore ad os loquor ei*, quod in Exodo dictum non fuerat; quia viſio Dei per eſſentiam non fit mediante aliquo ſuperiori ſpiritu; ſed ipſe Deus immediatè ſe oſtendit: & hoc eſt loqui ore ad os. Hæc tamen viſio qua ante mortem Deum per eſſentiam vidit, non fecit eum beatum ſimpliciter; vnde nec ſemper illa viſio in eo permanſit. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 7. *P.* 1. *p. q.* 12. *art.* 11. & 22. *q.* 180. *art.* 5. *ad primum.* *Nu.* 12. *v.* 8.

GENESIS Cap. 32. *v.* 31.

Ipſe verò claudicabat pede.

IAcob poſtquam dixerat, vidi Dominum facie ad faciem claudicabat pede, quia poſt contemplationem neceſſe eſt vt debilitato amore ſeculi conualeſcat aliquis ad amorem Dei. Et ideo poſt agnitionem ſuauitatis Dei, vnus in nobis pes ſanus remanet, atque alius claudicat. Omnis enim qui vno pede claudicat, ſolùm illi pedi innititur, quem ſanum habet. 22. *q.* 180. *art.* 7. *ad quartum.*

GENESIS Cap. XXXIV. *v.* 12.

Augete dotem, & munera poſtulate.

ET, *ſi ſeduxerit quis virginem. dormieritque cum ea, dotabit eam, & accipiet eam in vxo-* *Exod.* 22. *v.* 16

rum. Hic doctor explicat quid ſit dos, & an dari debeat ſponſo vel ſponſæ. *Lib. 4. ſent. Diſt. 49. q. 4. art. 1. & ſupplem. q. 95. artic. 1. per totum.*

GENESIS Cap. XXXVII. *v.* 2.

Accuſauit Ioſeph fratres ſuos.

Videtur quod in correctione fraterna non debeat ex neceſſitate præcepti admonitio ſecreta præcedere denunciationem; in operibus enim charitatis debemus Deum imitari: Deus autem interdum publicè punit hominem pro peccato, nullâ ſecretâ admonitione præcedente; ergo.

2. In geſtis ſanctorum inuenitur facta publica denunciatio peccati occulti, nullâ ſecretâ monitione præcedente, vt patet de Ioſeph in textu. Et, Petrus Ananiam & Saphiram occultè defraudantes de pretio agri publicè denuntiauit, nullâ ſecretâ admonitione præmiſsâ. Ipſe etiam Dominus non legitur ſecretò admonuiſſe Iudam, antequam eum denuntiaret; ergo. *Act. 5. v. 3.*

3. Non videtur eſſe probabile quòd ea quæ ſunt in communi conſuetudine religioſorum, ſint contra præcepta Chriſti: ſed conſuetum eſt in religionibus quòd in capitulis aliqui proclamentur de culpis nullâ ſecretâ admonitione præmiſsâ; ergo.

4. Religioſi tenentur ſuis prælatis obedire: ſed quandoque prælati præcipiunt, vel communiter omnibus; vel alicui ſpecialiter, vt ſi quid ſit corrigendum eis dicatur; ergo non eſt de neceſſitate præcepti vt ſecreta admonitio præcedat publicam denuntiationem.

Dicendum quòd circa publicam denuntiationem peccatorum, diſtinguendum eſt: Aut enim peccata ſunt publica, aut ſunt occulta. Si ſint publica, non eſt tantùm adhibendum remedium ei qui peccauit vt melior fiat; ſed etiam aliis, in quorum notitiam deuenit, vt non ſcandalizentur. Et ideo talia peccata ſunt publicè arguenda ſecundùm illud, *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* *1. Tim. 5. v. 20.*

Si verò ſint peccata occulta, ſic videtur habere locum quod Dominus dicit, *ſi peccauerit in te frater tuus.* Quando enim te offendit publicè coram aliis, iam non ſolùm in te peccat, ſed etiam in alios quos turbat. Sed quia etiam in occultis peccatis poteſt parari proximorum offenſa; ideo adhuc videtur diſtinguendum eſſe. *Matth. 18. v. 15.*

Quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale; putà ſi aliquis occultè tractet quomodo ciuitas tradatur hoſtibus; vel ſi hæreticus priuatim homines à fide auertat. Et quia ille qui ſic occultè peccat, non ſolùm in te peccat, ſed etiam in alios; oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, vt huiuſmodi nocumentum impediatur: niſi fortè aliquis firmiter exiſtimaret quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire.

Quædam verò peccata ſunt, quæ ſolùm ſunt in malum peccantis, & eius in quem peccatur; quia à peccante ſolus læditur, ſaltem ex notitia; & tunc ad hoc ſolùm tenden-

dum

dum eſt vt fratri peccanti ſubueniatur. Et ſicut medicus corporalis ſanitatem ægroto confert, ſi poteſt, ſine alicuius membri abſciſſione; ſi autem non poteſt, abſcindit membrum minùs neceſſarium, vt vita totius conſeruetur: Ita etiam ille qui ſtudet emendationi fratris, debet (ſi poteſt) ſic emendare fratrem, quantùm ad conſcientiam, vt fama eius conſeruetur, quæ quidem eſt vtilis: primò quidem ipſi peccanti, non ſolùm in temporalibus, in quibus quantùm ad multa homo patitur detrimentum, amiſſâ famâ; ſed etiam quantùm ad ſpiritualia; quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Vnde quando ſe infamatos conſpiciunt, irrefrænatè peccant.

Fama hominis cõſeruanda.

Secundò debet conſeruari fama fratris peccantis, tum quia vno infamato, alii infamantur. Tum etiam quia ex peccato vnius publicato, alii prouocantur ad peccandum. Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus vt ſaltem cum diſpendio famæ, fratris conſcientia per publicam denuntiationem à peccato liberetur. Vnde patet de neceſſitate præcepti eſſe quòd ſecreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.

Ad 1 R. quòd omnia occulta ſunt Deo nota. Et ideo hoc modo ſe habent occulta peccata ad iudicium diuinum, ſicut publica ad humanum. Et tamen plerumque Deus peccatores quaſi ſecretâ admonitione arguit, interiùs inſpirãdo vel vigilanti, vel dormienti, ſecundùm illud; *per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines; tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplinâ; vt auertat hominem ab his quæ fecit.*

Iob. 33. v. 15.

Ad 2. R. quòd Dominus peccatum Iudæ, tanquam Deus, ſicut publicum habebat; vnde ſtatim poterat ad publicandum procedere: tamen ipſe non publicauit, ſed obſcuris verbis eum de peccato ſuo admonuit. Petrus autem publicauit peccatum occultum Ananiæ & Saphiræ, tanquam executor Dei, cuius reuelatione peccatum cognouit.

De Ioſeph autem credendum eſt quòd fratres ſuos quandoque admonuerit, licet non ſit ſcriptum. Vel poteſt dici quòd peccatum publicum erat inter fratres: vnde dicit pluraliter, *accuſauit fratres ſuos.*

Ad 3. R. quòd huiuſmodi proclamationes quæ in capitulis religioſorum fiunt, ſunt de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant. Vnde ſunt quaſi quædam commemorationes potiùs oblitarum culparum, quàm accuſationes vel denuntiationes. Si eſſent tamen talia de quibus frater infamaretur; contra præceptum Domini ageret, qui per hunc modum peccatum fratris publicaret.

Ad 4. R. quòd prælato non eſt obediendum contra præceptum diuinum, ſecundùm illud, *obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Et ideo, quando prælatus præcipit vt ſibi dicatur quod quis ſciuerit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſanè, ſaluo ordine fraternæ correptionis: ſiue præceptum fiat communiter ad omnes, ſiue ad aliquem ſpecialiter.

Act. 5. v. 29.

Sed ſi prælatus expreſsè præciperet contra hunc ordinem à Domino inſtitutum; & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi

Digitized by Google

contra præceptum Domini agens. Vnde non eſſet ei obediendum: quia prælatus non eſt iudex occultorum, ſed ſolus Deus. Vnde non habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis, niſi inquantum per aliqua indicia manifeſtantur; putà per infamiam, vel per aliquas ſuſpiciones; in quibus caſibus poteſt prælatus præcipere eodem modo, ſicut & iudex ſecularis, vel eccleſiaſticus poteſt exigere iuramentum de veritate dicenda. 22. *q.* 33. *art.* 7.

Accuſauit fratres. Peccatum fratrum Ioſeph explicatur 22. *q.* 154. *art.* 12. *ad quartum.*

Genesis Cap. 37. v. 8.

Nunquid rex noſter eris?

Videtur quòd Angeli præſciuerint ſuam miſeriam vel beatitudinem; nam diabolus præuidit ſe
Eſai. 14 *v.* 13. ſuper malos principatum habiturum; propter hoc in latere aquilonis ſolium ſuum ponere volebat: ſed non eſt factus princeps malorum niſi per peccatum; ergo videtur quòd peccatum ſuum præſciuerit.

Dicendum quod aliquid poteſt præcognoſci dupliciter, vel cognitione certâ; ſicut ea quæ habent cauſas determinatas infallibiles, vt ſolem oriri cras: vel cognitione coniecturali, ſicut ea quæ habent cauſas determinatas vt in maiori; ſicut medicus præcognoſcit ſanitatem futuram, & nauta tempeſtatem. Cùm ergo caſus & confirmatio Angelorum dependeant ex libero arbitrio, quod non eſt cauſa determinata ad vnum; non potuit eorum præcognitio haberi ſecundùm certitudinem, niſi à Deo qui præſentialiter omnia intuetur.

Sed tamen ſecundùm coniecturam poterant præſumere omnes ſe habituros beatitudinem; quia ad hoc eorum natura erat magis inclinata, velut ad hoc inſtituta: ſed ſuum caſum præſcire non poterant ex ſeipſis, nec per coniecturam, nec per certitudinem; ſed tantùm potentiam cadendi. Nec etiam fuit congruum à Deo eis reuelari, ne pœna culpam præcederet: Nec iterum bonis ſuam confirmationem, ne diſtinctio culpam præcederet. Si tamen vtriſque reuelatum fuiſſet, recepiſſent id non ſecundùm certitudinem, prout in Deo erat; ſed ſecundùm modum ſuum quaſi ad cautelam dictum.

Ad Argum. R. quòd quando ad aliquod conſequens poteſt per multa diuerſa antecedentia veniri, contingit conſequens ſciri ſine hoc quòd antecedentia determinatè ſciantur. Sicut Ioſeph præſciuit ſuum dominium ſuper fratres, non tamen venditionem, & alia ex quibus dominium conſecutus eſt. Ita & dæmon potuit præuidere ſuum principatum ſuper malos, ſine hoc quòd caſum præſciret; quia poterat malorum princeps eſſe, etiam bonus exiſtens. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 4. *art.* 2.

Genesis. Cap. XXXVIII. v. 15.

Iudas ſuſpicatus eſt eſſe meretricem.

Explicatur ſupra *Geneſis* 16. *v.* 4.

Digitized by Google

GENESIS Cap. 38. *v.* 23.

Certè mendacij arguere nos non poteſt.

MAius peccatum videtur eſſe mendacium quàm fornicatio ſimplex, quod patet ex hoc quòd Iudas qui fornicationem non horruit cum Thamar committere, recuſauit mendacium dicens, *Certè mendacij arguere nos non poteſt*: ſed Mendacium non ſemper eſt peccatum mortale; ergo neque fornicatio ſimplex. Dicendum quòd illi actus ex ſuo genere ſunt peccata mortalia, per quos fœdus amicitiæ hominis ad Deum, & hominis ad hominem violatur; hæc enim ſunt contra duo præcepta charitatis, quæ eſt animæ vita: & ideo cùm concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit; non eſt dubium quin fornicatio ſimplex de ſui ratione eſt peccatum mortale, etiam ſi lex ſcripta non eſſet.

Forni-catio peccatũ eſt.

Ad argumentum ergo dicendum quòd frequenter homo qui non vitat peccatum mortale, vitat aliquod peccatum veniale; ad quod non habet tantum incitamentum. Et ita etiam Iudas mendacium vitauit, fornicationem non vitans; quamuis illud mendacium perniciofum fuiſſet, iniuriam habens annexam, ſi promiſſum non reddidiſſet. *Lib. 4. ſent. Diſt. 33. quæſt. 1. art. 3. ſupplem. q. 65. art. 4. & lib. 4. ſent. ad Annibald. Diſt. 33. art. 2.*

GENESIS Cap. 38. *v.* 26.

Iuſtior me eſt.

NVllus actus iuſti in quantùm iuſtus eſt, eſt peccatum: ſed fornicatio videtur eſſe actus iuſtitiæ, Iudas enim dixit de Thamar cum qua fornicatus fuerat, *Iuſtior me eſt*; ergo fornicatio non eſt peccatum.

Forni-catio peccatũ eſt.

R. quòd Thamar ſic vocatur, non propter fornicationem quam commiſit; ſed quia ex alio genere ſibi prolem non quæſiuit quàm ex eo vnde ſibi vis debebatur. *In quæſt. diſp. q. 15. de malo art. 1.*

GENESIS Cap. 38. *v.* 27.

Obſtetrix ligauit coccinum.

VIdetur quòd pueri in maternis vteris exiſtentes poſſint baptiſari, efficacius enim eſt donum Chriſti ad ſalutem, quàm peccatum Adæ ad damnationem: ſed pueri in maternis vteris damnantur propter peccatum Adæ; ergo multò magis ſaluari poſſunt per donum Chriſti; quodquidem fit per baptiſmum; ergo pueri in maternis vteris exiſtentes poſſunt baptiſari.

2. Puer in vtero matris exiſtens, aliquid matris eſſe videtur: ſed baptiſatâ matre, baptiſatur quicquid eſt eius intra ipſam exiſtens; ergo videtur quòd baptiſatâ matre, baptiſetur puer in vtero eius exiſtens.

3. Mors æterna peior eſt quàm mors corporalis: ſed de duobus malis minus malum eſt eligendum; ſi ergo puer in vtero matris exiſtens baptiſari non poteſt, melius eſſet

Digitized by Google

quòd mater aperiretur, & puer vi eductus baptiſaretur, quàm quòd puer æternaliter damnaretur abſque baptiſmo decedens.

4. Contingit quandoque quòd aliqua pars pueri priùs egreditur, vt patet in textu: quandoque autem in tali caſu imminet periculum mortis, ergo pars illa debet baptiſari.

Pueri in vteris maternis non poſſunt baptiſari.

Dicendum quòd de neceſſitate baptiſmi eſt quòd corpus baptiſandi aliquo modo aquâ abluatur; cùm baptiſmus ſit quædam ablutio: corpus autem infantis antequam naſcatur ex vtero, non poteſt aliquo modo ablui aqua.

Ad 1. R. quòd pueri in maternis vteris exiſtentes nondum prodierunt in lucem vt cum aliis hominibus vitam ducant; vnde non poſſunt ſubiici actioni humanæ, vt per eorum miniſterium ſacramenta recipiant ad ſalutem. Poſſunt tamen ſubiici operationi Dei, apud quem viuunt, vt quodam priuilegio gratiæ ſanctificationem conſequantur: ſicut patet de ſanctificatis in vtero.

Ad 2 R. quòd anima pueri, ad cuius ſanctificationem ordinatur baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris; tum quia corpus pueri animati iam eſt formatum, & per conſequens à corpore matris diſtinctum. Et ideo baptiſmus quo mater baptiſatur non redundat in prolem in vtero matris exiſtentem.

Rom. 3. v. 7. Ad 3. R. quòd *non ſunt facienda mala vt eueniant bona*: & ideo non debet homo occidere matrem vt baptiſet puerum. Si tamen mater mortua fuerit viuente prole in vtero, debet aperiri vt puer baptiſetur.

Ad 4. R. quòd expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex vtero ad baptiſmum, niſi mors immineat. Si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptiſari periculo imminēte; & non eſt poſtea rebaptiſandus, ſi eum perfectè naſci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit ſicut in capite, videtur quibuſdam quod propter dubium, quacunque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam natiuitatem ſit baptiſandus ſub hac forma; ſi non es baptiſatus, ego te baptiſo. *3. p. q. 68. art. 11. ſimile lib. 4. ſent. Diſt. 6. q. 1. art. 1.*

GENESIS. Cap. XXXIX. v. 21.

Dominus dedit Ioſeph gratiam in conſpectu principis carceris.

VIdetur quòd gratia non ponat aliquid in anima; ſicut enim homo dicitur habere gratiam Dei, ita etiam gratiam hominis, vt patet in textu: ſed per hoc quod homo dicitur habere gratiam hominis, nihil ponitur in eo qui gratiam alterius habet, ſed in eo cuius gratiam habet ponitur acceptatio quædam; ergo per hoc quòd homo habere gratiam Dei dicitur, nihil ponitur in anima, ſed ſolùm ſignificatur acceptatio diuina.

2. Sicut anima viuificat corpus, ita Deus viuificat animam, vnde dicitur *Ipſe eſt vita tua*: Sed anima viuificat corpus immediatè; ergo etiam nihil cadit medium inter Deut. 30. v. 20

Deum & animam; non ergo gratia ponit aliquid creatum in anima.

Dicendum quòd ſecundùm communem modum loquendi, tripliciter gratia accipi conſueuit: vno modo pro dilectione alicuius, ſicut conſueuimus dicere quòd iſte miles habet gratiam regis, id eſt, rex habet eum gratum. Secundò ſumitur pro aliquo dono gratis dato; ſicut conſueuimus dicere, hanc gratiam facio tibi. Tertio modo ſumitur pro recompenſatione beneficii gratis dati; ſecundũ quod dicimus agere gratias beneficiorũ. Quorum trium ſecundum dependet ex primo; ex amore enim quo aliquis habet alium gratum, procedit quòd aliquid ei gratis impendat. Ex ſecundo autem procedit tertium, quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio conſurgit.

Gratia tria ſignificat.

Quantùm igitur ad duo vltima, manifeſtum eſt quòd gratia aliquid ponit in eo qui gratiam accipit. Primò quidem ipſum donum gratis datum; ſecundò huius doni recognitionem. Sed quantùm ad primum eſt differentia attendenda circa gratiam Dei, & gratiam hominis; quia enim bonum creaturæ prouenit ex voluntate diuina, ideo ex dilectione Dei qua vult creaturæ bonum, profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis mouetur ex bono præexiſtente in rebus; & inde eſt quòd dilectio hominis non cauſat totaliter rei bonitatem, ſed præſupponit ipſam vel in parte, vel in toto.

Patet igitur quòd quamlibet Dei dilectionem ſequitur aliquod bonum in creatura cauſatum; non tamen dilectioni æternæ coæternum. Et ſecundùm huiuſmodi boni differentiam, differens conſideratur dilectio Dei ad creaturam: vna quidem communis, ſecundùm quam *diligit omnia quæ ſunt*, vt dicitur; ſecundùm quam eſſe naturale rebus creatis largitur. Alia autem dilectio eſt ſpecialis, ſecundùm quam trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem diuini boni. Et ſecundùm hanc dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter; quia ſecundùm hanc dilectionem vult Deus ſimpliciter creaturæ bonum æternum quod eſt ipſe.

Dilectio Dei Duplex.

Sap. 11. v. 25.

Sic igitur, per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proueniens. Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipſa æterna Dei dilectio: ſecundùm quod dicitur etiam gratia prædeſtinationis; inquantum Deus gratuito, & non ex meritis aliquos prædeſtinauit ſiue elegit. Dicitur enim, *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Eph. 1. v. 5.

Ad 1. R. quòd etiam in hoc quod dicitur aliquis habere gratiam hominis, intelligitur in illo eſſe aliquid quod ſit homini gratum: ſicut & in hoc quod dicitur aliquis gratiam Dei habere. Sed tamen differenter: Nam illud quod eſt homini gratum in alio homine, præſupponitur eius dilectioni; cauſatur autem ex dilectione diuina, quod eſt in homine Deo gratum.

Ad 2. R. quòd Deus eſt vita animæ per modum cauſæ efficientis: ſed anima eſt vita corporis per modum cauſæ formalis. Inter formam autem & materiam, non cadit ali-

Digitized by Google

quod medium; quia forma per ſe-ipſam informat materiam vel ſubiectum. Sed agens informat ſubiectum, non per ſuam ſubſtantiam, ſed per formam quam cauſat in materia. 12. *q.* 110. *art.* 1.

GENESIS Cap. XLI. v. 45.

Dedit illi vxorem filiam ſacerdotis Heliopoleos.

VIdetur quòd fidelis poſſit matrimonium cum infideli contrahere: quia Ioſeph contraxit cum Ægiptia, & Eſter cum Aſſuero. In vtroque autem matrimonio fuit diſparitas cultus; quia alter erat infidelis, & alter fidelis. *Eſter.* 2. *v.* 17.

Dicendum quòd principalius matrimonii bonum eſt proles ad cultum Dei educanda: Cùm autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, vterque ſecundùm fidem ſuam intendit ad cultum Dei prolem educare: & ideo ſi ſint diuerſæ fidei, intentio vnius, alterius intentioni contraria erit; & ita inter eos non poſſet eſſe conueniens matrimonium: & propter hoc diſparitas cultus præcedens matrimonium impedit ne contrahi poſſit.

Ad argumentum ergo dicendum, quòd in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permiſſum, quòd cum eis poſſent iniri coniugia, & de aliquibus prohibitum. Specialiter autem prohibitum erat de infidelibus habitantibus in terra Chanaam, tum quia Dominus præceperat eos occidi propter eorum obſtinationem; tum quia maius periculum imminebat ne ſcilicet coniuges filios Iſraël ad idololatriam peruerterent: quia filii Iſraël ad ritus, & ad mores eorum proniores erant, propter conuerſationem cum eis. Sed de aliis gentibus permiſit, præcipuè quando non poterat eſſe timor pertrahendi ad idololatriam. Et ſic Ioſeph & Moyſes, & Eſther cum infidelibus matrimonia contraxerunt. Sed in noua lege quæ per totum orbem diffunditur, ſimilis ratio prohibendi eſt de omnibus infidelibus: & ideo diſparitas cultus præcedens matrimonium, impedit contrahendum & dirimit contractum. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 39. *q.* 1. *art.* 1. *ſupplem. q.* 59. *art.* 1. *& lib.* 4. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 39. *art.* 1. *Ex.* 2. *cap.* 21.

GENESIS Cap. XLII. v. 15.

Per ſalutem Pharaonis.

VIdetur quòd iurare non ſit idem quòd Deum in teſtem inuocare; aliquando enim licitum eſt per creaturas iurare: ſed tunc non videtur inuocari diuinum teſtimonium, ſed magis teſtimonium creaturæ; ergo iurare non eſt Deum in teſtem inuocare.

2. Dicitur quòd *Homines per maiorem ſui iurant*; nec hoc ſolùm de Deo intelligitur, ſed etiam de hominibus qui ſupra nos ſunt; quia Ioſeph *Per ſalutem Pharaonis iurauit*, vt patet in textu; ergo iurare non eſt idem quòd Deum in teſtem inuocare. *Hebr.* 6. *v.* 16.

Dicendum quòd iuramentum propriè fit ad confirmationem eorum, quæ in dubium veniunt audienti, de quibus loquens vel cer-

titudinem habet, vel dicit ſe habere; & de illis dubiis quæ ex ſui natura dubitationem habent, ſicut ſunt facta contingentia, quæ per rationem confirmari non poſſunt. In aliis enim ridiculum videtur iuramentum exhibere. Horum ergo dubiorum certitudo fieri non poteſt niſi per aliquem, cuius ſcientiæ nihil deſit, & cuius veritas infaillibilis ſit: hoc autem in ſolo Deo inuenitur; & ideo eius teſtimonium ſolum ad huiuſmodi confirmationem efficax eſt.

Sed teſtimonium eius, aut aſſumitur ad huiuſmodi confirmationem, quod iam exhibitum eſt: & hoc non vocatur iuramentum, ſed magis probatio per auctoritatem. Vel inuocatur ad exhibẽdum; & hoc propriè iuramentum eſt. Et ideo aliquod iuramentum fit, in quo ſimpliciter diuinum teſtimonium inuocatur, vt dicitur, Teſtis eſt mihi *Deus*. Aliquod verò, in quo ipſius teſtis inuocati reuerentia, qui teſtimoniũ credibile facit proponitur vel in ſeipſo, vt cùm dicitur per *Deum*, vel viuit Dominus: vel in aliquo eius effectu præcipuè, vt cùm iuratur per cœlum, vel Euangelium, vel per ſanctos. Aliquando verò ipſe modus teſtificationis ſpecificatur, vt cùm dicitur, ſi non eſt ita, hoc mihi accidat.

Ad 1. R. quòd cùm quis per creaturam iurat, eius Deum inuocat. Hoc enim poteſt dupliciter fieri: vno modo per aliquam creaturam, in qua diuina magnificentia oſtenditur, quæ in teſtimonium inducitur. Alio modo dicitur in illa creatura effectus diuinæ teſtificationis exquiri; vt cùm dicitur, per caput meum, vel per ſalutem meam.

Ad 2. R. quòd Ioſeph iurans per ſalutem Pharaonis, vtroque dictorum modorum iurare potuit, vel quaſi oppignorans Deo ſalutem Pharaonis, cui aſtrictus erat; vel in poteſtate Pharaonis diuinam magnificentiam veneraus, & in teſtimonium inducens.

Nota quòd iuramentum quod fit per creaturas, quodammodo eſt licitum, & quodammodo illicitum. Si enim aliquis per creaturam iuret quaſi per primam originem veritatis, illicitum eſt iuramentum, & ad idololatriam pertinet: ſi autem iuret quis per creaturam vt in qua prima veritas relucet, ſic licitum eſt iuramentum. *Lib. 3. ſent. Diſt. 39. art. 1. ſimile 22. q. 89 art. 6.*

GENESIS Cap. XLII. v. 38.

Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

DIcit Iacob filijs ſuis, *Deductis Canos, &c.* Ergo Iacob ſciebat ante mortem ad inferos ſe transferendum; ergo & eadem ratione Abraham ad inferos translatus fuit poſt mortem, & ita ſinus Abrahæ videtur eſſe aliqua pars inferni.

Dicendum quòd animæ hominum poſt mortem ad quietem peruenire non poſſunt niſi merito fidei; quia *accedentem ad Deum oportet credere.* Hebr. 11. v. 6. Primum autem exemplũ credendi hominibus in Abraham datur, qui primus ſe à cœtu infidelium ſegregauit, & ſpeciale ſignum fidei accepit: & ideo requies illa quæ hominibus poſt mortem datur, ſinus Abrahæ dicitur.

Sed animæ ſanctorum poſt mortem non omni tempore eandem quietem habuerunt; quia poſt Chri-

ſti aduentum habent plenam quietem, diuinâ viſione perfruentes. Sed ante Chriſti aduentum habebant quidem quietem per immunitatem pœnæ; ſed non habebant quietem deſiderii per conſecutionem finis, & ideo ſtatus ſanctorum ante Chriſti aduentum poteſt conſiderari & ſecundùm id quod habebat de requie, & ſic dicitur ſinus Abrahæ; & poteſt etiam conſiderari quantùm ad id quod eis deerat de requie, & ſic dicitur Lymbus inferni. Lymbus ergo inferni & ſinus Abrahæ fuerunt ante Chriſti aduentum vnum per accidens, & non per ſe: & ideo nihil prohibet poſt Chriſti aduentum eſſe ſinum Abrahæ, & eſſe omnino diuerſum à lymbo; quia ea quæ ſunt vnum per accidens, ſeparari contingit.

Abrahæ Lymbus explicatur.

Luc 16. v. 23.

Dicendum ergo quòd ſicut requies ſanctorum patrum ante Chriſti aduentum dicebatur ſinus Abrahæ, ita & poſt Chriſti aduentum, ſed diuerſimodè; quia enim ante Chriſti aduentum ſanctorum requies habebat defectum requiei adiunctum: dicebatur idem infernus & ſinus Abrahæ, vnde ibi non videbatur Deus. Sed quia poſt Chriſti aduentum, ſanctorum requies eſt completa cùm Deum videant; talis requies dicitur ſinus Abrahæ, & nullomodo infernus. Et ad hunc ſinum Abrahæ, Eccleſia orat fideles perduci. *Lib. 4. ſent. diſt. 45. quæſt. 1. artic. 2. & ſupplem. q. 69. art. 4.*

GENESIS Cap. XLIV. v. 5.

Scyphus quem furati eſtis.

Explicatur ſupra *Gen. 24. v. 14.*

GENESIS Cap. XLVI. v. 26.

Omnes animæ quæ egreſſæ ſunt de femore Iacob.

Dicendum quòd locutio illa eſt Synecdochica, ponitur enim pars principalis, ſcilicet anima, pro toto homine. *Lib. 2. ſent. Diſt. 18. q. 2. artic. 1. Quæſt. 3. de potentia art. 9. ad primum. Et lib. 4. contra Gentiles cap. 33.*

Omnes animæ. Cùm dicitur, *Verbum caro factum eſt*, ſumitur pars pro toto, id eſt, caro pro toto homine: ſicut anima ponitur aliquando pro toto homine, vt patet in textu. *Lib. 3. ſent. Diſt 2. q. 1. art. 3. ad 1.* *Ioan. 1. v. 14.*

GENESIS Cap. XLIX. v. 29.

Sepelite me cum patribus meis.

Ideo ſancti patres de ſuis corporibus tumulandis curauerũt, vt oſtenderent corpora mortuorum ad Dei prouidentiam pertinere; non quòd corporibus mortuis aliquis ſenſus inſit, ſed propter fidem reſurrectionis aſtruendam. Vnde etiam voluerunt in terra promiſſionis ſepeliri, vbi credebant Chriſtum naſciturum & moriturum, cuius reſurrectio noſtræ reſurrectionis eſt cauſa. *Lib. 4. ſent. Diſt. 45. q. 2. art. 3. ad ſecundum.*

Libri GENESIS *Finis.*

LIBER

LIBER EXODI

CAPVT I. verſ. 12.

Quantò magis opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur.

EXplicatur ſupra. *Gen. 7. v. 17.*

EXODI Cap. I. *v. 21.*

Timuerunt obſtetrices Deum.

NVLLVM peccatum remuneratur à Deo : ſed obſtetrices Ægypti ſunt remuneratæ à Deo pro mendacio quod Pharaoni dixerunt ; ergo aliquod mandacium non eſt peccatum.

Dicendum quòd obſtetrices mentitæ ſunt ad literam, nec pro mendacio remuneratæ ſunt, ſed pro pietate; quia pueros Hæbreorum liberauerunt. *Lib. 3. ſent. Diſt. 38. q. 1. art. 3. idem explicatur fuſiùs ead. q. art. 4. ad 3. 12. q. 114. art. 10. ad ſecundum. Et 22. quæſt. 110. art. 3. ad ſecundum*, Idem locus explicatur ſupra. *Geneſis. 12. verſ. 13.*

EXODI. Cap. II. *v. 12.*

Percuſſum Ægyptium abſcõdit ſabulo.

VIdetur quòd iudicium per vſurpationem non reddatur peruerſum; inſtitia enim eſt rectitudo quædam in agendis : ſed nihil deperit veritati à quocumque dicatur; ſed à quocumque eſt accipienda; ergo etiam nihil deperit iuſtitiæ, à quocumque iuſtum determinatur, quod pertinet ad rationem iudicii.

2. Peccata punire ad iudicium pertinet : ſed aliqui laudabiliter leguntur peccata puniſſe; qui tamen auctoritatem non habebant ſuper illos quos puniebant, vt patet in textu. Et Phinees filius Eleazari, Zambri filium Salu; & reputatum eſt ei ad iuſtitiam ; ergo vſurpatio iudicii non pertinet ad iniuſtitiam. *Num. 25. v. 14.*

3. Poteſtas ſpiritualis diſtinguitur à temporali : ſed quandoque prælati habentes ſpiritualem poteſtatem, intromittunt ſe de his quæ pertinent ad ſecularem poteſtatem; ergo vſurpatum iudicium non eſt illicitum.

Dicendum quòd cùm iudicium Iudiciū

ferendū ſecundùm leges ſcriptas. ſit ferendum ſecundum leges ſcriptas, ille qui iudicium fert, legis dictum quodammodo interpretatur, applicando ipſum ad particulare negotium. Cùm autem eiuſdem auctoritatis ſit legem interpretari & legem condere; ſicut lex condi non poteſt niſi publicâ auctoritate, ita nec iudicium ferri poteſt niſi publicâ auctoritate; quæquidem ſe extendit ad eos qui communitati ſubduntur. Et ideo ſicut iniuſtum eſſet vt aliquis conſtringeret alium ad legem ſeruandam, quæ non eſſet publicâ auctoritate ſancita; etiam iniuſtum eſt ſi quis compellat aliquem ferre iudicium, quod publica auctoritate non fertur.

Ad 1. R. quòd pronuntiatio veritatis non importat compulſionem ad hoc quod ſuſcipiatur; ſed liberum eſt vnicuique eam recipere, vel non recipere, prout vult. Sed iudicium importat quandam impulſionem: & ideo iniuſtum eſt quòd aliquis iudicetur ab eo qui publicam auctoritatem non habet.

Ad 2. R. quòd Moyſes videtur Ægiptium occidiſſe, quaſi ex inſpiratione diuina auctoritatem adeptus: vt videtur per hoc quod dicitur; quòd percuſſo Ægiptio æſtimabat Moyſes intelligere fratres ſuos; quoniam Dominus per manum ipſius daret ſalutem Iſraël. *Act.* 7. *v.* 24. Vel poteſt dici quòd Moyſes occidit Ægiptium defendendo eum qui iniuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vel poteſt dici ex Aug. quòd ſicut terra ante vtilia ſemina, herbarum inutilium fertilitate laudatur; ſic illud Moyſi factum vitioſum quidem fuit; ſed magnæ fertilitatis ſignum gerebat, inquantum ſcilicet erat ſignum virtutis eius, qua populus liberaturus erat.

De Phinees autem dicendum eſt, quòd ex inſpiratione diuina, zelo Dei commotus, hoc fecit. Vel quia licet nondum eſſet ſummus ſacerdos, erat tamen filius ſummi ſacerdotis; & ad eum hoc iudicium pertinebat, ſicut & ad alios iudices, quibus hoc erat præceptum.

Ad 3. R. quòd poteſtas ſecularis ſubditur ſpirituali, ſicut corpus animæ. Et ideo non eſt vſurpatum iudicium, ſi ſpiritualis prælatus ſe intromittat de temporalibus, quantùm ad ea in quibus ſubditur ei ſecularis poteſtas, vel quæ ei à ſeculari poteſtate relinquuntur. 22. *q.* 60. *art.* 6.

EXODI Cap. 2. *v.* 21.

Accepit Sephoram vxorem.

VTrum fidelis poſſit matrimonium cum infideli contrahere. Explicatur ſupra. *Gen.* 41. *v.* 45.

EXODI Cap. III. *v.* 2.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis.

SPecies flammæ ignis in rubo apparuit Moyſi, vt aliquid ſignificaret atque prædiceret. 1. *p. q.* 43. *art.* 7. *ad ſecundum.*

EXODI Cap. 3. *v.* 8.

In terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi.

VIdetur quòd lex diuina ſit vna tantùm; nam lex diuina propinquior eſſe videtur legi æternæ,

quæ eſt vna, quàm lex naturalis; quantò altior eſt reuelatio gratiæ, quàm cognitio naturæ: ſed lex naturalis eſt vna omnium hominum; ergo multò magis lex diuina.

Dicendum quod dupliciter inueniuntur aliqua diſtingui: vno modo ſicut ea quæ ſunt omnino ſpecie diuerſa, vt equus & bos. Alio modo ſicut perfectum & imperfectum in eadem ſpecie, ſicut puer & vir. Et hoc modo lex diuina diſtinguitur in legem veterem & nouam. Vnde Apoſt. comparat ſtatum veteris legis ſtatui puerili exiſtenti ſub pædagogo; ſtatum autem nouæ legis comparat ſtatui viri perfecti, qui iam non eſt ſub pædagogo. *Gal. 3. v. 24.*

Attenditur autem perfectio & imperfectio legis ſecundùm tria quæ ad legem pertinent. Primò enim ad legem pertinet vt ordinatur ad bonum commune ſicut ad finem. Quod quidem poteſt eſſe duplex, ſcilicet bonum ſenſibile & terrenum. Et ad tale bonum ordinabat directè lex vetus, vt patet in textu. Et iterum bonum intelligibile & cœleſte: & ad hoc ordinat lex noua. Vnde ſtatim Chriſtus ad regnum cœlorum in ſuæ prædicationis principio inuitauit dicens; *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* *Matth 4. v. 17.*

Secundò ad legem pertinet dirigere humanos actus ſecundùm ordinem iuſtitiæ, in quo etiam ſuperabundat lex noua legi veteri, interiores actus animi ordinando, ſecundùm illud, *niſi abundau. iuſtitia veſtra, &c.* *Matth. 5. v. 20.* Et ideo dicitur quòd lex vetus cohibet manum, lex noua animum.

Lex noua tribus modis differt à veteri.

Tertiò ad legem pertinet inducere homines ad obſeruantias mandatorum: & hoc quidem lex vetus faciebat timore pœnarum: lex autem noua facit hoc per amorem, qui in cordibus noſtris infunditur per gratiam Chriſti quæ in lege noua confertur, ſed in lege veteri figurabatur.

Nota quòd ſicut paterfamilias in domo alia mandata proponit pueris & adultis; ita etiam vnus rex Deus in ſuo regno aliam legem dedit hominibus adhuc imperfectis exiſtentibus, & aliam perfectiorem iam manuductis per priorem legem, ad maiorem capacitatem diuinorum.

Nota ſecundò quòd ſalus hominum non poterat eſſe niſi per Chriſtum; & ideo lex perfectè omnes ad ſalutem inducens dari non potuit niſi poſt Chriſti aduentum: Antea verò dari oportuit populo ex quo Chriſtus erat naſciturus legem præparatoriam ad Chriſti ſuſceptionem, in qua quædam rudimenta ſalutaris iuſtitiæ continentur.

Ad argum. R. quòd lex naturalis dirigit hominem ſecundùm quædam præcepta communia, in quibus conueniunt tam perfecti quàm imperfecti; & ideo eſt vna omnium. Sed lex diuina dirigit hominem etiam in particularibus quibuſdam, ad quæ non ſimiliter ſe habent perfecti & imperfecti; & ideo oportuit legem diuinam eſſe duplicem. 12. q. 91. art. 5.

EXODI Cap. 3. v. 12.

Hoc habebis ſignum quòd miſerim te.

GRatia ſignorum eſt differens à Prophetia: poteſt tamen reduci ad Prophetiam ſecundùm hoc

Digitized by Google

quòd per ſigna veritas Prophetiæ demonſtratur. Vnde & gratia ſignorum quantùm ad hoc eſt potior quàm prophetia, ſicut & ſcientia quæ demonſtrat propter quid, eſt potior quàm ſcientia quæ dicit quia. Et propter hoc, præmittitur gratia ſignorum gratiæ prophetiæ. Vnde & ille propheta eſt excellentiſſimus, qui etiam ſigna facit, habens reuelationem propheticam.

1. *Cor.* 12. *v.* 10.

Si autem ſigna faciat ſine reuelatione prophetica, & ſi fortè ſit dignior ſimpliciter; non tamen eſt dignior quantùm pertinet ad rationem prophetiæ; ſed ſic computabitur talis in infimo gradu prophetiæ, ſicut ille qui habet audaciam tantùm ad aliquid faciendum. *In quæſt. Diſp. q.* 12. *de Verit. art.* 13. *ad ſextum,*

EXODI Cap. 3. *v.* 14.

Ego ſum qui ſum.

Videtur quòd eſſe non Deo propriè conueniat; quia eſſe conuenit etiam creaturis. Dicendum quod aliquid attribui dicitur propriè alicui dupliciter: vno modo quia ſoli ei conuenit, & ſic *qui eſt*, non propriè prædicatur de Deo, cùm de aliis etiam prædicetur; ſed tamen eſt propriè nomen Dei. Alio modo ratione indeficientiæ; quia ſcilicet nihil eorum quæ includuntur in ſignificatione nominis deficit ei, cui nomen attribuitur: & ſic propriè *qui eſt* de Deo prædicatur; quia nihil de eſſe ſibi deeſt, habet enim eſſe ſuum ſimul, quod de creatura, inquantumeſtmutabilis, dici non poteſt: ſolus enim Deus eſt cuius eſſe non nouit præteritum & futurum. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum.

Nota quòd ex creaturis tripliciter Deus nominatur: vno modo quando ipſum nomen actualiter connotat effectum in creatura, propter relationem ad creaturam in nomine importatam; ſicut creator & Deus. Alio modo quando ipſum nomen nominat principium alicuius actus diuini in creaturis, ſicut ſapientia, potentia, & voluntas. Tertio modo quando ipſum nomen nominat aliquid Creatoris repræſentatum in creaturis, ſicut viuens: omnis enim vita exemplata eſt diuina vita. Et ſic hoc nomen *qui eſt* nominat Deum per eſſe creaturarum, exemplariter deductum ab eſſe diuino.

Nota ſecundò quòd cùm dicimus Deum ſapientem, intellectus noſter deficit à repreſentatione diuina quantùm ad duo, ſcilicet quantùm ad id quod ei attribuit, & quantùm ad modum attribuendi; attribuit enim ei formam ſapientiæ quam concipit quæ deficit à Deo; & attribuit ei per modum concretionis qui in Deo non eſt. Sed cùm dicimus Deum eſſe, non eſt ibi niſi vnus defectus, ſcilicet quia eſſe ſignificatur per modum concretionis: Tamen per hoc non dicimus Deum eſſe aliquid; non enim ſignificat eſſe ſecundùm rationem determinatam, ſicut ſapientia; ſed hoc nomen *qui eſt* dicit eſſe abſolutum, & non determinatum per aliquod additum: & ita hoc nomen minùs impropriè de Deo dicitur quàm alia. *Lib.* 1. *ſent. Diſt.* 8. *art.* 1. *ſimile* 1. *p. q.* 13. *art.* 11.

Ego ſum qui ſum. Videtur quod

Deus non ſit; quia ſi vnum contrariorum fuerit infinitum, totaliter deſtruetur aliud: ſed hoc intelligitur in hoc nomine *Deus*, ſcilicet quòd ſit quoddam bonum infinitum; ſi ergo Deus eſſet, nullum malum inueniretur: inuenitur autem malum in mundo; ergo Deus non eſt.

Deus eſt.

2. Quod poteſt compleri per pauciora principia, non fit per plura: ſed videtur quòd omnia quæ apparent in mundo, poſſunt compleri per alia principia, ſuppoſito quòd Deus non ſit; quia ea quæ ſunt naturalia, reducuntur in principium quod eſt natura: ea verò quæ ſunt à propoſito reducuntur in principium, quod eſt ratio humana vel voluntas, nulla igitur neceſſitas eſt ponere Deum eſſe.

Quinque rationibus probatur.

Sed contra eſt quod dicitur in textu. Dicendum quòd Deum eſſe quinque viis probari poteſt, quarum prima eſt ex parte motus; nam ſenſu patet aliqua moueri: Quod verò mouetur, ab alio mouetur; nihil enim mouetur niſi prout eſt in potentia ad id, ad quod mouetur; ſed mouet aliquid ſecundùm quod eſt actu, educendo de potentia in actum: De potentia verò non reducitur aliquid in actum niſi per aliquod ens actu. Et quia non eſt poſſibile idem ſimul eſſe in potentia & actu ſecundùm idem; oportet aliud eſſe mouens, & aliud motum: cùm autem non procedatur in infinitum, neceſſe eſt deuenire ad aliquod primum mouens, quod à nullo moueatur: & hunc dicimus Deum.

Secunda ratio, in iſtis ſenſibilibus inuenitur ordo cauſarum efficientium; nec poteſt aliquid eſſe cauſa efficiens ſui ipſius; quia ſic eſſet priùs ſeipſo; & cùm in cauſis efficientibus non procedatur in infinitum: quia in omnibus ordinatis primum eſt cauſa medii, & medium eſt cauſa vltimi; vnde ſi remoueretur cauſa, ceſſaret effectus, & ſic ſublato primo non eſſet medium & vltimum: ideo cùm non procedatur in infinitum, oportet ponere primam cauſam efficientem, quam dicimus Deum.

Tertia ratio eſt ex poſſibili & neceſſario; nam in rebus quædam ſunt quæ poſſibilia ſunt eſſe, & non eſſe; cùm generentur & corrumpantur: ſed impoſſibile eſt omnia quæ ſunt talia, ſemper eſſe, quia quod poteſt non eſſe quandoque non eſt. Si ergo omnia poſſibilia ſunt non eſſe, aliquando nihil fuit in rebus: Quare ſi hoc eſt verum, etiam nunc nihil eſſet; quia quod non eſt, non incipit eſſe niſi per id quod eſt. Vnde non omnia entia ſunt poſſibilia; ſed oportet aliquid eſſe neceſſarium in rebus: ſed omne neceſſarium vel habet cauſam ſuæ neceſſitatis aliunde, vel non habet: & quia non proceditur in infinitum, in neceſſariis quæ habent cauſam ſuæ neceſſitatis, neceſſe eſt ponere aliquid quod per ſe ſit neceſſarium, non habens aliunde cauſam neceſſitatis, ſed quod aliis ſit cauſa neceſſitatis, & hunc dicimus Deum.

Quarta ratio eſt quia in rebus inuenitur aliquid magis bonum & aliquid minus: magis autem & minus de diuerſis dicuntur ſecundùm quod appropinquant ad id quod eſt maximum; vt magis calida dicuntur illa quæ appropinquantur igni, qui eſt maximus in genere calidita-

tis. Eſt ergo aliquid optimum & veriſſimum, à quo alia recipiunt bonitatem, veritatem, & omnem perfectionem; & hunc Deum eſſe dicimus.

Quinta ratio eſt ex generatione rerum; nam quædam ſunt quæ cognitione carent, & tamen propter finem operantur, quia frequentiùs vel ſemper eodem modo operantur, vt conſequantur id quod eſt optimum. Vnde non caſu, ſed ex intentione perueniunt ad finem. Cùm ergo ea quæ non habent cognitionem, non tendant in finem niſi directa ab aliquo cognoſcente; oportet ponere aliquem à quo omnes res naturales dirigantur in finem, & hunc dicimus eſſe Deum.

Ad 1. R. quod Deus cùm ſit ſummè bonus, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis: niſi eſſet adeò omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet vt eſſe permittat mala, & ex eis eliciat bona.

Ad 2. R. quòd cùm natura propter determinatum finem operetur ex directione alicuius ſuperioris agentis; neceſſe eſt ea quæ à natura fiunt, etiam in Deum reducere, ſicut in primam cauſam. Similiter etiam quæ ex propoſito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem cauſam, quæ non ſit ratio & voluntas humana; quia hæc mutabilia ſunt & defectibilia: oportet autem omnia mobilia & deficere poſſibilia, reduci in aliquod primum principium immobile & per ſe neceſſarium. 1. *p. q.* 2. *art.* 3.

Idem locus explicatur ſupra. *Gen.* 26. *v.* 24.

EXODI Cap. 3. *v.* 15.

Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.

ARguitur, Dominus probat reſurrectionem per textum: ſed conſtat quòd quando illa verba dicebantur, Abraham, Iſaac, & Iacob non viuebant corpore, ſed ſolùm animâ; ergo reſurrectio non erit corporum, ſed ſolùm animarum. *Matt.* 22. *v.* 32.

R. quòd anima Abraham, non eſt propriè loquendo ipſe Abraham; ſed eſt pars eius, & ſic de aliis. Vnde vita animæ Abrahæ non ſufficeret ad hoc quod Abraham ſit viuens, vel quòd Deus Abraham ſit Deus viuentis; ſed exigitur vita totius coniuncti, ſcilicet animæ & corporis: Quæquidem vita quamuis non eſſet actu, quando verba proponebantur; erat tamen in ordine vtriuſque partis ad reſurrectionem. Vnde Dominus per verba illa ſubtiliſſimè & efficaciter reſurrectionem probat. *Supplem. q.* 75. *art.* 1. *ad ſecundum.*

EXODI Cap. 3. *v.* 22.

Poſtulabit mulier à vicina.

VIdetur quòd præcepta decalogi ſint diſpenſabilia; nam præceptum diuinum non poteſt eſſe iniuſtum: ſed Deus aliquando præcepit fieri aliquod contrarium præceptis decalogi, vt patet in textu, & de acceſſu ad fornicariam; ergo ſunt diſpenſabilia. *Oſee.* 1. *v.* 2.

. Inter decalogi præcepta continetur homicidii prohibitio: ſed aliquibus caſibus contingentibus iudex præcepit hominem occidi, &

iuſtè; ergo & ſimiliter alia præcepta aliquibus caſibus emergentibus poſſunt non obſeruanda eſſe.

3. Omnia præcepta legis aliquando ad præcepta decalogi reducuntur: ſed prælatis eccleſiæ licet in aliquibus legis præceptis diſpenſare, ergo & ſimiliter in præceptis decalogi.

Decalogi præcepta non sũt diſpenſabilia.

Dicendum quòd in qualibet legiſlatione oportet duo conſiderare, ſcilicet ſubſtantiam legis quæ ponitur, & id ad quod legiſlator reſpicit. Et ſicut lex lata eſt menſura ſubditorum in ſuis actibus; ita hoc ad quod reſpicit legiſlator, quod eſt legis intentio & finis, eſt menſura legis poſitiuæ. Sicut ergo actus ſubditorum ſunt diſtorti, ſi à lege poſitiua diſcordant: ita lex rectitudinem non habet, ſi ab intentione legiſlatoris deficeret, quæ eſt rectitudinẽ conſtituere & conſeruare.

Si ergo ſint aliqua præcepta quæ continent ipſam intentionem legiſlatoris, impoſſibile eſt quòd in aliquo caſu ſaluâ iuſtitiâ poſſit aliquis ab eis deflectere; ſicut ſi eſſet hoc præceptum, nulli faciendam eſſe iniuriam. Et ideo cùm omnia præcepta decalogi ſint huiuſmodi, impoſſibile eſt quòd diſpenſationem recipiant.

Præcepta autem quæ legiſlator edidit, ad menſuram prædictorum metienda ſunt: vnde quandiu illa præcepta poſita non poſſunt præteriri ſine præiudicio primæ menſuræ, ad quam inſtituta ſunt, nulli licet in eis diſpenſare. Si quando verò poſſunt ſaluâ intentione legis præteriri; tunc eſt licitum diſpenſare in illis præceptis ei qui auctoritatem habet.

Si verò in aliquibus caſibus lex poſita ab intentione legiſlatoris diſcedat, quia non potuit legiſlator ad omnes caſus intendere, legem ſtatuens; ſed ad ea quæ pluries accidunt: tunc etiam licitum eſt legem poſitam præterire, & intentionem legiſlatoris ſequi; ſicut patet in eo qui non reddit depoſitum impugnanti fidem vel patriam.

Ad 1. R. quòd circa præcepta decalogi, ſecundùm quòd ad decalogum pertinent; nunquam Deus contrarium fieri præcepit: prohibitio enim facti ad decalogum pertinet, inquantum res furata aliena eſt ab accipiente. Retentâ ergo hac conditione, ſi res illa fiat ipſius accipientis: iam non erit contra decalogum. Hoc autem non ſolùm Deus qui eſt omnium Dominus facere poterat, ſed etiam quandoque homines auctoritatem habentes; rem quæ vnius fuerat, alteri conferunt ex aliqua cauſa.

Poteſt tamen Deus in aliquibus factis, conditiones contrarias decalogo auferre, qui & naturam mutare poteſt, quod homo facere non poteſt. Sicut ab ea quæ non eſt matrimonio iuncta, poteſt auferre hanc conditionem non ſuam, ſine hoc quòd vxor plenaria fiat, vt ſic accedere ad eam non ſit contra decalogum.

Ad 2. R. quòd non prohibetur in decalogo occiſio ſimpliciter, ſed occiſio eius qui mortem pati non debuit.

Ad 3. R. quòd non eſt eadem ratio de præceptis decalogi, & de aliis præceptis legis. *Lib. 4. ſent. Diſt. 37. q. 1. art. 4. ſimile in quæſt. Diſp. q. 15. de malo art. 1. ad octauum. 12. q. 100. art. 8. ad tertium 22. q. 66. art. 5. ad 1.* Idem locus explic. ſupra. *Gen. 12. v. 2.*

Digitized by Google

Exodi Cap. IV. v. 3.

Proijce virgam in terram.

Videtur quòd dæmones operentur ad miracula facienda; dicitur enim *Surgent Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia*: ſed hæc non operabuntur niſi per virtutem dæmonum; ergo.

Matth. 24. v. 24.

2. Aduerſitates Iob dæmone agente procuratæ ſunt: ſed huiuſmodi aduerſitates non ſine miraculo contigerunt, vt paret in igne de cœlo deſcendente, & de vento domum ad interitionem filiorum eius euertente; ergo dæmones miracula facere poſſunt.

Dæmones non operantur ad miracula facienda.

3. Quòd Moyſes virgam in ſerpentem mutauit, miraculum fuit: ſed hoc ſimiliter fecerunt magi Pharaonis virture dæmonum; ergo videtur quòd dæmones miracula facere poſſunt.

Ex. 7. v. 11.

4. Operatio miraculorum magis eſt remota à virture humana, quàm à virtute angelica: ſed per malos homines interdum miracula fiunt: vnde ex perſona reproborum dicitur, *In nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus*; ergo.

Matth. 7. v. 22.

Ad 1. R. quòd ſigna & prodigia dicuntur aliqua, quæ virture naturali fieri poſſunt: hominibus tamen mira, vel etiam per ſenſuum illuſionem.

Ad .. R quòd per aliquem motum aëris, dæmones (Deo permittente) poſſunt aliquas mutationes concitare, cùm etiam per ventorum motum naturaliter fieri videamus. Et per hunc modum fuerunt aduerſitates Iob, dæmonibus operantibus procuratæ.

Ad 3. R. quòd operatione dæmonum virgæ in ſerpentes ſunt conuerſæ; & ideo miraculum non fuit: Hoc enim fecerunt dæmones per aliqua ſemina collecta quæ habebant vim putrefaciendi virgas, & in ſerpentes conuertendi: ſed quod Moyſes fecit, miraculum fuit; quia diuinâ virtute, abſque omnis naturalis virtutis operatione hoc effectum eſt.

Ad 4. R. quòd homines qui ſunt mali vitâ, quandoque ſunt annuntiatores veritatis: & ideo Deus in teſtimonium veritatis per eos annuntiare miracula facit; quod de dæmonibus dici non poteſt. *In quæſt. Diſp. quæſt. 6. de potentia art. 5.*

Exodi Cap. 4. v. 21.

Ego indurabo cor eius.

Videtur quòd Deus non ſit cauſa excæcationis & indurationis; Deus enim non eſt cauſa eius per quod homo fit deterior: ſed per excæcationem & obdurationem fit homo deterior; ergo Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis.

2. Idem effectus non attribuitur cauſis contrariis: ſed cauſa excæcationis dicitur eſſe malitia hominis, ſecundùm illud; *Excæcauit eos malitia eorum.* Et etiam diabolus ſecundùm illud; *Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium*; quæquidem cauſæ videntur eſſe contrariæ Deo; ergo Deus non eſt cauſa excæcationis.

Sap. 2. v. 21. 2. Cor. 4. v. 7.

Sed contra eſt quod dicitur, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.*

Eſai. 6. v. 10.

Digitized by Google

Rom. 9. v. 18. *aggraua.* Et *Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Dicendum quòd excæcatio & obduratio duo important: Quorum vnum eſt motus animi humani inhærentis malo & auerſi à diuino lumine; & quantùm ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis; ſicut non eſt cauſa peccati.

Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ; ex qua ſequitur quòd mens diuinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè viuendum; & quantùm ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis & obdurationis.

Eſt autem conſiderandum quod Deus eſt cauſa vniuerſalis illuminationis animarum ſecundùm illud, Ioan. 1. v. 9. *erat lux vera quæ illum, &c.* Sicut ſol eſt vniuerſalis cauſa illuminationis corporum; aliter tamen & aliter: Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ: Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ.

Sol autem quantùm eſt de ſe, omnia corpora illuminat: ſi quod tamen impedimentum inueniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum; ſicut patet de domo, cuius feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol; non enim ſuo iudicio agit vt lumen interius non immittat; ſed cauſa eius eſt ſolùm ille qui claudit feneſtram.

Deus autem proprio iudicio lumen gratiæ non immittit illis in quibus obſtaculum inuenit Vnde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt non ſolùm ille qui ponit obſtaculum gratiæ; ſed etiam Deus qui ſuo iudicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis & aggrauationis aurium, & obdurationis cordis; quæ quidem diſtinguuntur ſecundùm effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono ſapientiæ, & affectum emollit igne charitatis.

Et quia ad cognitionem intellectus maximè deſeruiunt duo ſenſus, ſcilicet viſus & auditus, quorum vnus deſeruit inuentioni ſcilicet viſus, alius diſciplinæ ſcilicet auditus: ideo quantùm ad viſum, ponitur excæcatio; quantùm ad auditum, aurium aggrauatio; quantùm ad affectum, obduratio.

Ad 1. R. quòd cùm excæcatio & induratio ex parte ſubtractionis gratiæ ſint quædam pœnæ, ex hac parte eis homo non fit deterior: ſed deterior factus per culpam hæc incurrit, ſicut & cæteras pœnas.

Ad 2. R. quòd malitia eſt cauſa excæcationis meritoria, ſicut culpa eſt cauſa pœnæ: & hoc etiam modo diabolus excæcare dicitur, inquantum inducit ad culpam. 12. *q.* 79. *art.* 3. *ſimile Lib.* 1. *ſent. Diſt.* 40. *q.* 4. *art.* 2. *& contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 162.

EXODI Cap. 4. v. 22.

Filius meus primogenitus Iſraël.

POpulus Iſraël erat dilectiſſimus pro tempore illo comparatione aliorum populorum, qui idolis ſeruiebant: non autem comparatione populi noui Teſtamenti, de quo dicitur, *Vos eſtis gens ſancta, populus acquiſitionis.* Vel dicendum ſecundùm Apoſt. *Non qui ſunt ſecundùm carnem, ſed qui ex promiſſione, hi computantur in ſemine.* Vnde populus noui Teſtamenti non excluditur ab 1 Pet. 2. Rom. 9.

E a

illo priuilegio amoris, ratione cuius Iſraël primogenitus Dei dicebatur. *Lib. 4. ſent. Diſt. 8. q. 1. art. 3. ad ſecundum q. 2.*

EXODI. Cap. IV. v. 25.

Tulit Sephora acutiſſimam petram.

CVltellus lapideus non erat de neceſſitate circumciſionis; vnde non inuenitur tale inſtrumentum p[ræ]cepto diuino determinatum. Neque etiam communiter tali inſtrumento Iudæi vtebantur ad circumcidendum; ſicut neque modo vtuntur. Leguntur tamen aliquæ circumciſiones famoſæ, cultello lapideo factæ, vt patet in textu. Ioſue 5. v. 2. Et dicitur, *fac tibi cultellos lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael.* Per quod figurabatur circumciſionem ſpiritualem eſſe fiendam 1. Cor. 10. v. 4. per Chriſtum, de quo dicitur, *Petra autem erat Chriſtus.* 3. p. q. 70. *art. 3. ad ſecundum.*

EXODI Cap. IV. v. 30.

Fecit ſigna coram populo, & credidit populus.

VIdetur quòd baptiſmus Ioannis non fuerit à Deo; nihil enim ſacramentale quod eſt à Deo denominatur ab homine puro; ſicut baptiſmus nouæ legis non dicitur Petri vel Pauli, ſed Chriſti: ſed ille baptiſmus denominatur à Matth. 21 v. 25. Ioanne ſecundùm illud, *Baptiſmus Ioannis vnde erat, è cœlo an ex hominibus*? Ergo baptiſmus Ioannis non fuit à Deo.

2. Omnis doctrina de nouo à Deo procedens, aliquibus ſignis confirmatur; vnde & Dominus, dedit Moyſi poteſtatem ſigna faciendi, vt patet in textu. Et dicitur, *Cùm fides noſtra principium accepiſſet enarrari à Deo ab eis qui audierunt,* Hebr. 2. v. 3. *in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis*: ſed de Ioanne Baptiſta dicitur *Ioannes ſignum fecit nullum*; Ioan. 10. v. 41. ergo videtur quòd baptiſmus quo baptiſauit, non eſſet à Deo.

3. Sacramenta quæ ſunt diuinitus inſtituta, aliquibus ſacræ ſcripturæ præceptis continentur: ſed baptiſmus Ioannis non præcipitur aliquo præcepto ſacræ ſcripturæ; ergo videtur quòd non fuerit à Deo.

Sed contra eſt quod dicitur, *qui me miſit baptiſare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris ſpiritum, &c.* Ioan. 1. v. 33.

Ioannis baptiſmus fuit à Deo.

Dicendum quod in Baptiſmo Ioannis duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſe ritus baptiſandi & effectus baptiſmi. Ritus quidam baptiſandi non fuit ex hominibus, ſed à Deo, qui familiari ſpiritus ſancti reuelatione Ioannem ad baptiſandum miſit. Effectus autem illius baptiſmi fuit ab homine; quia nihil in illo baptiſmo efficiebatur quod homo facere non poſſet. Vnde non fuit à ſolo Deo, niſi inquantum Deus in homine operatur.

Ad 1. R. quòd per baptiſmum nouæ legis homines interiùs per Spiritum S. baptiſantur, quod facit ſolus Deus. Per baptiſmum autem Ioannis, ſolum corpus mundabatur aqua. Vnde dicitur *Ego* Matth. 3. v. 11. *baptiſo vos in aqua, ille vos baptiſabit in ſpiritu ſancto.* Et ideo baptiſmus Ioannis denominatur ab ipſo, quia ſcilicet nihil in eo agebatur quod ipſe non ageret: Baptiſmus autem nouæ legis non denominatur à miniſtro, qui principa-

Digitized by Google

ſem baptiſmi effectum non agit, ſcilicet interiorem emundationem.

Ad 2. R. quòd tota doctrina, & operatio Ioannis ordinabatur ad Chriſtum, qui multitudine ſignorum & ſuam & Ioannis doctrinam confirmauit. Si autem Ioannes ſigna feciſſet, homines ex æquo Ioanni & Chriſto attendiſſent. Et ideo vt homines principaliter Chriſto intenderent, non eſt datum Ioanni vt faceret ſignum. Iudæis tamen quærentibus quare baptiſaret, confirmauit ſuum officium au-
Ioan 1. ctoritate ſcripturæ, dicens; *Ego vox*
v. 23. *clamantis in deſerto, &c.* Ipſa etiam auſteritas vitæ eius officium commendabat.

Ad 3. R. quòd baptiſmus Ioannis non fuit ordinatus à Deo niſi vt modico tempore duraret: & ideo non fuit commendatus aliquo præcepto communiter edito in ſacra ſcriptura, ſed familiari quadam reuelatione Spiritus Sancti. *3. p. q.* 38. *art.* 2.

EXODI Cap. VI. v. 3.

Nomen meum ADONAI *non indicaui eis.*

QVantitas fidei quæ eſt ſecundùm cognitionem articulorum, per ſe loquendo creſcit ſecundùm diuerſitatem temporis: vt patet in textu. Nam Moyſi fuit aliquid reuelatum de Deo, quod patribus reuelatum non
Pſ 118. fuerat. Similiter etiam Dauid di-
v. 100. cit, *ſuper ſenes intellexi.* Et Petrus ſuo
Act. 2. tempore completum aſſerit, quod
v. 17. dicitur, *effundam de ſpiritu meo.*
Lib. 3. *ſent. Diſt.* 25. *art.* 2.
Ioël. 2. Idem locus explicatur ſupra.
v. 28. *Gen.* 26. *v.* 24.

EXODI Cap. VII. v. 14.

Magi fecerunt ſimiliter.

MAgi Pharaonis fecerunt ranas adhibendo quædam actiua naturalia, quæ Aug. nominat ſemina ex occultis elementorum finibus accepta. *In quæſt. Diſp. q.* 16. *de malo art.* 9. *ad decimum.*

Magi fecerunt ſimiliter. Signa ſiue miracula quæ Magi faciunt per priuatos cōtractus dæmonū, non ſunt ſupra ordinē vniuerſalium cauſarū,
ſicut illa quæ virtute diuinâ fiūt: ſed *Magi mira-*
fiunt virtute actiuorum naturalium, *cula fa-*
ſupra hominum comprehenſionem *cere nō*
& facultatem, propter tria: primò *poſsūt.*
quidem quia dæmones magis cognoſcunt naturalium actiuorum virtutem quàm homines: ſecundò quia celeriùs poſſunt ea congregare: tertiò quia actiua naturalia quæ aſſumunt vt inſtrumenta, ſe poſſunt extendere ad maiores effectus ex virtute vel arte dæmonum; quàm ex virtute vel arte hominum. Et ſic hominibus miracula videntur quæ per dæmones fiunt. Sicut etiam in hominibus inexpertis videntur miracula quæ per aliquos artifices fiunt. *Ibid. ſimile* 22. *q.* 178. *art.* 2. *ad tertium.*

Magi fecerunt ſimiliter. Videtur quòd virtute dæmonum miracula fieri non poſſint; nam antichriſtus virtute dæmonum præcipuè opera-
bitur: ſed de eo dicitur quod *veniet* 2. *Theſſ.*
in ſignis mendacibus; ergo per dæ- 2. *v.* 9.

Digitized by Google

mones miracula fieri non poſſunt.

2. Dæmones non operantur niſi per modum artis : ſed ars formam ſubſtantialem non poteſt introducere, ergo non poſſunt dæmones vera miracula facere vt rerum ſpecies mutent.

3. Virtus dæmonis cùm ſit ſpiritualis, cœleſtibus corporibus non ſubiacet : ſed Magi in huiuſmodi miraculis quæ faciunt, determinatas conſtellationes obſeruant; ergo eorum operationes non fiunt virtute dæmonum.

Sed contra eſt quòd Magi Pharaonis virgas in ſerpentes veterunt, qui cum virtute dæmonum operabantur ; ergo virtute dæmonum miracula fieri poſſunt.

Dicendum quòd aliquod opus dicitur miraculoſum dupliciter: Vno modo quantùm ad ſubſtantiam facti excedentis facultatem naturæ, ſicut ſuſcitatio mortui, partus virginis, & ſimile: & huiuſmodi miracula ſecundùm rei veritatem dæmones facere non poſſunt, ſed ſolùm ſecundùm apparentiam.

Magi miracula facere non poſsũt.

Alio modo quantùm ad modum faciendi tantùm, & non quantùm ad ſubſtantiam facti, ſicut ſanatio febricitantis, quam natura facere poteſt; ſed non in inſtanti : & huiuſmodi miracula poſſunt dæmones facere & ſecundùm veritatem . & ſecundùm apparentiam. Secundùm veritatem quidem, non per modum imperii, ſicut Deus facit, cuius voluntati natura obedit tanquam ſuo auctori; ſed mediantibus cauſis naturalibus actiuis & paſſiuis, quas Aug. vocat ſeminales rationes: quas quidem cauſas adinuenire & colligere per acumen ſcientiæ, & celeritate naturæ poſſunt ; ita vt eorum operationes miraculoſæ reddantur : ſicut colligendo res quæ erant in proxima diſpoſitione ad generationem ſerpentum, ex virgis ſerpentes fecerunt.

Secundùm apparentiam verò, in quantum imprimere poſſunt in phantaſiam eam commouendo, & facere vt ſpecies quæ ibi ſunt, ad organa ſenſuum refluant ; etſi videatur aliquid propriam ſpeciem amiſiſſe, quam tamen adhuc habet.

Ad 1. R. quòd ſigna quæ Antichriſtus faciet, poſſunt dici mendacia tripliciter ; vno modo quia fient intentione fallendi: Alio modo quia deficient à ratione ſigni. Namque ſignum ſiue miraculum eſt quod excedit facultatem naturæ, quod in ſignis Antichriſti non erit: Tertiò quia quandoque deficiet veritas rei in eius ſignis, licet non ſemper, ſed quandoque operabitur ſecundùm apparentiam tantùm.

Miraculi definitio.

Ad 2. R. quòd ars non operatur niſi mediante operatione naturæ. Vnde quando poteſt per proprias cauſas alicuius naturalis effectus apponere ad materiam, facit ſecundùm rei veritatem effectum : ſicut patet cùm ligna igniuntur, vel cùm infirmi ſanantur per artem, alias non. In hoc autem dæmones ſunt potentiores quàm homines: Vnde multi veri effectus poſſunt fieri arte dæmonum, qui non poſſunt fieri per artem hominum : ſicut etiam apud nos peritus medicus ſanat, quæ imperitus ſanare non poteſt.

Ad 3. R. quòd quamuis dæmonum virtus ſtellis non ſubdatur, virtutes tamen rerum naturalium quibus in ſua operatione vtuntur, ſtel-

lis quodammodo ſubduntur. Et ideo certis horis inuocati veniunt, quando ſciunt corpora cæleſtia iuuare ad hoc quod intendunt. *Lib.* 2. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 7. *art.* 4.

Idem locus explicatur ſupra. *Exodi* 4. *v.* 3.

EXODI. Cap. VIII. *v.* 19.

Magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno.

ID eſt Philoſophi non peruenerunt ad notitiam perſonæ tertiæ, ſcilicet Spiritus Sancti. Ad quod dicendum quòd Philoſophi non peruenerunt in cognitionem duarum perſonarum quantum ad propria, ſed ſolum quantum ad appropriata; non in quantum appropriata ſunt, quia ſic eorum cognitio dependeret ex propriis; ſed in quantum ſunt attributa diuinæ naturæ. Et ſi obiiciatur quod ſimiliter deuenerunt in cognitionem bonitatis, quæ appropriatur Spiritui Sancto, ſicut in cognitionem potentiæ & ſapientiæ, quæ appropriantur Patri & Filio: Dicendum quod bonitatem non cognouerunt, quantum ad potiſſimum effectum ipſius, incarnationem ſcilicet & redemptionem. Vel quia non tantùm intenderunt venerationi bonitatis diuinæ, quam etiam non imitabantur ſicut venerati ſunt potentiam & ſapientiam. *Lib.* 1. *ſent. Diſt.* 3. *q.* 1 *art.* 4. *ſimile* 1. *p. q.* 32. *art.* 1. *ad primum.*

Philoſophi non cognouerunt Trinitatem.

EXODI Cap. 8. *v.* 26.

Abominationes Ægyptiorum immolabimus.

ARguitur, in ſacrificium diuinum non offerebatur niſi de tribus generibus animaliū quadrupedum, ſcilicet de genere boum, ouium, & carprarum; & de auibus, communiter quidem turtur & columba: ſpecialiter autem in emundatione leproſi fiebat ſacrificium de paſſeribus: multa autem animalia alia ſunt his nobiliora; cùm igitur omne quod eſt optimum Deo ſit exhibendum; videtur quòd non ſolùm de iſtis rebus fuerint Deo ſacrificia offerenda.

R. quòd quantùm ad omnia prædicta ratio conueniens fuit quare iſta animalia offerebantur Deo in ſacrificium, & non alia: primò quidem ad excludendam idololatriam; quia omnia alia animalia offerebant idololatræ diis ſuis, vel eis ad maleficia vtebantur: iſta autem animalia apud Ægyptios, cum quibus conuerſati erant, abominabilia erant ad occidendum. Vnde ea non offerebant in ſacrificium diis ſuis, vt patet in textu: Oues enim colebant, hiros venerabantur; quia in eorum figura dæmones apparebant. Bobus etiam vtebantur ad agriculturam, quam inter res ſacras habebant.

De animalibus in ſacrificio oblatis.

Secundò hoc conueniens erat ad ordinationem mentis in Deum; & hoc dupliciter: primò quidem quia huiuſmodi animalia maximè ſunt per quæ ſuſtentatur humana vita: & cum hoc mundiſſima ſunt, & mundiſſimum habent nutrimentum. Alia verò animalia vel ſunt

Digitized by Google

ſylueſtria, & non ſunt communiter hominum vſui deputata: vel ſi ſunt domeſtica, immundum habent nutrimentum, vt porcus, & gallina. Solùm autem id quod eſt purum, Deo eſt attribuendum.

Huiuſmodi autem aues ſpecialiter offerebantur, quia habentur in copia in terra promiſſionis. Secundò quia per immolationem huiuſmodi animalium puritas mentis deſignatur; quia vitulum offerimus, cùm carnis ſuperbiam vincimus; agnum, cùm irrationales motus corrigimus; hædum; cùm laſciuiam ſuperamus; turturem, cùm caſtitatem ſeruamus; panes azimos, cùm in azimis ſinceritatis epulamur. In columba verò manifeſtum eſt quòd ſignificatur caſtitas & ſimplicitas mentis.

Tertiò verò conueniens fuit, hæc animalia offerri in figuram Chriſti, quia Chriſtus in vitulo offertur, propter virtutem crucis; in agno, propter innocentiam; in ariete, propter principatum; in hirco, propter ſimilitudinem carnis peccati; in turture & columba duarum naturarum coniunctio monſtrabatur: vel in turture caſtitas, in columba charitas ſignificabatur: in ſimilagine aſperſio credentium, per aquam baptiſmi figurabatur. 12. *quæſt.* 102. *art.* 3. *ad ſecundum.*

EXODI Cap. XI. v. 2.

Dices omni plebi vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea.

Explicatur ſupra *Geneſis* 22. v. 2.

EXODI Cap. XII. v. 3.

Decimâ die menſis tollat vnuſquiſque agnum.

Videtur quòd in ſacramento altaris non contineatur verum corpus Chriſti; quia manducare carnes hominis ſonat in quandam beſtialem crudelitatem & irreuerentiam manducati.

2. Sacramenta ordinantur ad vtilitatem noſtram: ſed, *Caro non prodeſt quicquam*; ergo corpus Chriſti ſiue eius caro non debet eſſe in hoc ſacramento, ſed ſolùm eius ſpiritualis virtus. *Ioan.* 6. *v.* 64.

3. Nihil poteſt eſſe nunc, vbi priùs non fuit loco præexiſtente, niſi ipſum mutetur: ſed corpus Chriſti ante conſecrationem non erat in altari; ſi ergo poſt conſecrationem ſit ibi ſecundùm veritatem, oportet quòd aliquo modo ſit mutatum, quod non poteſt dici; ergo non eſt verum ibi corpus Chriſti.

4. Nullum corpus poteſt eſſe ſimul in diuerſis locis: ſed corpus Chriſti eſt in cœlo verè, quò aſcendit; ergo impoſſibile eſt quòd ſit in altari.

5. Eadem ratione poteſt poni Corpus Chriſti eſſe in diuerſis locis, & eſſe vbique; ſicut ponentes Angelum eſſe in diuerſis locis, dicunt quod eſt vbicumque velit: ſed ponere quòd Corpus Chriſti vbique poſſit eſſe, eſt hæreticum; quia hoc ſolius diuinitatis eſt; ergo non poteſt eſſe in diuerſis locis ſimul.

6. Angelus eſt ſimplicior quàm

corpus Chriſti: ſed Angelus non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis; ergo neque corpus Chriſti.

7. Corpus Chriſti in quantum corpus non habet quòd ſit in pluribus locis, quia ſic cuilibet corpori conueniret: neque inquantum glorioſum, quia multò fortiùs ſpiritui glorificato cõueniret: neque inquãtum diuinitati vnitum, quia vnio nõ ponit ipſum extra limites corporis; ergo nullomodo ſibi competit.

1. Cor. 11. v. 29. Sed contra, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*: ſed ſi eſſet corpus Chriſti ibi ſecundùm ſolam ſignificationem, non oporteret diiudicare hunc cibum ab aliis; quia quilibet panis eadem ratione ſignat corpus Chriſti; ergo oportet ponere quòd ſit ibi verum corpus Chriſti. Præt. Veritas in nouo Teſtamento debet reſpondere figuris veteris Teſtamenti: ſed in veteri Teſtamento ipſe agnus, qui figurabat Chriſtum, ſumebatur in cibum, vt patet in textu; ergo in noua lege ipſum verum corpus Chriſti, quod per agnum ſignificatur, debet manducari.

Dicendum quòd ſub ſacramento altaris continetur verum corpus Chriſti, quod de virgine traxit: & contrarium dicere eſt hæreſis; quia derogatur veritati ſcripturæ, qua Dominus dicit, *Hoc eſt corpus meum.* Matth. 26. v. 26. Ratio autem quare oportet quod in hoc Sacramento ipſe Chriſtus contineatur, eſt quia non ita perfectè nobis Chriſtus coniungeretur, ſi ſola ſacramenta illa haberemus, in quibus coniungitur nobis Chriſtus per virtutem ſuam in ſacramentis illis participatam. Et ideo oportet eſſe aliquod ſacramentum in quo Chriſtus non participatiuè, ſed per ſuam eſſentiam contineatur; vt ſit perfecta coniunctio capitis ad membra. Sacramentũ altaris cõtinet verum Corpus Chriſti.

Conſequuntur autem & aliæ vtilitates, ſicut oſtenſio maximæ charitatis in hoc quòd ſeipſum dat nobis in cibum; ſubleuatio ſpei ex tam familiari coniunctione ad ipſum; & maximum meritum fidei in hoc quòd creduntur multa in hoc ſacramento, quæ non ſolùm præter rationem ſunt, ſed etiam contra ſenſum, vt videtur: & multæ aliæ vtilitates quæ explicari ſufficienter non poſſent.

Ad 1. R. quòd in crudelitatem ſonaret & maximam irreuerentiam, ſi corpus Chriſti ad modum cibi corporalis manducaretur; vt ſcilicet ipſum verum corpus Chriſti dilaniaretur, & dentibus attereretur. Hoc autem non contingit in ſacramentali manducatione; quia ipſum per manducationem non laceratur, ſed manducatur integrum ſub ſpeciebus, ſub quibus latet diuerſis.

Ad 2. R. quòd nihil prodeſſet caro Chriſti corporaliter manducata, multùm autem prodeſt ſacramentaliter manducata.

Ad 3. R. quòd non oportet ſemper illud quod eſt nunc, vbi priùs non fuit localiter, mutatum eſſe; quia poteſt aliquid eſſe conuerſum in ipſum, ſicut cùm aër in ignem conuertitur. Sed tamen ignis mutatur mutatione generationis: & hoc accidit quia ignis in illa conuerſione non eſt terminus generationis, ſed compoſitum ex ſubiecto generationis, ſcilicet materia & termino, ſcilicet forma: vnde

Digitized by Google

forma ipſa quæ eſt terminus, per ſe non generatur; generatur autem per accidens, quia non eſt per ſe ſubſiſtens, ſed in alio, quo mutato mutari dicitur.

Corpus autem Chriſti eſt in altari cùm priùs non fuerit; quia panis conuerſus eſt in ipſum, ita quod ipſum totum corpus eſt terminus per ſe conuerſionis, ſicut ibi erat forma: non tamen eſt ens in alio ſicut forma, ſed per ſe ſubſiſtens: & ita non oportet quòd ſit localiter motum, neque generatum per ſe, neque per accidens.

Ad 4. R. quòd nullum corpus comparatur ad locum niſi mediantibus dimenſionibus quantitatis: & ideo ibi corpus eſt aliquod vt in loco, vbi commenſurantur dimenſiones eius dimenſionibus loci. Et ſecundùm hoc corpus Chriſti non eſt niſi in vno loco tantùm, ſcilicet in cœlo.

Sed quia conuerſa eſt in corpus Chriſti ſubſtantia panis qui priùs erat in hoc loco determinatè mediantibus dimenſionibus ſuis, quæ manent tranſubſtantiatione factâ; ideo manet locus, non quidem immediatè habens ordinem ad corpus Chriſti ſecundùm proprias dimenſiones, ſed ſecundùm dimenſiones panis remanentes, ſub quibus ſuccedit corpus Chriſti ſubſtantiæ panis. Et ideo non eſt hîc vt in loco per ſe loquendo, ſed vt in ſacramento non ſolùm ſignificante, ſed continente ipſum ex vi conuerſionis factæ.

Et ſic patet quòd corpus Chriſti non eſt extra terminos loci ſui ſecundùm quod ei competit eſſe alicubi intus, vel extra ex dimenſionibus propriis (quod eſt per ſe alicubi eſſe intus, vel extra) ſed eſt extra terminos loci quaſi per accidens, ſecundùm quod competit ei eſſe alicubi ratione illarum dimenſionum quæ remanent ex illo corpore quod conuerſum eſt in corpus Chriſti.

Ad 5. R. quòd corpus Chriſti non dicitur eſſe alicubi, niſi ratione dimenſionum propriarum, & illius corporis quod in ipſum conuerſum eſt: non eſt autem poſſibile quòd dimenſiones eius propriè ſint vbique, neque quòd corpus in ipſum conuertendum vbique ſit, & ideo quamuis corpus Chriſti ſit in pluribus locis aliquo modo, non tamen poteſt eſſe vbique.

Ad 6. R. quòd ratio illa bene ſequeretur, ſi ratione propriorum terminorum eſſet in pluribus locis, quod multò fortiùs Angelo conueniret; ſed conuenit ei inquantum aliquod corpus conuertitur in corpus Chriſti, non autem in Angelum.

Ad 7. R. quòd hoc non competit corpori Chriſti neque in quantum eſt corpus, neque inquantum eſt glorificatum, neque inquantum diuinitati vnitum, ſed in quantum eſt terminus conuerſionis: vnde ſimiliter accideret de corpore lapidis, ſi Deus ſimili modo panis ſubſtantiam in lapidem conuerteret, quod non eſt dubium eum poſſe. *Lib. 4. ſent. Diſt. 10. q. 1. art. 1.*

Decima die. Videtur quòd non debeamus conficere in azymo, ſed in fermentato; nos enim debemus conficere ſecundùm quod Chriſtus confecit: ſed Chriſtus confecit in fermentato, non in azymo; ergo nec nos debemus in azymo conficere.

Probatio mediæ. Ante paſcha

Iudæi

Iudæi azymis non vtebantur: ſed cœna Domini in qua hoc ſacramentum inchoauit, fuit ante paſcha celebratum, vt patet *Ante diem feſtum paſchæ, &c.* Ergo ipſe in fermentato, non in azymis confecit.

Ioan. 13. v. 1.

2. Veritas debet reſpondere figuræ: ſed agnus typicus immolabatur lunâ 14. vt patet in textu; ergo Chriſtus immolatus fuit lunâ 14. ſed in die præcedenti corpus ſuum dedit diſcipulis manducandum; ergo hoc fuit lunâ 13. ſed paſcha incipiebat lunâ 14. ergo ante paſcha fuit cœna Domini, & ſic idem quod priùs.

3. Dicitur quòd in die paſſionis Domini Iudæi *non intrauerunt prætorium Pilati vt non contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha*; ergo illâ die à Iudæis manducabatur paſcha, & ſic cœna Domini fuit ante paſcha; & ſic idem quod priùs.

Ioan. 18. v. 28

4. Dicitur quòd mulieres viſo monumento fuerunt & parauerunt aromata: ſed hoc non licuiſſet primâ die de ſeptem quibus azyma comederant, quia dies illa erat eis celeberrima, quæquidem dies erat lunâ 15. ergo Chriſtus paſſus eſt lunâ 14. Et ſic idem quod priùs.

Luca. 24.

5. Dicitur quòd dies ſepulturæ dominicæ *Erat magnus dies Sabbati*: Sed in ſolemnitate azymorum ſola prima dies erat celeberrima, & vocabatur magna; ergo dies Sabbati fuit prima dies ſolemnitatis, quod eſt luna 15. & ſic dies veneris fuit luna 14. & ſic idem quod priùs.

Ioan. 19. v. 31.

6. Sacramenta veteris legis tempore reuelatæ gratiæ obſeruata ad literam, ſunt mortifera: ſed hoc erat vnum de legalibus comedere in azymis; ergo videtur eſſe mortiferum in azymis conficere.

Sed contra, primâ die azymorum nihil fermentatum eſſe debebat in domibus Iudæorum, vt patet: ſed Dominus confecit primâ die azymorum, vt patet; ergo ipſe confecit de azymo; ergo & nos debemus de azymo conficere. Præt. ſecundùm legem agnus paſcalis comedebatur cum azymis vt patet; ergo Chriſtus agnum paſcalem cum azymis comedit; ergo de azymo confecit.

Ex. 12. v. 15. Matth. 26. v. 17. Marci 14. v. 12. Luca 22. v. 7. Ex. 12. v. 8.

Dicendum quòd in hoc videtur eſſe diuerſitas inter Græcos & Latinos; Græci enim de fermentato, latini de azymo conficiunt. Cauſa autem huiuſmodi diuerſitatis eſt quia Dominus in azimo confecit, vt ex tribus Euangeliſtis habetur manifeſtè: & ita in primitiua eccleſia Apoſtoli celebrabant, quem morem Romana eccleſia ab Apoſtolis, qui ipſam fundauerunt, accepit: ſed poſtea imminente hæreſi Ebionitarum, qui dicebant ſimul cum Euangelio legalia obſeruanda; ſancti patres ne eis conſentire viderentur, voluerunt ad tempus inſtinctu ſpiritus ſancti de fermentato confici ſacramentum. Poſtea ceſſante illâ hæreſi, eccleſia Romana ad priſtinum morem rediit: Græci autem ſeruare voluerunt morem ad tempus à patribus introductum; vlteriùs addentes non poſſe confici niſi de fermentato: & ad hoc probandum aſſerere voluerunt Dominum in fermentato confeciſſe. Et quia tres Euangeliſtæ concorditer dicunt primâ die azymorum Dominum inſtituiſſe hoc ſacramentum; in tantam inſaniam quidam ex eis proruperunt, vt dicerent euange-

Chriſtus euchariſtiam confecit in azimo.

liſtas illos falſum ſcripſiſſe, & à Ioanne fuiſſe correctos, qui ante diem paſchæ dicit Dominum cœnaſſe cum diſcipulis. Sed quòd hoc non contradicat oſtendetur.

Suppoſito autem quòd Dominus 13. lunâ, vt dicunt, cœnam celebraſſet; adhuc euidenter oſtenditur quòd de azymo confecit; & ideo in azymo conficiendum eſt, quamuis etiam in fermentato confici poſſit; quamuis peccaret conficiens, eccleſiæ morem non ſeruans.

Ad 1. R. quòd verbum illud Ioannis, Græci hoc modo intelligunt ſicut obiectio procedit. Sed hic intellectus ſtare non poteſt, quia eſt contrarius aliis Euangeliſtis, quod non eſt fas in ſacra ſcripturâ dicere.

Præt. non inuenitur in lege quòd aliquo caſu liceret anticipare lunam 14. ſicut dicũt Dominũ feciſſe præuidens paſſionem. Vnde quidam dixerunt quòd cœna qua Dominus lauit diſcipulorum pedes, & qua corpus ſuum conſecrauit, non fuit eadem; ſed vna aliam præceſſit: & de prima loquitur Ioannes, de ſecunda alii Euangeliſtæ. Sed hoc eſt contra vſum eccleſiæ, quæ die Iouis ablutionem pedum celebrat: & etiam contra textum euangelii; quia ſicut ex ſerie euangelii Ioannis apparet, eodem ſero quo pedes lauit, à Iuda poſt bucellam recedente traditus eſt.

Et ideo dicendum eſt quòd dies feſtus paſchæ vocabatur prima dies de ſeptem quæ erat celeberrima, & hæc erat 15. luna, & in veſpere præcedenti immolabatur, & comedebatur agnus lunâ 14. cum azymis; & tunc Dominus cœnam fecit cum diſcipulis ſuis: & hanc diem dicunt alii Euangeliſtæ *Primam diem azymorum*, & Ioannes *ante diem feſtum paſchæ*.

Ad 2. R. quòd non oportet quòd veritas reſpondeat figuræ quantùm ad omnia; alioquin oportebit nos dicere quòd Dominus ad veſperam paſſus ſit; quia tunc immolabatur agnus, quod eſt contra omnes euangeliſtas: ſed quantùm ad aliquid veritas figuræ reſpondet; quia quamuis ante Chriſti reſurrectionem dies mane in mane computaretur; tamen hoc erat ſpeciale in ſolemnitatibus legis, quòd computabatur dies à veſpera in veſperam. Vnde veſpera quartædecimæ diei computabatur quantùm ad ſolemnitatem in numero dierum cum 15. in qua Dominus paſſus eſt; & etiam immolatio eius veſpere 14. diei quodammodo inchoauit; quia tunc traditus fuit.

Ad 3. R. quòd paſcha accipitur ibi pro cibis paſchalibus, ſcilicet azymis, qui per omnes ſeptem dies comedebantur.

Ad 4. R. quòd nulla dies erat adeò celebris quantùm ad vacationem ab operibus, ſicut dies Sabbati; vnde in prima die ſolemnitatis licebat coquere cibos, & alia huiuſmodi facere, quod non licebat facere ſabbatis: & ideo mulieres feriâ ſextâ parauerunt aromata, videntes quòd non ſufficerent quæ per Nicodemum parata erant; & Sabbato ſecundùm legem quieuerunt, & tranſeunte Sabbato emerunt aromata, id eſt empta parauerunt, vel etiam alia ſupetemerunt *Marci 16. v. 1.*
videntes non ſufficere quæ priùs feriâ ſextâ parauerant, & venerunt ad monumentum.

Vel ſecundùm quoſdam opera

miſericordiæ opera ſeruilia; ... licebat aromata ad ſepulturam præparare, quia hoc erat opus miſericordiæ.

Ad 5. R. quòd quocumque die de ſeptem diebus azymorum Sabbatum veniret, dicebatur magnus dies Sabbati propter geminatam ſolemnitatem ſcilicet Sabbati & Paſchæ.

Ad 6. R. quòd facere aliquid quod in lege fiebat, non eſt Iudaizare, alioquin Iudaizant conficientes ex fermentato; quia in lege præceptum erat vt panes primitiarum fermentatos offerrent. Sed facere aliquid hac intentione vt legalia obſeruentur, eſt Iudaizare. Nos autem non ob hoc ex azymo conficimus, vt legem ſeruemus; ſed vt Chriſto conformemur, ſeruantes hoc quod huic competit ſacramento ab eo inſtituto. Significatur enim in azymo puritas vitæ, quæ ſemper ſeruanda eſt: ſicut & in thurificatione deuotio orationis: vnde vtcumque in lege noua retinetur. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 2. *ſimile* 3. *p. q.* 74. *art.* 4.

Decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque agnum, &c. Arguitur, ea quæ in cultum diuinum fiunt, debent honeſtatem & grauitatem habere: ſed ad leuitatem quandam pertinere videtur vt homines feſtinanter comedant; inconuenienter igitur præceptum eſt vt comederent feſtinanter agnum paſcalem; & alia etiam circa eius comeſtionem ſunt inſtituta, quæ videntur omnino irrationabilia eſſe.

R. Quòd literalis ratio conuiuii paſcalis fuit in commemorationem beneficii; quo Deus eduxit eos de Ægypto; vnde per huiuſmodi conuiuii celebrationem profitebantur ſe ad illum populum pertinere, quem Deus ſibi aſſumpſerat ex Ægipto. Quando enim fuerunt ex Ægypto liberati, præceptum eſt eis vt ſanguine agni linirent ſuperliminaria domorum; quaſi proteſtantes ſe recedere à ritibus Ægyptiorum, qui arietem colebant: Vnde & liberati ſunt per ſanguinis agni aſperſionem vel linitionem in poſtibus domorum, à periculo exterminii, quod imminebat Ægyptiis.

In illo autem exitu eorum de Ægypto duo fuerunt, ſcilicet feſtinantia ad egrediendum; impellebant enim eos Ægyptii vt exirent velociter, imminebátque periculum ei qui non feſtinaret exire cum multitudine, ne remanens occideretur ab Ægyptiis. Feſtinantia autem deſignabatur dupliciter: vno quidem modo per ea quæ comedebant; præceptum enim eis erat quòd comederent panes azymos, in huius ſignum quod non poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis: & quòd comederent aſſum igni, ſic enim velocius præparabatur: & quòd os non comminuerent ex eo, quia in feſtinantia non vacat oſſa frangere.

Alio modo quantùm ad modum comedendi, dicitur enim *Renes veſtros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter:* Quod manifeſtè deſignat homines exiſtẽtes in promptu itineris. Ad idem etiã pertinet quod eis præcipitur; in vna domo comedetis, neque feretis de carnibus eius foras; quia ſci-

licet propter feſtinantiam non v[illegible] cabat inuicem mittere xenia. Amaritudo autem quam paſſi fuerant in Ægypto ſignificabatur per lactucas agreſtes.

Figuralis autem ratio patet, quia per immaculationem agni paſcalis ſignificabatur immolatio Chriſti, ſecundùm illud, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Sanguis verò agni liberans ab exterminatore, linitis ſuperliminaribus domorum, ſignificat fidem paſſionis Chriſti in corde & ore fidelium; per quam liberamur à peccato & morte, ſe-
1. Pet. 1. cundùm illud *Redempti eſtis pretioſo*
v. 19. *ſanguine agni immaculati.* Comedebantur autem carnes illæ, ad ſignificandum eſum corporis Chriſti in ſacramento. Erant autem aſſæ igni, ad ſignificandam paſſionem vel charitatem Chriſti. Comedebantur autem cum azimis panibus, ad ſignificandam puram conuerſationem fidelium ſumentium corpus
Cor. 5. Chriſti, ſecundùm illud, *Epulemur in*
8. *azimis ſinceritatis.* Lactucæ autem agreſtes addebantur in ſignum pœnitentiæ peccatorum, quæ neceſſaria eſt ſumentibus corpus Chriſti. Renes autem accingendi ſunt cingulo caſtit[illegible]: calceamenta autem pedum ſunt exemp[illegible] mortuorum patrum: baculi autem haben[illegible] in manibus, ſignificant paſtoralem cuſtodiam.

Præcipitur autem quòd in vna domo agnus paſcalis comedatur, id eſt, in eccleſia Catholicorum, non in conuenticulis hæreticorum. 12. *quæſt.* 102. *art.* 5. *ad ſecundum.*

Decima die. In hoc Sacramento tria conſiderare poſſumus, ſcilicet id quod eſt ſacramentum tantùm, quod eſt panis & vinum: & id quod [illegible]am, ſcilicet [illegible]m: & quod eſt [illegible] ſcilicet effectus huius ſacramenti.

Quantùm igitur ad id quod eſt ſacramentum tantùm, potiſſima figura fuit huius ſacramenti oblatio Melchiſedech qui obtulit panem & vinum. Quantùm autem ad ipſum Chriſtum paſſum, qui continetur in hoc ſacramento, figuræ eius fuerunt omnia Sacrificia veteris Teſtamenti; præcipuè ſacrificium expiationis, quod erat ſolemniſſimum. Quantùm autem ad effectum, fuit præcipua eius figura, manna, quod *habebat in ſe omnis ſaporis ſuauitatem,* Sap. 16.
vt dicitur; ſicut & gratia huius ſa- v. 20.
cramenti quantùm ad omnia reficit mentem.

Sed agnus paſchalis quantùm ad hæc tria, præfigurabat hoc ſacramentum. Quantùm enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis vt patet in textu. Quantùm verò ad ſecundùm, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſraël decimâ quartâ lunâ; & fuit figura paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantùm verò ad effectum, quia per ſanguinem agni paſchalis protecti ſunt filii Iſraël à deuaſtante Angelo, & educti de Ægy[illegible] ſeruitute. Et quantùm ad hoc ponitur præcipua figura huius ſacramenti agnus paſchalis, quia ſecundùm omnia ipſum repræſentat. 3. *p.* *q.* 73. *art.* 6.

EXODI Cap. 12. v. 8.

Edent azymos panes.

EXplicatur ſupra *Exodi* 12. v. 5.

EXODI Cap. 12. v. 10.

Nec remanebit quidquam ex eo vſque mane.

Corpus Chriſti non eſt mobiliter in ſacramento Euchariſtiæ.

VIdetur quòd corpus Chriſti ſit mobiliter in ſacramento Euchariſtiæ; nam motis nobis mouentur ea quæ in nobis ſunt: quodquidem eſt verum etiam de ſpirituali ſubſtantia animæ: ſed Chriſtus eſt in hoc ſacramento; ergo mouetur ad motum ipſius.

2. Veritas debet reſpondere figuræ: ſed de agno paſchali, qui erat figura huius ſacramenti, non remanebat quicquam vſque mane, vt patet in textu; ergo neque etiam ſi hoc ſacramentum reſeruetur in craſtinum, erit ibi corpus Chriſti: & ita non eſt immobiliter in hoc ſacramento.

3. Si corpus Chriſti remaneat ſub hoc ſacramento, etiam in craſtino pari ratione remanebit, & per totum ſequens tempus: non enim poteſt dici quòd deſinat ibi eſſe ceſſantibus ſpeciebus; quia eſſe corporis Chriſti non dependet à ſpeciebus illis. Non autem remanet ſub hoc ſacramento Chriſtus per totum tempus futurum; videtur ergo quòd poſt modicum tempus deſinat eſſe ſub hoc ſacramento. Et ita videtur quòd Chriſtus mobiliter ſit in hoc ſacramento.

Dicendum quòd cùm aliquid eſt vnum ſubiecto, & multiplex ſecundùm eſſe, nihil prohibet ſecundùm aliquid moueri, & ſecundùm aliquid immobile permanere: ſicut corpori eſt aliud eſſe album, & aliud eſſe magnum; vnde poteſt moueri ſecundùm albedinem, & permanere immobile ſecundùm magnitudinem.

Chriſto autem non eſt idem eſſe ſecundùm ſe, & eſſe ſub hoc ſacramento; quia per hoc quod dicimus ipſum eſſe ſub hoc ſacramento, ſignificatur quædam habitudo eius ad hoc ſacramentum. Secundùm igitur hoc eſſe, non mouetur Chriſtus per ſe ſecundùm locum, ſed ſolùm per accidens; quia Chriſtus non eſt in hoc ſacramento ſicut in loco. Quod autem non eſt in loco, non mouetur per ſe in loco; ſed ſolùm ad motum eius in quo eſt.

Similiter autem neque per ſe mouetur ſecundùm eſſe quod habet in hoc ſacramento, quacumque alia mutatione, putà quantùm ad hoc quòd deſinat eſſe ſub hoc ſacramento; quia illud quod de ſe habet eſſe indeficiens, non poteſt eſſe deficiendi principium: ſed alio deficiente, hoc deſinit eſſe in eo: ſicut Deus cuius eſſe eſt indeficiens & immortale, deſinit eſſe in aliqua creatura corruptibili per hoc, quòd creatura corruptibilis deſinit eſſe.

Et hoc modo cùm Chriſtus habeat de ſe eſſe indeficiens, & incorruptibile; non deſinit eſſe ſub ſacramento; neque per hoc quòd ipſum deſinat eſſe; neque etiam per motum localem ſui; ſed ſolùm per hoc quòd ſpecies huius ſacramenti deſinunt eſſe. Vnde patet quòd Chriſtus per ſe loquendo, immobiliter eſt in hoc ſacramento.

Ad 1. R. quòd ratio illa procedit

Digitized by Google

de motu per accidens, quo ad motum noſtri mouentur ea quæ in nobis ſunt. Aliter tamen ea quæ per ſe poſſunt eſſe in loco, ſicut corpora: & aliter ea quæ per ſe non poſſunt eſſe in loco, ſicut formæ & ſpirituales ſubſtantiæ. Ad quem modum poteſt reduci quòd dicimus Chriſtum moueri per accidens, ſecundùm eſſe quod habet in hoc ſacramento, in quo non eſt ſicut in loco.

Ad 2. R. quòd licet veritas figuræ reſpondeat, tamen figura non poteſt eam adæquare.

Ad 3. R. quòd corpus Chriſti remanet in hoc ſacramento, non ſolùm in craſtino, ſed etiam in futuro, quouſque ſpecies ſacramentales manent: quibus ceſſantibus deſinit eſſe corpus Chriſti ſub eis; non quia ab eis dependeat; ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies: per quem modum Deus deſinit eſſe Dominus creaturæ deſinentis. *3. p. q. 76. art. 6.*

Exodi Cap. 12. v. 19.

Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus veſtris.

Videtur quòd non poſſit conueniens ratio aſſignari cæremoniarum quæ ad ſacrificia pertinent; ea enim quæ in ſacrificium offerebantur, ſunt illa quæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentandam humanam vitam; ſicut animalia quædam, & panes quidam: ſed Deus tali ſuſtentamento non indiget, ſecundùm illud, *nunquid manducabo carnes taurorum, &c.* Ergo inconuenienter huiuſmodi ſacrificia Deo offerebantur. *Pſ. 49. v. 13.*

2. Sicut homo à Deo habet dominium volatilium & beſtiarum, ita & piſcium; inconuenienter igitur piſces à diuino ſacrificio excludebantur.

3. Indifferenter offerri mandabantur turtures & columbæ; ſicut igitur mandabantur offerri pulli columbarum, ita & pulli turturum.

4. Deus eſt auctor vitæ non ſolùm hominum, ſed etiam animalium; non ergo debuerunt Deo offerri animalia occiſa, ſed magis animalia viuentia; quia etiam dicitur, vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. *Rom. 12. v. 1.*

5. Si animalia Deo in ſacrificium non offerebantur niſi occiſa, nulla videtur eſſe differentia qualiter occidantur; inconuenienter igitur determinatur modus immolationis, præcipuè in auibus, vt patet. *Leuit. 1. v. 15.*

6. Omnis defectus animalis via eſt ad corruptionem & mortem; ſi igitur animalia occiſa Deo offerebantur, inconueniens fuit prohibere oblationem animalis imperfecti, puta claudi aut cæci, aut aliter maculoſi.

7. Illi qui offerunt hoſtias Deo, debent de his participare, ſecundùm illud *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Inconuenienter igitur quædam partes hoſtiarum offerentibus ſubtrahebantur, ſcilicet ſanguis & adeps. *1. Cor. 10. v. 18.*

8. Sicut holocauſta offerebantur in honorem Dei, ita etiam hoſtiæ pacificæ, & hoſtiæ pro peccato: ſed nullum animal feminini ſexus offerebatur Deo in holocauſtum. Fiebant tamen holocauſta tam de quadrupedibus quàm de auibus; ergo inconuenienter in hoſtiis pa-

cificis & pro peccato, offerebantur animalia fœminini ſexus; & tamen in hoſtiis pacificis offerebantur aues.

9. Omnes hoſtiæ pacificæ vnius generis eſſe videntur, non ergo debuit poni iſta differentia, quòd quorundam pacificorum carnes non poſſent veſci in craſtino, quorundam autem poſſent, vt mandatur.
*Leuit.*7. *v.* 15.

10. Omnia peccata in hoc conueniunt, quòd à Deo auertunt; ergo pro omnibus peccatis in Dei reconciliationem, vnum genus ſacrificii debuit offerri.

11. Omnia animalia quæ offerebantur in ſacrificium, vno modo offerebantur, ſcilicet occiſa, non videtur ego conueniens, quòd de terra enaſcentibus diuerſimodè fiebat oblatio: nunc enim offerebantur ſpicæ, nunc ſimili, nunc panis; quandoque quidem coctus in clibano, quandoque in ſartagine, quandoque in craticula.

12. Omnia, quæ in vſum noſtrum veniunt, à Deo recognoſcere debemus; inconuenienter ergo præter animalia ſolùm hæc Deo offerebantur, panis, vinum, oleum, thus, ſal.

13. Sacrificia corporalia exprimunt interius ſacrificium cordis, quo homo ſpiritum ſuum offert Deo: ſed in interiori ſacrificio plus eſt de dulcedine, quam repræſentat mel; quàm de mordacitate, quam repræſentat ſal: dicitur enim *ſpiritus meus ſuper mel dulcis*; ergo inconuenienter prohibebatur in ſacrificio apponi mel & fermentum, quod etiam facit panem ſapidum; & præcipiebatur ibi apponi ſal, quod eſt mordicatiuum; & thus, quod habet ſaporem amarum; videtur ergo quòd ea quæ pertinent ad cæremonias ſacrificiorum, non habeant rationalem cauſam.
*Eccl.*24 *v.* 27.

Dicendum quòd cæremoniæ veteris legis duplicem cauſam habebant, vnam ſcilicet literalem, ſecundùm quod ordinabantur ad cultum Dei: Aliam verò figuralem ſiue myſticam, ſecundùm quod ordinabantur ad figurandum Chriſtum. Et ex vtraque parte poteſt conuenienter aſſignari cauſa cæremoniarum quæ ad ſacrificia pertinebant. Secundùm enim quod ſacrificia ordinabantur ad cultum Dei, cauſa ſacrificiorum dupliciter accipi poteſt.

Vno modo, ſecundum quod per ſacrificia repræſentabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur ſacrificium offerens: ad rectam autem ordinationem mentis in Deum pertinet, quòd omnia quæ homo habet, recognoſcat à Deo tanquam à primo principio, & ordinet in Deum tanquam in vltimum finem. Et hoc repræſentabatur in oblationibus & ſacrificiis, ſecundùm quòd homo ex rebus ſuis quaſi in recognitionem quòd haberet ea à Deo; in honorem Dei ea offerebat. Et ideo in oblatione ſacrificiorum proteſtabatur homo quòd Deus eſſet primum principium creationis rerum; & vltimus finis, ad quem eſſent omnia referenda.

Et quia pertinet ad rectam ordinationem mentis in Deum, vt mens humana non recognoſcat alium primum auctorem rerum, niſi ſolum Deum; neque in aliquo alio finem ſuum conſtituat; propter hoc prohibebatur in lege offerre ſacrificium alicui alteri niſi Deo, ſecun-

Ex. 22. dùm illud, *Qui immolat dijs occi-*
v. 20. *detur, præterquam Domino ſoli*; &
ideo de cauſa cæremoniarum circa ſacrificia poteſt aſſignari ratio alio modo, ex hoc quod per huiuſmodi, homines retrahebantur à ſacrificiis idolorum. Vnde etiam præcepta de ſacrificiis non fuerunt data populo iudæorum, niſi poſtquam declinauit ad idololatriam adorando vitulum conflatilem, quaſi huiuſmodi ſacrificia ſint inſtituta, vt populus ad ſacrificandum promptus, huiuſmodi ſacrificia magis Deo quàm idolis offerret. Vnde dicitur,
Hierem. *non ſum locutus cum patribus ve-*
7. v. 22. *ſtris, & non præcepi eis, in die qua*
eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum.

Inter omnia autem dona quæ Deus humano generi iam per peccatum lapſo dedit, præcipuum eſt quòd dedit filium ſuum. Et ideo potiſſimum ſacrificium eſt, quo ipſe Chriſtus ſeipſum obtulit Deo in odorem ſuauitatis. Et propter hoc omnia alia ſacrificia offerebantur in veteri lege, vt hoc non vnum ſingulare & præcipuum ſacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfecta. Et quia ex figurato ſumitur ratio figuræ, ideo ratione ſacrificiorum figuralium veteris legis ſunt ſumendæ ex vero ſacrificio Chriſti.

Ad 1. R. quod Deus non volebat huiuſmodi ſacrificia ſibi offerri, propter ipſas res quæ offerebantur, quaſi eis indigeret: ſed volebat ea ſibi offerri, tum ad excludendam idololatriam, tum ad ſignificandum debitum ordinem mentis humanæ in Deum, tum etiam ad figurandum myſterium redemptionis humanæ per Chriſtum.

Ad 2. R. quòd piſces qui in aqua viuunt, magis ſunt alieni ab homine quàm cætera animalia quæ viuunt in aëre, ſicut & homo. Et iterum piſces ex aqua extracti ſtatim moriuntur, vnde non poterant in templo offerri ſicut alia animalia.

Ad 3. R. quòd in turturibus meliores ſunt maiores quàm pulli: in columbis autem è conuerſo; omne autem quod eſt optimum, Deo eſt attribuendum.

Ad 4. R. quòd animalia in ſacrificium oblata occidebantur, quia veniunt in vſum hominis occiſa, ſecundùm quod à Deo dantur homini ad vſum: & ideo etiam igni cremabantur, quia per ignem decocta, fiunt apta humano vſui. Similiter etiam per occiſionem animalium ſignificatur deſtructio peccatorum, & quòd homines erant digni occiſione pro peccatis ſuis; ac ſi illa animalia loco eorum occiderentur, ad ſignificandum expiationem peccatorum. Per occiſionem etiam huiuſmodi animalium ſignificabatur occiſio Chriſti.

Ad 5. R. quòd ſpecialis modus occidendi animalia immolata determinabatur in lege ad excludendum alios modos, quibus idololatræ animalia idolis immolabant. Vel etiam lex elegit genus occiſionis, quo animalia minùs affligebantur occiſa: per quod etiam excludebatur & immiſericordia offerentium, & deterioratio animalium occiſorum.

Ad 6. R. quòd quia animalia maculoſa ſolent haberi contemptui etiam apud homines, ideo prohibitum eſt ne Deo in ſacrificium offerrentur; propter quod etiam pro-
hibitum

hibitum erat, ne mercedem proſtibuli, aut pretium canis in donum ei offerrent; & eadem etiam ratione non offerebant animalia ante ſeptimum diem; quia talia animalia erant quaſi abortiua, nondum plenè conſiſtentia propter teneritudinem.

Sacrificiorum genus triplex. Ad 7. R. quòd triplex erat ſacrificiorum genus: quoddam erat quod totum comburebatur, & hoc dicebatur holocauſtum, quaſi totum incenſum. Huiuſmodi enim ſacrificium offerebatur Deo ſpecialiter ad reuerentiam maieſtatis ipſius, & amorem bonitatis eius; & conueniebat perfectionis ſtatui in impletione conſiliorum: & ideo totum comburebatur vt ſicut totum animal reſolutum in vaporem, ſurſum aſcendebat; ita etiam ſignificaretur totum hominem & omnia quæ ipſius ſunt, Dei dominio eſſe ſubiecta, & ei eſſe offerenda.

Aliud autem erat ſacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati; & conueniebat ſtatui pœnitentium in ſatisfactione peccatorum; quod diuidebatur in duas partes. Nam vna pars eius comburebatur: Altera verò cedebat in vſum ſacerdotum; ad ſignificandum quòd expiatio peccatorum fit à Deo per miniſterium ſacerdotum: niſi quando offerebatur ſacrificium pro peccato populi, vel ſpecialiter pro peccato ſacerdotis: Tunc enim totum comburebatur: Non enim debebant in vſum ſacerdotum venire ea quæ pro peccato eorum offerebantur, vt nihil peccati in eis remaneret. Et quia hoc non eſſet ſatisfactio pro peccato: ſi enim cederet in vſum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem eſſe videretur, ac ſi non offerretur.

Tertium verò ſacrificium vocabatur hoſtia pacifica, quæ offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro ſalute & proſperitate offerentium ex debito beneficii, vel accipiẽdi vel accepti. Et cõuenit ſtatui proficientiũ in impletione mandatorum Et iſta diuidebãtur in tres partes: nam vna pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in vſum ſacerdotum, tertia verò pars in vſum offerentiu n, ad ſignificandum quòd ſalus hominis procedit à Deo dirigentibus miniſtris Dei, & cooperantibus ipſis hominibus qui ſaluantur.

Hoc autem generaliter obſeruatur, quòd ſanguis & adeps non veniebant neque in vſum ſacerdotum: ſed ſanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, adeps verò adurebatur in igne. Cuius ratio vna quidem fuit ad excludendum idololatriam. Idololatræ enim bibebant de ſanguine victimarum, & comedebant adipes, ſecundùm illud, *De quorum victimis comedebant adipes*. Deut. 32. v. 38.

Secunda ratio eſt ad informationem humanæ vitæ, prohibebatur enim eis vſus ſanguinis ad hoc quòd horrerent humani ſanguinis effuſionem; vnde dicitur *Carnem cum ſanguine non comedetis; ſanguinem enim animarum veſtrarum requiram.* Gen. 9. v. 4. Eſus verò adipum prohibebatur eis ad vitandam laſciuiam; vnde dicitur *Quod craſſum erat occidebatis.* Ezech. 34. v. 3.

Tertia verò ratio eſt propter reuerentiam diuinam, quia ſanguis eſt maximè neceſſarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima eſſe in

ſanguine: Adeps autem abundantiam nutrimenti demonſtrat; & ideo vt oſtenderetur quòd à Deo nobis eſt & vita, & omnis bonorum ſufficientia, ad honorem Dei effundebatur ſanguis, & adurebatur adeps.

Quarta ratio eſt, quia per hoc figurabatur effuſio ſanguinis Chriſti, & pinguedo charitatis eius, per quam ſe obtulit Deo pro nobis.

De hoſtiis autem pacificis in vſum ſacerdotis cedebat pectuſculum, & armus dexter, ad excludendum quandam diuinationis ſpeciem, quæ vocatur ſpatulamantia; quia ſcilicet in ſpatulis animalium immolatorum diuinabant: & ſimiliter in oſſe pectoris; & ideo iſta offerentibus ſubtrahebantur.

Per hoc etiam ſignificabatur quòd ſacerdoti erat neceſſaria ſapientia cordis ad inſtruendum populum, quod ſignificabatur per pectus quod eſt tegumentum cordis: etiam fortitudo ad ſuſtentandum defectus, quæ ſignificatur per armum dextrum.

Ad 8. R. quòd quia holocauſtum erat perfectiſſimum inter ſacrificia, ideo non offerebatur in holocauſtum niſi maſculus, nam fœmina eſt animal imperfectum. Oblatio autem turturum & columbarum erat propter paupertatem offerentium; quia maiora animalia offerre non poterant. Et quia hoſtiæ pacificæ gratis offerebantur, & nullus eas offerre cogebatur, niſi ſpontaneus; ideo huiuſmodi aues non offerebantur inter hoſtias pacificas, ſed inter holocauſta & hoſtias pro peccato, quas quandoque oportebat offerre. Aues etiam huiuſmodi propter altitudinem volatus congruunt perfectioni holocauſtorum; & etiam hoſtiis pro peccato; quia habent gemitum pro cantu.

Ad 9. R. quòd inter omnia ſacrificia holocauſtum erat præcipuum; quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Secundum verò locum in ſanctitate tenebat hoſtia pro peccato, quæ comedebatur ſolùm in atrio à ſacerdotibus in ipſa die ſacrificii. Tertium verò gradum tenebant hoſtiæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur ipſo die, ſed vbique in Hieruſalem. Quartum verò locum tenebant hoſtiæ pacificæ ex voto: quarum carnes poterant etiam in craſtino comedi.

Et eſt ratio huius ordinis, quia maximè obligatur homo Deo propter eius maieſtatem: ſecundò propter offenſam commiſſam: Tertiò propter beneficia iam ſuſcepta: quartò propter beneficia ſperata.

Ad 10. R. quòd peccata aggrauantur ex ſtatu peccantis; & ideo alia hoſtia mandabatur offerri pro peccato ſacerdotis & principis, vel alterius priuatæ perſonæ. Eſt autem attendendum quòd quantò grauius erat peccatum, tantò vilior ſpecies animalis offerebatur pro eo. Vnde capra, quod eſt viliſſimum animal, offerebatur pro idololatria; quod eſt grauiſſimum peccatum: pro ignorantia verò ſacerdotis, offerebatur vitulus: pro negligentia autem principis hircus.

Ad 11. R. quòd lex in ſacrificiis prouidere voluit paupertati offerentium; vt qui non poſſet habere animal quadrupes, ſaltem offerret auem, quam qui habere non poſſet

ſaltem offerret panem ; & ſi hunc habere non poſſet, ſaltem offerret farinam, vel ſpicas.

Cauſa verò figuralis eſt quia panis ſignificat Chriſtum qui eſt *panis viuus*: Quiquidem erat velut in ſpica pro ſtatu legis naturæ in fide patrum : erat autem ſicut ſimila in doctrina legis & prophetarum : erat autem ſicut panis formatus poſt humanitatem aſſumptam, coctus igne, id eſt, formatus ſpiritu S. in clibano vteri virginalis; qui etiam fuit coctus in ſartagine per labores quos in mundo ſuſtinebat : in cruce verò, quaſi in craticula aduſtus.

Ioan. 6. *v.* 51.

Ad 12. R. quòd ea quæ in vſum hominis veniunt de terra naſcentibus, vel ſunt in cibum, & de eis offerebatur panis : vel ſunt in potum, & de his offerebatur vinum: vel ſunt in condimentum, & de his offerebatur oleum & ſal : vel ſunt in medicamentum, & de his offerebatur thus quod eſt aromaticum & conſolidatiuum.

Per panem autem figuratur caro Chriſti : per vinum autem ſanguis eius per quem redempti ſumus: Oleum figurat gratiam Chriſti: ſal ſcientiam : thus orationem.

Ad 13. R. quòd mel non offerebatur in ſacrificiis Dei, tum quia conſueuerat offerri in ſacrificiis idolorum ; tum etiam ad excludendum omnem carnalem dulcedinem & voluptatem ab his qui Deo ſacrificare intendunt. Fermentum verò non offerebatur ad excludendam corruptionem : & fortè etiam in ſacrificiis idolorum ſolitum erat offerri. Sal autem offerebatur, quia impedit corruptionem putredinis, ſacrificia autem Dei debent eſſe incorrupta. Et etiam quia in ſale ſignificatur diſcretio ſapientiæ, vel etiam mortificatio carnis. Thus autem offerebatur Deo, ad deſignandam deuotionem mentis, quæ eſt neceſſaria offerentibus : & etiam ad deſignandum odorem bonæ famæ. Nam thus & pingue eſt & odoriferum : & quia ſacrificium zelotypiæ non procedebat ex deuotione, ſed magis ex ſuſpicione ; ideo in eo non offerebatur thus. 12. *q.* 102. *art.* 3.

EXODI Cap. 12. *v.* 26.

Cùm dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt.

EXplicatur infra *Ex.* 20. *v.* 2. & *Ex.* 21. *v.* 2.

EXODI Cap. 12. *v.* 35.

Filij Iſraël petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea.

ARguitur, maius peccatum videtur eſſe furtum, quàm dare pecuniam mutuò ad vſuram; quia illud eſt omnino inuoluntarium, hoc autem eſt aliquo modo voluntarium ex parte eius cuius pecunia accipitur : ſed furtum aliquando poteſt eſſe licitum, vt patet in textu; ergò multò magis mutuari pecuniam ad vſuram, poteſt eſſe ſine peccato.

Ad argum. R. quòd hoc quòd filii Iſraël vaſa mutuò accepta aſportauerunt, non fuit furtum; quia res illæ in eorum dominium tran-

fierunt auctoritate eius qui eſt Dominus omnium. *In quæſt. diſp. q. 13. de malo art. 4. ad vigeſimum. Et 22. q. 66. art. 5. ad primum.*

Idem explic. ſupra *Exodi 3. v. 22.*

EXODI Cap. 12. *v.* 43.

Omnis alienigena non comedet.

VIdetur quòd ſacramentorum veteris legis conueniens cauſa eſſe non poſſit; ea enim quæ ad cultum diuinum fiunt, non debent

Deut. 12. v. 31. eſſe ſimilia his quæ idololatræ obſeruabant: vnde dicitur, *Non facies ſimiliter Domino Deo tuo; omnes enim abominationes quas auerſatur Dominus, fecerunt Dijs ſuis.* Sed cultores idolorum in cultu eorum, cultris ſe incidebant vſque ad effuſionem ſan-

3. Reg. 18. v. 28 guinis: Dicitur enim quòd *incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſan-*

Deut. 14. v. 1. *guine.* Propter quod Dominus mandauit, *non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo, &c.*

2. Sacramenta veteris legis figuræ fuerunt ſacramentorum nouæ legis: ſed per agnum paſchalem ſignificatur ſacramentum Euchariſtiæ; ergo etiam debuerunt eſſe aliqua ſacramenta in lege quæ præfigurarent alia ſacramenta nouæ legis.

3. Purificatio non poteſt conuenienter fieri, niſi ab aliquibus immunditiis: ſed quantùm ad Deum, nullum corporale reputatur immundum; quia omne corpus creatura Dei eſt, & omnis creatura Dei bona; inconuenienter igitur purificabantur propter contactum hominis mortui, vel alicuius huiuſmodi corporalis infectionis.

4. Dicitur, *Ab immundo quid mundabitur?* Sed cinis vitulæ rufæ quæ comburebatur, immundus erat; quia immundum reddebat. Eccl. 34. v. 4.

Dicitur enim quòd ſacerdos qui immolabat eam, commaculatus erat vſque ad veſperum. Similiter & ille qui eam comburebat, & etiam ille qui eius cineres colligebat; ergo inconuenienter præceptum ibi fuit vt per huiuſmodi cinerem ibi aſperſum immundi purificarentur. Num. 19. v. 2.

5. Peccata non ſunt aliquid corporale, quod poſſit deferri de loco ad locum, neque etiam per aliquid immundum poteſt homo à peccato mundari; inconuenienter igitur ad expiationem peccatorum populi, ſacerdos ſuper vnum hircorum confitebatur peccata filiorum Iſraël; vt portaret ea in deſertum; per alium autem quo vtebantur ad purificationes, ſimul cum vitulo comburentes extra caſtra immundi reddebantur; ita quod oportebat eos lauare veſtimenta & carnem aquâ.

Dicendum quòd ſacramenta propriè dicuntur illâ quæ adhibebantur à Dei cultoribus ad quãdam conſecrationem, per quam ſcilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali quidem modo pertinebat ad totum populum: ſed ſpeciali modo pertinebat ad ſacerdotes & leuitas, qui erant miniſtri cultus diuini. Et ideo in iſtis ſacramentis veteris legis, quædam pertinebant communiter ad totum populum; quædam autem ſpecialiter ad miniſtros.

Digitized by Google

Et circa vtroſque tria erant neceſſaria, quorum primum eſt inſtitutio in ſtatu colendi Deum; & hæc quidem inſtitutio communiter quantùm ad omnes fiebat per circumciſionem, ſine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium: Quantùm verò ad ſacerdotes, per ſacerdotum conſecrationem.

Secundò requirebatur vſus eorum quæ pertinent ad diuinum cultum; & ſic, quantùm ad populum erat eſus paſchalis conuiuii, ad quem nullus incircumciſus admittebatur, vt patet in textu. Et quantùm ad ſacerdotes, oblatio victimarum, & eſus panum propoſitionis, & aliorum quæ erant ſacerdotum vſibus deputata.

Tertiò requirebatur deuotio eorum per quæ aliqui impediebantur à cultu diuino, ſcilicet immunditiarum. Et ſic quantùm ad populum erant inſtitutæ quædam purificationes à quibuſdam exterioribus immunditiis, & etiam expiationes à peccatis. Quantùm verò ad ſacerdotes & leuitas erat inſtituta ablutio manuum & pedum, & raſio pilorum. Et hæc omnia habebant rationabiles cauſas, & literales; ſecundùm quod ordinabantur ad cultum Dei pro tempore illo: & figurales, ſecundùm quod ordinabantur ad figurandum Chriſtum.

Ad 1. R. quòd literalis ratio circumciſionis principalis quidem fuit ad proteſtationem fidei vnius Dei.

Cicũciſionis inſtitutio.

Et quia Abraham fuit primus qui ſe ab infidelibus ſeparauit, exiens de domo ſua & de cognatione ſua; ideo ipſe primus circumciſionem accepit. Et vt hæc imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Iudæorum, acceperunt ſignum in carne ſua, cuius obliuiſci non poſſent.

Ideo autem fiebat octauâ die, quia antea puer eſt valde tenellus, & poſſet ex hoc grauiter lædi, & reputatur adhuc quaſi quiddam non ſolidatum: vnde etiam nec animalia offerebantur ante octauum diem. Ideo verò non magis tardabatur, ne propter dolorem, aliqui ſignum circumciſionis refugerent; & ne parentes etiam, quorum amor increſcit ad filios, poſt frequentem conuerſationem & eorum augmentum, eos à circumciſioni ſubtraherent.

Secunda ratio eſſe potuit ad debilitationem concupiſcentiæ in membro illo.

Tertia ratio eſt in ſuggillationem ſacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur.

Dominus autem non prohibuit niſi inciſionem quæ in cultum idolorum fiebat, cui non erat ſimilis prædicta circumciſio.

Figuralis verò ratio circumciſionis erat, quia figurabatur ablatio corruptionis fienda per Chriſtum, quæ perfectè complebitur in octaua ætate, quæ eſt ætas reſurgentium. Et quia omnis corruptio culpæ & pœnæ prouenit in nos per carnalem originem ex peccato primi parentis: ideo talis circumciſio fiebat in membro generationis.

Ad 2. R. quòd quædam ſacramenta nouæ legis habuerunt in veteri lege ſacramenta figuralia ſibi correſpondentia: nam circumciſioni reſpondet baptiſmus, qui eſt fidei ſacramentum. Conuiuio verò agni paſchalis, reſpondet in noua lege ſacramentum Euchariſtiæ.

Digitized by Google

Omnibus autem purificationibus veteris legis, reſpondet in noua lege ſacramentum Pœnitentiæ. Conſecrationi autem pontificis & ſacerdotum, reſpondet ſacramentum Ordinis. Sacramento autem Confirmationis, quod eſt ſacramentum plenitudinis gratiæ; non poteſt reſpondere in veteri lege aliquod ſacramentum; quia nondum aduenerat tempus plenitudinis; eo quòd neminem ad perfectum adduxit lex. Similiter autem & ſacramento Extremæ vnctionis; quod eſt quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cuius aditus nondum patebat in veteri lege; pretio nondum ſoluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege; prout erat in officium naturæ; non autem prout eſt ſacramentum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, quæ non erat facta. Vnde & in veteri lege dabatur libellus repudii, quod eſt contra ſacramenti rationem.

Ad 3. R. quòd purificationes veteris legis ordinabantur ad remouendum impedimenta cultus diuini. Qui quidem eſt duplex; ſcilicet ſpiritualis qui conſiſtit in deuotione mentis ad Deum: & corporalis qui conſiſtit in ſacrificiis & oblationibus & aliis huiuſmodi.

A cultu autem ſpirituali impediuntur homines per peccata, quibus homines pollui dicebantur: ſicut per idololatriam & homicidium, per adulteria & inceſtus. Et ab iſtis pollutionibus purificabantur homines per aliqua ſacrificia, vel communiter oblata pro tota multitudine, vel etiam pro peccatis ſingulorum. Non quòd ſacrificia illa carnalia haberent ex ſeipſis virtutem expiandi peccatum; ſed quia ſignificabant expiationem peccatorum futuram per Chriſtum, cuius participes erant etiam antiqui, proteſtantes fidem Redemptoris in figuris ſacrificiorum.

A cultu verò exteriori impediebantur homines per quaſdam immunditias corporales, quæ quidem primò conſiderabantur in hominibus, & conſequenter etiam in aliis animalibus, & in veſtimentis & domibus & vaſis.

In hominibus quidem immunditia reputabatur, partim quidem ex ipſis hominibus; partim autem ex contactu rerum immundarum. Ex ipſis autem hominibus immundum reputabatur omne illud quod corruptionem aliquam iam habebat, vel erat corruptioni expoſitum. Et ideo quia mors eſt corruptio quædam, cadauer hominis reputabatur immundum.

Similiter etiam quia lepra ex corruptione humorum contingit, qui etiam exteriùs erumpunt & alios inficiunt, leproſi etiam reputabantur immundi.

Similiter etiam mulieres patientes ſanguinis fluxum, ſiue per infirmitatem, ſiue etiam per naturam, vel temporibus menſtrui, vel etiam tempore conceptionis. Et eadem ratione viri reputabantur immundi, fluxum ſeminis patientes, vel per infirmitatem, vel pollutionem nocturnam, vel etiam per coitum.

Nam omnis humiditas prædictis modis ab homine egrediens, quandam immundam infectionem habet. Inerat etiam hominibus immunditia quædam ex contactu quarumcumque rerum immundarum.

Iſtarum autem immunditiarum

erat ratio & literalis & figuralis. Literalis quidem propter reuerentiam eorum quæ ad diuinum cultum pertinent: Tum quia homines pretioſas res contingere non ſolent, cùm fuerint immundi: Tum etiam vt ex raro acceſſu ad ſacra, ea magis venerarentur.

Cum enim omnes huiuſmodi immunditias rarò aliquis cauere poſſit contingebat quòd rarò poterant homines accedere ad attingendum ea quæ pertinebant ad diuinum cultum, & ſic quando accedebant, cum maiori reuerentia & humilitate mentis accedebant.

Erat etiam in quibuſdam horum ratio literalis, vt homines non reformidarent accedere ad diuinum cultum, quaſi refugientes conſortium leproſorum, & ſimilium infirmorum, quorum morbus abominabilis erat & contagioſus.

In quibuſdam etiam ratio erat ad vitandum idololatriæ cultum; quia Gentiles in ritu ſuorum ſacrificiorum vtebantur quandoque & humano ſanguine & ſemine. Omnes autem huiuſmodi immunditiæ corporales purificabantur vel per ſolam aſperſionem aquæ; vel, quæ maiores erant, per aliquod ſacrificium ad expiandum peccatum, ex quo tales infirmitates contingebant.

Ratio autem figuralis harum immunditiarum fuit, quia per huiuſmodi exteriores immunditias, figurabantur diuerſa peccata. Nam immunditia cadaueris cuiuſcumque ſignificat immunditiam peccati, quod eſt mors animæ. Immunditia autem lepræ ſignificat immunditiam hæreticæ doctrinæ; tum quia hæretica doctrina contagioſa eſt, ſicut & lepra; tum quia nulla etiam falſa Doctrina eſt, quæ vera falſis non admiſceat: ſicut etiam in ſuperficie corporis leproſi apparet quædam diſtinctio quarundam macularum ab alia carne integra.

Per immunditiam autem mulieris ſanguinifluæ deſignatur immũditia idololatriæ, propter immolationem cruoris. Per immunditiam verò viri feminiflui deſignatur immunditia vanæ locutionis, eo quod ſemen eſt verbum Dei. Per immunditiam verò coitus, & mulieris parientis deſignatur immunditia peccati originalis. Per immunditiam verò mulieris menſtruatæ deſignatur immunditia mentis per voluptates emollitæ.

Vniuerſaliter verò per immunditiam contactus rei immundæ deſignatur immunditia conſenſus in peccatum alterius. Huiuſmodi autem immunditia contactus deriuabatur etiam ad res inanimatas; quicquid enim quocunque modo tangebat immundus, immundum erat. In quo lex attenuauit ſuperſtitionem gentilium, qui non ſolùm per contactum immundi dicebant immunditiam contrahi; ſed etiam per collocutionem, aut per aſpectum.

Erat autem & immunditia quædam ipſarum rerum inanimatarum ſecundùm ſe: ſicut erat immunditia lepræ in domo & in veſtimentis. Sicut enim morbus lepræ accidit in hominibus ex humore corrupto putrefaciente carnem & corrumpente; ita etiam propter aliquam corruptionem, & exceſſum humiditatis vel ſiccitatis fit quandoque aliqua corruptio in lapidibus domus, vel etiam in veſtimentis. Et

Digitized by Google

ideo hanc corruptionem vocabat lex lepram, ex qua domus vel veſtis immunda iudicaretur; tum quia omnis corruptio ad immunditiam pertinebat; tum etiam quia contra huiuſmodi corruptionem Gentiles deos penates colebant. Et ideo lex præcepit huiuſmodi domus, in quibus fuerit talis corruptio perſeuerans, deſtrui, & veſtes comburi; ad tollendam idololatriæ occaſionem.

Erat etiam & quædam immunditia vaſorum, de qua dicitur *Num. 19. v. 15.* *vas quod non habuit cooperculum & ligaturam de ſuper, immundum erit.* Cuius immunditiæ cauſa eſt, quia in talia vaſa de facili poterat aliquid immundum cadere; vnde poterant immundari. Erat etiam hoc præceptum ad declinandum idololatriam. Credebant enim idololatræ quòd ſi mures aut lacertæ vel aliquid huiuſmodi, quæ immolabant idolis, caderent in vaſa, vel in aquas, quòd eſſent diis gratioſa.

Harum autem immunditiarum ratio eſt figuralis, quia per lepram domus ſignificatur immunditia congregationis hæreticorum: per lepram verò in veſte linea ſignificatur peruerſitas motuum ex amaritudine mentis: Per lepram verò veſtis laneæ ſignificatur peruerſitas adulatorum: per lepram in ſtamine ſignificantur vitia animæ: per lepram verò in ſubtegmine ſignificantur peccata carnalia: ſicut enim ſtamen eſt in ſubtegmine, ita anima in corpore: per vas autem quod non habet cooperculum nec alligaturam, ſignificatur homo qui non habet aliquod velamen taciturnitatis, & qui non conſtringitur aliquâ cenſurâ diſciplinæ.

Ad 4. R. quod duplex erat immunditia in lege: vna quidem per aliquam corruptionem mentis vel corporis; & hæc etiam immunditia maior erat. Alia verò erat immunditia ex ſolo contactu rei immundæ; & hæc minor erat, & faciliori ritu expiabatur. Nam immunditia prima expiabatur per ſacrificia pro peccato (quia omnis corruptio procedit ex peccato, & peccatum ſignificat.) Sed ſecunda immunditia expiabatur per ſolam aſperſionem aquæ cuiuſdam; de qua quidem aqua expiationis habetur; mandatur enim ibi à Domino *Num. 19. v. 2.* quòd accipiant vaccam rufam in memoriam peccati quod commiſerunt in adoratione vituli. Et dicitur vacca magis quàm vitulus; quia ſic Dominus ſynagogam vocare conſueuit, ſecundùm illud, *Oſee 4. v. 16.* *ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael.* Et hoc fortè ideo quia vaccas in morem Ægyptii coluerunt; ſecundùm illud, *Oſee 10. v. 5.* *Vaccas Bethauen coluerunt.* Et in deteſtationem peccati idololatriæ immolabatur extra caſtra, & vbicunque ſacrificium fiebat pro expiatione multitudinis peccatorum, cremabatur extra caſtra totum. Et vt ſignificaretur per hoc ſacrificium emundari populus ab vniuerſitate peccatorum, intingebat ſacerdos digitum in ſanguine eius, & aſpergebat contra fores ſanctuarii ſeptem vicibus; quia ſeptenarius numerus vniuerſitatem ſignificat. Et ipſa etiam aſperſio ſanguinis pertinebat ad deteſtationem idololatriæ, in qua ſanguis immaculatitius non effundebatur, ſed congregabatur, & circa ipſum homines comedebant in honorem idolorum. Comburebatur autem

in

in igne, vel quia Deus Moyſi in igne apparuit, & in igne data eſt lex: vel quia per hoc ſignificabatur quòd idololatria totaliter erat extirpanda, & omne quod ad idololatriam pertinebat: ſicut vacca cremabatur cum pelle & carnibus, ſanguine & fimo flammæ traditis: Adiungebatur etiam in combuſtione lignum cedrinum, hyſſopus, coccúſque bis tinctus; ad ſignificandum quòd ſicut ligna cedrina non de facili putreſcunt, & coccus bis tinctus non amittit colorem, & hyſſopus retinet etiam odorem, poſtquam fuerit deſſicatus: ita etiam hoc ſacrificium erat in conſeruationem ipſius populi & honeſtatis & deuotionis ipſius.

Et quia huiuſmodi ſacrificium offerebatur pro peccato idololatriæ, in eius deteſtationem, & comburens, & cineres colligens, & ille qui aſpergit aquas, in quibus cinis ponebatur, immundi reputabantur: vt per hoc oſtenderetur quòd quicquid quocumque modo ad idololatriam pertinet, quaſi immundum eſt abiiciendum. Ab hac autem immunditia purificabantur per ſolam veſtimentorum ablutionem. Nec indigebant aquâ aſpergi propter huiuſmodi immunditiam; quia ſic eſſet proceſſus in infinitum. Ille enim qui aſpergebat aquam, immundus fiebat: & ſic ſi ipſe ſeipſum aſpergeret, immundus remaneret, ſi autem alius eum aſpergeret, ille immundus eſſet: & ſimiliter ille qui illum aſpergeret, & ſic in infinitum.

Figuralis autem ratio huius ſacrificii eſt, quia per vaccam rufam ſignificatur Chriſtus, ſecundùm infirmitatem aſſumptam, quam fœmininus ſexus deſignat. Sanguinem autem paſſionis eius deſignat vaccæ color Erat autem vacca rufa ætatis integræ, quia omnis operatio Chriſti eſt perfecta: in qua nulla erat macula, nec portauit iugum peccati. Præcipitur autem adduci ad Moyſen, quia imputabant ei tranſgreſſionem Moſaïcæ legis in violatione Sabbati. Præcipitur autem tradi Eleazaro ſacerdoti; quia Chriſtus occidendus in manus ſacerdotum traditus eſt. Immolatur autem extra caſtra; quia extra portam Chriſtus paſſus eſt. Intingit autem ſacerdos digitum in ſanguine eius: quia per diſcretionem, quam digitus ſignificat, myſterium paſſionis Chriſti eſt conſiderandum & imitandum.

Aſpergitur autem contra tabernaculum (per quod ſynagoga deſignatur) vel ad condemnationem Iudæorum non credentium, vel ad purificationem credentium. Et hoc ſeptem vicibus, vel propter 7. dona ſpiritus S. vel propter 7. dies in quibus omne tempus intelligitur. Sunt autem omnia, quæ ad Chriſti incarnationem pertinent, igne cremenda, id eſt, ſpiritualiter intelligenda: nam per pellem & carnem, exterior Chriſti operatio ſignificatur, per ſanguinem, ſubtilis & interna virtus exteriora facta verificans; per fimum, laſſitudo, ſitis, & omnia huiuſmodi ad infirmitatem pertinentia.

Adduntur autem tria, ſcilicet cedrus; quod ſignificat altitudinem ſpei, vel contemplationis: hyſſopus, quod ſignificat humilitatem vel fidem: coccus bis tinctus, quod ſignificat geminam charitatem. Per hæc enim debemus Chriſto paſ-

Bibliothecæ S. M. Transponti...

Digitized by Google

ſo adhærere. Iſte autem cinis combuſtionis colligitur à viro mundo; quia reliquiæ paſſionis peruenerunt ad gentiles, qui non fuerunt culpabiles in Chriſti morte. Apponuntur autem cineres in aqua ad expiandum, quia ex paſſione Chriſti baptiſmus ſortitur virtutem emundandi peccata.

Sacerdos qui immolabat vaccam, & ille qui comburebat, & qui colligebat cineres, immundus erat, & etiam qui aſpergebat aquam: vel quia Iudæi ſunt facti immundi ex occiſione Chriſti, per quam noſtra peccata expiantur, & hoc vſque ad veſperam, id eſt, vſque ad finem mundi, quando reliquiæ Iſraël conuertentur.

Ad 5. R. quòd immunditia, quæ ex corruptione proueniebat vel mentis, vel corporis, expiabatur per ſacrificia pro peccato. Offerebantur autem ſpecialia ſacrificia pro peccatis ſingulorum: ſed quia aliqui negligentes erant circa expiationem huiuſmodi peccatorum & immunditiarum, vel etiam propter ignorantiam, ab expiatione huiuſmodi deſiſtebant; inſtitutum fuit vt ſemel in anno decimâ die ſeptimi menſis fieret ſacrificium expiationis pro toto populo.

Et quia lex conſtituit homines ſacerdotes infirmitatem habentes; oportebat quòd ſacerdos priùs offerret pro ſeipſo vitulum pro peccato, in commemorationem peccati quod Aaron fecerat in conflatione vituli aurei; & arietem in holocauſtum, per quod ſignificabatur quòd ſacerdotis prælatio (quam aries deſignat, qui eſt dux gregis) erat ordinanda ad honorem Dei.

Deinde autem offerebat pro populo duos hircos; quorũ vnus immolabatur ad expiandum peccatum multitudinis; hircus enim animal fœtidũ eſt, & de pilis eius fiunt veſtimenta pungentia: vt per hoc ſignificaretur fœtor & immunditia aculei peccatorum. Huius autem hirci immolati ſanguis inferebatur ſimul etiam cum ſanguine vituli in Sancta Sanctorum; & aſpergebatur ex eo totum ſanctuarium, ad ſignificandum quòd tabernaculum emundabatur ab immunditiis filiorum Iſraël. Corpus verò hirci & vituli, quæ immolata ſũt pro peccato, oportebat comburi, ad oſtẽdendam conſumptionem peccatotorum.

Non autem in altari; quia ibi non comburebantur totaliter niſi holocauſta, Vnde mandatum erat vt comburerentur extra caſtra, in deteſtationem peccati. Hoc enim fiebat quandocumque immolabatur ſacrificium pro aliquo graui peccato, vel pro multitudine peccatorum. Alter verò hircus emittebatur in deſertum; non quidem vt offerretur dæmonibus, quos colebant gentiles in deſertis (quia eis nihil licebat immolari:) ſed ad ſignificandum effectum illius ſacrificii immolati: & ideo ſacerdos imponebat manum ſuper caput eius, confitens peccata filiorum Iſraël, ac ſi ille hircus deportaret ea in deſertum, vbi à beſtiis comederetur, quaſi portans pœnã pro peccatis populi.

Dicebatur autem portare peccata populi, vel quia in eius emiſſione ſignificabatur [illegible]miſſio peccatorum populi; vel quia colligabatur ſuper caput eius aliqua ſchedula, vbi erant ſcripta peccata.

Ratio autem figuralis horum erat, quia Chriſtus ſignificatur & per vi-

Digitized by Google

tulum propter virtutem ; & per arietem, quia ipſe eſt dux fidelium; & per hircum propter ſimilitudinem carnis peccati : & ipſe Chriſtus eſt immolatus pro peccatis & ſacerdótum & populi ; quia per eius paſſionem & maiores & minores à peccato mundantur. Sanguis autem vituli & hirci infertur in ſancta per pontificem ; quia per ſanguinem paſſionis Chriſti, patet nobis introitus in regnum cœlorum. Comburuntur autem eorum corpora extra caſtra, quia extra portam Chriſtus paſſus eſt.

Per hircum autem qui emittebatur, poteſt ſignificari vel ipſa diuinitas Chriſti, quæ in ſolitudinem abiit, homine Chriſto patiente; non quidem locum mutans, ſed virtutem cohibens. Vel ſignificatur concupiſcentia mala, quam debemus à nobis abiicere; virtuoſos autem motus Domino immolare. De immunditia verò eorum, qui huiuſmodi ſacrificia comburebant, eadem ratio eſt, quæ in ſacrificio vitulæ rufæ dicta eſt, in reſponſione ad argumentum quartum huius articuli. 12. *q.* 102. *art.* 5.

EXODI Cap. 12. v. 46.

Nec os illius confringetis.

Videtur quòd non ſub vtraque ſpecie ſacramenti Euchariſtiæ totus Chriſtus contineatur ; Hoc enim ſacramentum ad ſalutem fidelium ordinatur, non virtute ſpecierum, ſed virtute eius quod ſub ſpeciebus continetur ; quia ſpeciés erant etiam ante conſecrationem, ex qua eſt virtus huius ſacramenti. Si ergo nihil continetur ſub vna ſpecie quòd non contineatur ſub alia, ſed totus Chriſtus continetur ſub vtraque, videtur quòd altera illorum ſuperflua eſt in hoc ſacramento.

2. Sub nomine carnis, omnes aliæ partes corporis continentur: ſicut oſſa, nerui, & alia huiuſmodi: ſed ſanguis eſt vna partium humani corporis ; ſi ergo ſanguis Chriſti continetur ſub ſpecie panis, ſicut continentur ibi aliæ partes corporis, non deberet ſeorſum ſanguis conſecrari ; ſicut neque ſeorſum conſecratur aliqua alia pars corporis.

3. Quod iam factum eſt, iterum fieri non poteſt : ſed corpus Chriſti iam incepit eſſe in hoc ſacramento per conſecrationem panis ; ergo non poteſt eſſe quòd de nouo incipiat eſſe per conſecrationem vini. Et ita ſub ſpecie vini non continebitur Corpus Chriſti, & per conſequens nec totus Chriſtus. Non ergo ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur.

Dicendum quòd ſub vtraque ſpecie ſacramenti totus eſt Chriſtus, aliter tamen & aliter. Nam ſub ſpeciebus panis, eſt quidem corpus Chriſti ex vi ſacramenti ; ſanguis autem ex reali concomitantia. Sub ſpeciebus verò vini, eſt quidem ſanguis Chriſti ex vi ſacramenti; corpus autem Chriſti ex reali concomitantia, ſicut anima & diuinitas ; eo quod nunc ſanguis Chriſti non eſt ab eius corpore ſeparatus, ſicut fuit tempore paſſionis & mortis. Vnde ſi tunc fuiſſet hoc ſacramentum celebratum ſub ſpeciebus panis, fuiſſet corpus Chriſti ſine ſanguine; & ſub ſpeciebus vini ſanguis ſine corpore, ſicut erat in rei veritate.

Chriſtus ſub vtraque ſpecie continetur.

Digitized by Google

Ad 1. R. quòd quamuis totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie, non tamen fruſtra. Nam primò quidem hoc valet ad repræſentandam paſſionem Chriſti, in qua ſeorſum fuit ſanguis à corpore ſeparatus: vnde & in forma conſecrationis ſanguinis, ſit mentio de eius effuſione. Secundò hoc eſt conueniens vſui huius ſacramenti, vt ſeorſim exhibeatur fidelibus Corpus Chriſti in cibum & ſanguis in potum. Tertiò quantùm ad effectum ſecundùm quod corpus exhibetur pro ſalute corporis, & ſanguis pro ſalute animæ.

Ad 2. R. quòd in paſſione Chriſti (cuius hoc ſacramentum eſt memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis ab inuicem ſeparatæ, ſicut ſanguis; ſed corpus indiſſolutum permanſit, vt patet in textu. Et ideo in hoc ſacramento ſeorſum conſecratur ſanguis à corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.

Ad 1. R. quòd corpus Chriſti, non eſt ſub ſpecie vini ex vi ſacramenti, ſed ex reali concomitantia. Et ideo per conſecrationem vini non fit ibi corpus Chriſti per ſe, ſed concomitanter. *3. p. quæſt. 76. art. 2.*

EXODI Cap. 12. *v.* 48.

Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur priùs omne maſculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque ſimul ſicut indigena terræ.

Videtur quòd iudicialia præcepta non ſint conuenienter tradita quantùm ad extraneos, dicit enim Petrus, *In veritate comperi quoniam non eſt acceptor perſonarum Deus; ſed in omni gente qui timet Deum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*: Sed illi qui ſunt Deo accepti, non ſunt ab eccleſia Dei excludendi; inconuenienter igitur mandatur, quòd *Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt in eccleſiam Domini in æternum.* E contrario autem ibidem præcipitur de quibuſdam gentibus, *non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt; nec Ægyptum, quia aduena fuiſti in terra eius.*

Act.10. v. 34. *Deut. 23. v. 3.*

2. Eaquæ non ſunt in poteſtate noſtra, non merentur aliquam pœnam: ſed quòd homo ſit Eunuchus, vel ex ſcorto natus, non eſt in poteſtate eius; ergo inconuenienter mandatur, quòd Eunuchus, & ex ſcorto natus non ingrediatur eccleſiam Domini. *Deut. 23. v. 1.*

3. Ex culpa non debet quis commodum reportare: ſed quòd homo ſit formidoloſus & corde pauidus, culpabile eſt; contrarium eſt enim virtuti fortitudinis; inconuenienter igitur à labore prælii excuſabantur formidoloſi, & pauidum cor habentes.

Dicendùm quòd cum extraneis poteſt eſſe hominum conuerſatio dupliciter: vno modo pacificè, alio modo hoſtiliter: & quantùm ad vtrumque modum ordinandum, lex conuenientia præcepta continebat. Tripliciter enim offerebatur Iudæis occaſio, vt cum extraneis pacificè communicarent. Primò quidem quando extranei per terram eorum tranſitum faciebant quaſi peregrini. Alio modo quando interram eorum adueniebant ad inhabitandum, ſicut aduenæ: & quantùm ad vtrumque lex miſeri-

Digitized by Google

cordiæ præcepta propoſuit. Nam
Exodi 22.v.21 dicitur, *aduenam non contriſtabis.*
Exodi. 23. v 9. Et, *Peregrino moleſtus non eris.* Tertiò
verò, quando aliqui extranei
totaliter in eorum conſortium &
ritum admitti volebant.

Et in his quidam ordo attendebatur; non enim ſtatim recipiebantur quaſi ciues, ſicut etiam apud quoſdam gentilium ſtatutum erat, vt non reputarentur ciues, niſi qui ex auo, vel atauo ciues exiſterent. Et hoc ideo quia ſi ſtatim extranei aduenientes reciperentur ad tractandum ea quæ ſunt populi, poſſent multa pericula contingere; dum extranei non habentes adhuc amorem firmatum ad bonum publicum, aliqua contra populum attentarent; & ideo lex ſtatuit vt de quibuſdam gentilibus aliquam affinitatem ad Iudæos, ſcilicet de Ægyptiis, apud quos nati fuerant & nutriti: & de Idumæis filii Eſau fratris Iacob in tertia generatione reciperentur in conſortium populi.

Quidam verò quia hoſtiliter ſe ad eos habuerant (ſicut Ammonitæ, & Moabitæ) nunquam in conſortium populi admitterentur. Amalecitæ autem qui magis eis fuerant aduerſati, & cum eis nullum cognationis habebant conſortium, quaſi hoſtes perpetui haberentur.
Exodi. 17.v.16. Dicitur enim *Bellum Dei erit contra Amalec à generatione in generationem.*

Similiter etiam quantùm ad hoſtilem communicationem cum extraneis lex conuenientia præcepta tradidit. Nam primò quidem inſti-
Deut. 20.v.10 tuit vt bellum iuſtè iniretur: mandatur enim quòd cùm accederent ad expugnandam ciuitatem, offerrent inprimo pacem. Secundò inſtituit vt fortiter bellum inceptum exequerentur, habentes de Deo fiduciam & ad hoc meliùs obſeruandum inſtituit, quòd imminente prælio ſacerdos eos confortaret promittendo auxilium Dei. Tertiò mandauit vt impedimenta prælii remouerentur, remittendo quoſdam ad domum qui poſſent impedimenta præſtare. Quartò inſtituit vt victoriâ moderatè vterentur parcendo mulieribus & paruulis, & etiam ligna fructifera regionis non incidendo.

Ad 1. R. quòd homines nullius gentis excluſit lex à cultu Dei, & ab his quæ pertinent ad animæ ſalutem, vt patet in textu. Sed in temporalibus, quantùm ad ea quæ pertinebant ad communitatem populi, non ſtatim quilibet admittebatur, ratione ſupradictâ in corp. art. ſed quidam in tertia generatione, ſcilicet Ægyptii & Idumæi; alii verò perpetuò excludebantur in deteſtationem culpæ præteritæ, ſicut Moabitæ, & Ammonitæ, & Amalecitæ.

Sicut enim punitur vnus homo propter peccatum quod commiſit, vt alii videntes timeant, & peccare deſiſtant; ita etiam propter aliquod peccatum gens vel ciuitas poteſt puniri, vt alii à ſimili peccato abſtineant. Poterat tamen diſpenſatiuè aliquis in collegium populi admitti propter aliquem virtutis
actum, ſicut dicitur quòd *Achior* Iudith. 14.v.6.
dux filiorum Ammon appoſitus eſt ad populum Iſraël, & omnis ſucceſſio generis eius. Et ſimiliter Ruth Moabitis, quæ mulier virtutis erat; licet poſſit dici quòd illa prohibitio extendebatur ad viros, non ad mulieres, quibus

Digitized by Google

non competit ſimpliciter eſſe ciues.

Ciuis dupliciter intelligitur.

Ad 2. R. quòd dupliciter aliquis dicitur eſſe ciuis. Vno modo ſimpliciter, & alio modo ſecundùm quid. Simpliciter quidem ciuis eſt qui poteſt agere ea quæ ſunt ciuium, puta dare conſilium, vel iudicium in populo: ſecundùm quid autem ciuis dici poteſt quicumque ciuitatem inhabitat, etiam viles perſonæ & pueri, & ſenes, qui non ſunt idonei ad hoc, quòd habeant poteſtatem in his quæ pertinent ad commune.

Ideo ergo ſpurii propter vilitatem originis excludebantur ab eccleſia, id eſt, à collegio populi vſque ad decimam generationem. Et ſimiliter eunuchi, quibus non oporteat competere honor qui patribus debebatur, & præcipuè in populo Iudæorum in quo Dei cultus conſeruabatur per carnis generationem.

Nam etiam apud gentiles, qui multos filios genuerant, aliquo inſigni honore donabantur. Tamen quantùm ad ea, quæ ad gratiam Dei pertinebant, eunuchi ab aliis non ſeparabantur, ſicut nec aduenæ. Dicitur enim, *Non dicat filius aduenæ, qui adhæret Domino dicens, ſeparatione diuidet me Dominus à populo ſuo: & non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum.* *Eſai. 56. v. 3.*

Ad 3. R. quòd timidi remittebantur ad domum, non vt ipſi ex hoc commodum conſequerentur: ſed ne populus ex eorum præſentia incommodum conſequeretur, dum per eorum timorem & fugam, etiam alii ad timendum & fugiendum prouocarentur. 12. *q.* 105. *art.* 3.

EXODI. Cap. XIII. *v.* 2.

Sanctifica mihi omne primogenitum, &c.

VIdetur quòd inconuenienter fuerit Chriſtus in templo oblatus; nam Chriſtus non aperuit vuluam in filiis Iſraël, ſed exiuit de clauſo virginis vtero; ergo Chriſtus ex hac lege non debuit in templo offerri.

2. Illud quod eſt ſemper præſens alicui, non poteſt ei præſentari: ſed Chriſti humanitas ſemper fuit Deo maximè præſens, vt pote ſemper ei coniuncta in vnitate perſonæ; ergo non oportuit quòd coram Domino ſiſteretur.

3. Chriſtus eſt hoſtia principalis, ad quam omnes hoſtiæ veteris legis referuntur, ſicut figura ad veritatem: ſed hoſtiæ non debet eſſe alia hoſtia; ergo non fuit conueniens vt pro Chriſto alia hoſtia offerretur.

4. Inter legales hoſtias præcipua fuit agnus, qui erat iuge ſacrificium, vt habetur: vnde etiam Chriſtus dicitur agnus, *Ecce agnus Dei*; magis ergo fuit conueniens quòd pro Chriſto offerretur agnus, quàm par turturum, vel duo pulli columbarum. *Num. 28. v. 3. Ioan. 1. v. 29.*

Dicendùm quòd Chriſtus voluit ſub lege fieri, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, & vt iuſtificatio legis in ſuis membris ſpiritualiter impleretur. De prole autem nata duplex præceptum in lege traditur: vnum quidem generale quoad omnes, vt ſcilicet completis diebus purificationis matris, offerretur ſa-

Leu. 12. v. 6. crificium pro filio, ſiue pro filia, vt habetur.

Et hoc quidem ſacrificium erat & ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta & nata; & etiam ad conſectarionem quandam ipſius; quia tunc primò præſentabatur in templo: & ideo aliquid offerebatur in holocauſtum, & aliquid pro peccato.

Aliud autem præceptum erat ſpeciale in lege de primogenitis, tam in hominibus quàm in iumentis. Sibi enim Dominus deputauerat omne primogenitum filiorum in Iſraël, pro eo quòd ad liberationem populi Iſraël percuſſerat primogenita Ægypti, ab homine vſque ad pecus, primogenitis filiorum Iſraël reſeruatis.

Quia igitur Chriſtus ex muliere natus, erat quaſi primogenitus, & Luca 2. v. 22. voluit fieri ſub lege. Hæc duo Lucas circa eum fuiſſe obſeruata, oſtendit. Primò quidem id quod pertinet ad primogenitos cùm dicit; *Tulerunt illum in Hieruſalem vt ſiſterent eum Domino, &c.* Secundò illud quod pertinet communiter ad omnes, cùm dicit; *vt darent hoſtiam ſecundùm quod dictum erat in lege Domini, par turturum, &c.*

Ad 1. R. quòd illud legis præceptum in ſolo incarnato Deo ſingulariter, & ab aliis differenter impletum eſt.

Ad 2. R. quòd ſicut filius Dei non propter ſeipſum factus eſt homo & circunciſus in carne; ſed vt nos per gratiam faceret Deos, & vt ſpiritualiter circuncidamur; ſic propter nos ſiſtitur Domino, vt diſcamus Deo præſentare noſmetipſos. Et hoc poſt eius circunciſionem factum eſt, vt oſtendat neminem niſi circunciſum vitiis, dignum eſſe diuinis conſpectibus.

Ad 3. R. quòd propter hoc ipſum voluit hoſtias legales pro ſe offerri, qui erat vera hoſtia, vt figura veritati coniungeretur, & per veritatem figura approbaretur; contra illos qui Deum legis negant à Chriſto fuiſſe in Euangelio prædicatum.

Ad 4. R. quòd præcipitur, vt qui Leu. 12. v. 6. poſſent agnum pro filio aut filia, ſimul & turturem ſiue columbam offerrent: Qui verò non ſufficerent ad offerendum agnum, duos turtures, vel duos columbarum pullos offerrent. Dominus ergo qui cùm diues eſſet, propter nos egenus factus eſt, vt illius inopiâ diuites eſſemus, pro ſe pauperum hoſtiam voluit offerri; ſicut & in ipſa natiuitate pannis inuoluitur & reclinatur in præſepio.

Nihilominus tamen huiuſmodi aues figuræ congruunt, turtur enim quia eſt auis loquax, prædicationem & confeſſionem fidei ſignificat; Quia verò eſt animal caſtum, ſignificat caſtitatem; quia verò eſt animal ſolitarium, ſignificat contemplationem. Columba verò eſt animal manſuetum & ſimplex, manſuetudinem & ſimplicitatem ſignificans. Et etiam animal gregale, vnde ſignificat vitam actiuam. Et ideo huiuſmodi hoſtia figurabat perfectionem Chriſti & membrorum eius. Vtrumque etiam animal propter conſuetudinem gemendi, præſentes ſanctorum luctus deſignat: ſed turtur quæ eſt ſolitaria, ſignificat ſecretas orationum lachrymas: columba verò quæ eſt gregalis, ſignificat publicas orationes eccleſiæ. Vtrumque verò animal duplicatum offertur, vt ſan-

Poteſt etiam dici quòd ſicut Iudæis ſpeciali quodam beneficio terram promiſſionis contulit Deus; ita generali beneficio, toti humano generi contulit terræ dominium, *Pſ. 113.* ſecundùm illud, *Terram dedit filijs hominum.*

Ad 3. R. quòd ſicut Hieron. dicit, ex maiorum traditione inductum eſt, quòd qui plurimum, quadrageſimam partem dabant ſacerdotibus loco primitiarum; qui minimum, ſexageſimam. Vnde videtur quòd inter hos terminos ſint primitiæ offerendæ, ſecundùm conſuetudinem patriæ. Rationaliter tamen primitiarum quantitas non fuit determinata in lege; quia primitiæ dantur per modum oblationis, de cuius ratione eſt quòd ſint voluntariæ. 22. *q.* 86. *art.* 4.

GENESIS Cap. XIIII. *v.* 27.

Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.

VIdetur quòd Chriſtus non debuerit baptizari in Iordane; veritas enim debet reſpondere figuræ: ſed figura baptiſmi præceſſit in tranſitu maris rubri, vbi Ægyptii ſunt ſubmerſi, ſicut peccata delentur in baptiſmo; ergo.

2. Iordanis interpretatur deſcenſus: ſed per baptiſmum aliquis aſcendit magis quàm deſcendat; vnde dicitur, quòd *Baptiſatus Ieſus confeſtim aſcendit de aqua*; ergo. *Matt. 3. v. 16.*

3. Tranſeuntibus filiis Iſraël, aquæ Iordanis conuerſæ ſunt retrorſum, vt legitur: ſed illi qui baptiſantur non retrorſum, ſed in ante progrediuntur; ergo. *Ioſue. 4. v. 7. Pſ. 113. v. 3.*

Sed contra eſt quod dicitur, quòd *Baptiſatus eſt Ieſus à Ioanne in Iordane.* *Marci 1. v. 9.* Dicendum quòd fluuius Iordanis fuit per quem filii Iſraël in terram promiſſionis intrauerunt. Hoc autem habet baptiſmus Chriſti ſpeciale præ omnibus baptiſmatibus quòd introducit in regnum Dei, quod per terram promiſſionis ſignificatur. Vnde dicitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* *Ioan. 3. v. 5.*

Ad quod etiam pertinet quòd Elias diuiſit aquas Iordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cœlum, vt dicitur; quia ſcilicet tranſeuntibus per aquam baptiſmi, per ignem Spiritus Sancti patet aditus in cœlum. Et ideo conueniens fuit vt Chriſtus in Iordane baptiſaretur. *4. Reg. 2. v. 8.*

Ad 1. R. quòd tranſitus maris rubri præfigurauit baptiſmum quantùm ad hoc quòd baptiſmus delet peccata: ſed tranſitus Iordanis quantùm ad hoc quòd aperit ianuam regni cœleſtis, qui eſt principalior effectus baptiſmi, & per ſolum Chriſtum impletus. Et ideo conuenientius fuit quòd Chriſtus in Iordane, quàm in mari baptiſaretur.

Ad 2. R. quòd in baptiſmo eſt aſcenſus per profectum gratiæ, qui requirit deſcenſum humilitatis, ſecundùm illud, *Humilibus Deus dat gratiam.* Et ad talem deſcenſum referendum eſt nomen Iordanis. *Iacobi. 4. v. 6.* Humilitas ſuadetur.

Ad 3. R. cum Aug. quòd ſicut antea aquæ Iordanis retrorſum cõuerſæ fuerant; ita modò Chriſto baptiſato retrorſum peccata conuerſa ſunt. Vel etiam per hoc ſignificatur quòd contra deſcenſum aquarum, benedictionum fluuius ſurſum ferebatur. 3. *p. q.* 39. *art.* 4.

Li.

Digitized by Google

ſignificat vt quo aliquid eſt album.

Quia igitur & Deus ſimplex eſt, & ſubſiſtens eſt; attribuimus ei nomina abſtracta, ad ſignificandam ſimplicitatem eius; & nomina concreta, ad ſignificandam ſubſiſtentiam & perfectionem ipſius. Quamuis vtraque nomina deficiant à modo ipſius, ſicut intellectus noſter non cognoſcit cum vt eſt, ſecundùm hanc vitam.

Ad 2. R. quòd ſignificare ſubſtantiam cum qualitate, eſt ſignificare ſuppoſitum cum natura, vel forma determinata in qua ſubſiſtit. Vnde ſicut de Deo dicuntur aliqua in concretione ad ſignificandum ſubſiſtentiam & perfectionem ipſius: ita dicuntur de Deo nomina ſignificantia ſubſtantiam cum qualitate. Verba verò & participia conſignificantia tempus, dicuntur de ipſo ex eo quòd æternitas includit omne tempus.

Sicut enim ſimplicia ſubſiſtentia non poſſumus apprehendere & ſignificare, niſi per modum compoſitorum; ita ſimplicum æternitatem non poſſumus intelligere vel voce exprimere, niſi per modum temporalium rerum: & hoc propter connaturalitatem intellectus noſtri ad res compoſitas & temporales.

Pronomina verò demonſtratiua dicuntur de Deo ſecundùm quod faciunt demonſtrationem ad id quod intelligitur, non ad id quod ſentitur. Secundum enim quod à nobis intelligitur, ſecundùm hoc ſub demonſtratione cadit Et ſic ſecundùm illum modum quo nomina & participia & pronomina demonſtratiua de Deo dicuntur; ſecundùm hoc & pronominibus, & nominibus relatiuis ſignificari poteſt. 1. *p. quæſt.* 13. *art.* 1. *V.* 3. *p. q.* 13. *art.* 1.

EXODI Cap. XV. *v.* 11.

Quis ſimilis tui in fortibus Domine?

EXplicatur ſupra. *Geneſis* 1. *verſ.* 26.

EXODI Cap. 15. *v.* 11.

Magnificus in ſanctitate.

MAgnificentia coniungitur ſanctitati, quia præcipuè eius effectus ad religionem ſiue ad ſanctitatem ordinatur. Vnde dicitur, *Sanctitas & magnificentia in ſanctificatione eius.* 22. *q.* 134. *art.* 2. *ad tertium.* *Pſ.* 95. *v.* 6.

EXODI Cap. 15. *v.* 18.

Dominus regnabit in æternum & vltra.

ARguitur, omne quod eſt finitum eſt communicabile creaturæ: ſed æternitas eſt quoddam finitum, vt patet in textu, alias enim nihil poſſet eſſe vltra æternitatem; & ſic creatura ab æterno poteſt dici producta.

R. quòd æternum exponitur pro tempore diuturno. *In quæſt. diſp. q.* 3. *de potentia art.* 17. *ad* 23. *V.* 1. *p. q.* 10. *art.* 2. *ad ſecundum.*

Digitized by Google

Exodi Cap. XVI. v. 35.

Filij Iſraël comederunt Man.

QVantùm ad id quod eſt res tantùm ſcilicet gratia, Euchariſtiæ ſignum manna fuit quod reficiebat omnem ſaporem ſuauitatis habens. Explicatur ſupra. *Gen. cap.* 14. *v.* 18. *V.* 3. *p. q.* 73. *art* 6.

Exodi Cap. XVII. v. 17.

Bellum Dei erit contra Amalec à generatione in generationem.

EXplicatur ſupra. *Exodi* 12. *v.* 48.

Exodi Cap. XVIII. v. 19.

Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, oſtendáſque populo cæremonias & ritum colendi.

VIdetur quòd ratio præceptorum cæremonialium, non in hoc conſiſtat, quòd pertineat ad cultum Dei; in lege enim veteri dantur Iudæis quædam præcepta de abſtinentia ciborum, *Leu.* 11. *v.* 2. vt patet. Et etiam de abſtinendo ab aliquibus veſtimentis, ſecundùm illud, *Leu.* 19. *v.* 19. *Veſtem, quæ ex duobus texta eſt, non indueris.* Iterum & quod præcipitur, *Num* 15. *v.* 38. *vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum*: Sed huiuſmodi non ſunt præcepta moralia; quia non manent in noua lege; nec etiam iudicilia, quia non pertinent ad iudicium faciendum inter homines; ergo ſunt cæremonialia. Sed in nullo pertinere videntur ad cultum Dei; ergo non eſt cæremonialium præceptorum ratio, quòd pertineant ad cultum Dei.

Dicendum quod cæremonialia præcepta determinant præcepta moralia in ordine ad Deum; ſicut iudicabilia determinant præcepta moralia in ordine ad proximum. Homo autem ordinatur ad Deum per debitum cultum: & ideo cæremonialia propriè dicuntur quæ ad cultum Dei pertinent.

Ad argum. R. quòd ad cultum Dei pertinent, non ſolùm ſacrificia & alia huiuſmodi quæ immediatè ad Deum ordinari videntur; ſed etiam debita præparatio colentium Deum ad cultum ipſius. Sicut etiam in aliis, quæcumque ſunt præparatoria ad finem, cadunt ſub ſcientia quæ eſt de fine.

Huiuſmodi autem præcepta quæ dantur in lege de veſtibus & cibis colentium Deum; & aliis huiuſmodi, pertinent ad quandam præparationem ipſorum miniſtrantium, vt ſint idonei ad cultum Dei: ſicut etiam ſpecialibus obſeruantiis aliqui vtuntur, qui ſunt in miniſterio regis: vnde etiam præceptis cæremonialibus continentur. 12. *q.* 101. *art.* 1.

Exodi Cap. 18. v. 21.

Prouide de omni plebe viros potentes, qui iudicent populum omni tempore.

VIdetur quòd inconuenienter lex vetus de principibus ordinauerit; quia ordinatio populi præcipuè dependet ex maximo princi-

Digitized by Google

patu: ſed in lege non inuenitur qualiter debeat inſtitui ſupremus princeps: inuenitur autem de inferioribus principibus, vt patet in textu: *Num.* 11 *v.* 16. Et, *congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael.* Et, *Date ex vobis viros ſapientes & gnaros &c.*; *Deut.* 1. *v.* 13. ergo inſufficienter lex vetus principes populi ordinauit.

2. Optima ordinatio populi eſt vt gubernetur per regem, quia huiuſmodi regnum maximè repræſentat diuinum regimen, quo vnus Deus mundum gubernat à principio; igitur lex debuit regem populo inſtituere, & non permittere hoc eorum arbitrio, ſicut permittitur, *Deut.* 17. *v.* 14. *cùm dixeris, conſtituam ſuper me regem, eum conſtitues, &c.*

Matth. 12. *v.* 25. 3. *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*, quod experimento patuit in populo Iudæorum, in quo fuit diuiſio regni deſtructionis cauſa: ſed lex præcipuè debet intendere ea quæ pertinent ad communem ſalutem populi; ergo debuit in lege prohiberi diuiſio regni in duos reges; nec etiam debuit hoc auctoritate diuinâ introduci, ſicut legitur introductum auctoritate Domini per Ahiam Silonitem Prophetam. 3. *Reg.* 11. *v.* 31.

4. Sicut ſacerdotes inſtituuntur ad vtilitatem populi in his quæ ad Deum pertinent; ita principes etiam inſtituuntur ad vtilitatem populi in rebus humanis: ſed ſacerdotibus & leuitis qui ſunt in lege, deputantur aliqua ex quibus viuere debeant; ſicut decimæ, & primitiæ, & multa alia huiuſmodi; ergo ſimiliter principibus populi debuerunt aliqua ordinari vnde ſuſtentarentur, & præcipuè cùm inhibita ſit eis munerum acceptio, vt patet, *non accipietis munera, quæ excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* *Ex.* 23. *v.* 8.

Dicendum quòd circa bonam ordinationem principum in aliqua ciuitate vel gente, duo ſunt attendenda; quorum vnum eſt vt omnes aliquam partem habeant in principatu; per hoc enim conſeruatur pax populi: & omnes talem ordinationem amant & cuſtodiunt.

Aliud eſt quod attenditur ſecundùm ſpecimen regiminis vel ordinationis principatuum; cuius cùm ſint diuerſæ ſpecies, præcipuè tamen ſunt regnum, in quo vnus principatur ſecundùm virtutem: & Ariſtocratia, id eſt, poteſtas optimorum, in qua aliqui pauci principantur ſecundùm virtutem.

Vnde optima ordinatio principum eſt in aliqua ciuitate vel regno, in quo vnus perficitur ſecundùm virtutem qui in omnibus præſit: & ſub ipſo ſunt aliqui principantes ſecundùm virtutem: & tamen talis principatus ad omnes pertinet; tum quia ex omnibus eligi poſſunt; tum quia etiam ab omnibus eliguntur.

Talis enim eſt omnis politia bene commixta ex regno; inquantum vnus præeſt: & Ariſtocratia; inquantum multi principantur ſecundùm virtutem: & ex democratia, id eſt, poteſtate populi; inquantum ex popularibus poſſunt eligi principes: & ad populum pertinet electio principum, & hoc fuit inſtitutum ſecundùm legem diuinam.

Nam Moyſes & eius ſucceſſores gubernabant populum quaſi ſingulariter omnibus principantes, quod eſt quædam ſpecies regni. Elige-

Digitized by Google

bantur autem, ſeptuaginta duo ſeniores ſecundùm virtutem. Dicitur enim. *Tuli de veſtris tribubus viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos principes.* Et hoc erat ariſtocraticum. Sed democraticum erat, quòd iſti de omni populo eligebantur, vt patet in textu. Et etiam quòd populus eos eligebat, vnde dicitur, *Date ex vobis viros ſapientes, &c.* Vnde patet quòd optima fuit ordinatio principum quam lex inſtituit.

Deut. 1. v. 15.

Deut. 1. v. 13.

Ad 1. R. quòd populus ille ſub ſpeciali cura Dei regebatur. Vnde dicitur *Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris.* Et ideo inſtitutionem ſummi principis Dominus ſibi reſeruauit. Et hoc eſt quòd Moyſes petiuit, *Prouideat Dominus Deus, ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* Et ſic ex Dei ordinatione inſtitutus eſt Ioſue in principatu poſt Moyſen. Et de ſingulis iudicibus qui poſt Ioſue fuerunt, legitur quòd *Deus ſuſcitauit populo ſaluatorem*, & quòd ſpiritus Domini fuit in eis. Et ideo etiam electionem regis non commiſit Dominus populo, ſed ſibi reſeruauit, vt patet; *Eum conſtitues regem quem Dominus Deus tuus elegerit.*

Deut. 7. v. 6.

Num. 27. v. 16

Iudic. 3. v. 9.

Deut. 17. v. 15.

Ad 2. R. quòd regnum eſt optimum regimen populi, ſi non corrumpatur: ſed propter magnam poteſtatem quæ regi conceditur, de facili regnum degenerat in tyrannidem, niſi ſit perfecta virtus eius cui talis poteſtas conceditur: perfecta autem virtus in paucis inuenitur; præcipuè Iudæi crudeles erant, & ad auaritiam proni; per quæ vitia maximè homines in tyrannidem decidunt.

Et ideo Dominus à principio eis regem non inſtituit cum plena poteſtate; ſed iudicem & gubernatorem in eorum cuſtodiam. Sed poſtea regem ad petitionem populi quaſi indignatus conceſſit, vt patet per hoc quod dixit ad Samuelem, *Non te abiecerunt, ſed me; ne regnem ſuper eos.*

Regis electio.

1. Reg. 8. v. 7.

Inſtituit tamen à principio circa regem inſtituendum, primò quidem modum eligendi, in quo duo determinauit, vt ſcilicet in eius electione expectarent iudicium Domini; & vt non facerent regem alterius gentis; quia tales reges ſolent parum affici ad gentem cui præficiuntur, & per conſequens non curare de eis.

Secundò ordinauit circa reges inſtitutos qualiter deberent ſe habere quantùm ad ſeipſos, ſcilicet non multiplicarent currus & equos, neque vxores, neque etiam immenſas diuitias; quia ex cupiditate horum, principes ad tyrannidem declinant, & iuſtitiam derelinquunt.

Inſtituit etiam qualiter ſe deberent habere ad Deum, vt ſcilicet ſemper legerent & cogitarent de lege Dei, & ſemper eſſent in Dei timore & obedientia.

Inſtituit etiam qualiter ſe haberent ad ſubditos ſuos, vt ſcilicet non ſuperbè eos contemnerent, aut opprimerent, neque etiam à iuſtitia declinarent.

Ad 3. R. quòd diuiſio regni, & multitudo regum magis eſt populo illi data in pœnam pro multis diſſenſionibus eorum, quas maximè contra regem Dauid iniuſtum mouerant, quàm ad eorum profectum. Vnde dicitur, *dabo tibi regem in fu-*

Oſee 13. v. 11.

Digitized by Google

Oſee 8. v. 4. *rore meo.* Et, *ipſi regnauerunt*, & *non ex me*, *principes extiterunt & non cognoui*.

Ad 4. R. quòd ſacerdotes per ſucceſſionem originis ſacris deputabantur; & hoc ideo, vt in maiori reuerentia haberentur, ſi non quilibet ex populo poſſet ſacerdos fieri, quorum honor cedebat in reuerentiam diuini cultus: & ideo oportuit vt eis ſpecialia quædam deputarentur, tam in decimis quàm in primitiis, quàm etiam in oblationibus & ſacrificiis ex quibus viuerent.

Sed principes aſſumebantur ex toto populo: & ideo habebant certas poſſeſſiones proprias, ex quibus viuere poterant; & præcipue cùm Dominus prohiberet etiam in lege ne ſuperabundarent diuitiis aut magnifico apparatu: tum quia non erat facile quin ex his in ſuperbiam & tyrannidem erigerentur; tum etiam quia ſi principes non erant multùm diuites, & erat laborioſus principatus & ſolicitudine plenus, non multùm affectabatur à popularibus: & ſic tollebatur ſeditionis materia. 12. *q.* 105. *art.* 1. Idem locus explicatur ſupra. *Gen.* 1. *v.* 26.

EXODI. Cap. XIX. *v.* 13.

Beſtia quæ tetigerit montem, lapidabitur.

Videtur quòd liberum arbitrium ſit in brutis; nam illud dicitur eſſe liberum quod non eſt obligatum alicui: ſed anima bruti non eſt obligata ad alterum oppoſitorum; quia potentia ipſius non eſt determinata ad vnum, ſicut potentiæ rerum naturalium, quæ ſemper idem faciunt; ergo anima bruti habet liberum arbitrium.

2. Pœna non debetur niſi ei qui habet liberum arbitrium: ſed in veteri lege inuenitur pœna inflicta brutis vt patet in textu; ergo.

Dicendum quòd bruta nullo modo ſunt liberi arbitrii. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd cùm ad operationem noſtram tria concurrant; ſcilicet cognitio, appetitus, & ipſa operatio; tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet: *Animal non eſt liberi arbitrij.* Appetitus enim cognitionem ſequitur, cùm appetitus non ſit niſi boni, quod ſibi per vim cognitiuam proponitur.

Et quòd quandoque appetitus videatur cognitionem non ſequi, hoc ideo eſt, quia non circa idem accipitur appetitus & cognitionis iudicium. Eſt enim appetitus de particulari operabili, iudicium verò rationis quandoque eſt de aliquo vniuerſali, quod eſt quandoque contrarium appetitui.

Sed iudicium de hoc particulari operabili vt nunc, numquam poteſt eſſe contrarium appetitui. Qui enim vult fornicari, quamuis ſciat in vniuerſali fornicationem malum eſſe, tamen iudicat ſibi vt tunc bonum eſſe fornicationis actum; & ſub ſpecie boni ipſum eligit. Nullus enim intendens ad malum, operatur.

Appetitum autem ſi non ſit aliquid prohibens, ſequitur motus vel operatio. Et ideo ſi iudicium cognitiuæ non ſit in poteſtate alicuius, ſed ſit aliunde determinatum, nec appetitus erit in poteſtate eius, & per conſequens nec motus vel operatio abſolutè.

Digitized by Google

Iudicium autem eſt in poteſtate iudicantis, ſecundùm quod poteſt de ſuo iudicio iudicare: De eo enim quod eſt in noſtra poteſtate poſſumus iudicare. Iudicare autem de iudicio ſuo eſt ſolius rationis, quæ ſuper actum ſuum reflectitur, & cognoſcit habitudines rerum de quibus iudicat, & per quas iudicat. Vnde totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta. Vnde ſecundùm quod aliquid ſe habet ad rationem, ſic ſe habet ad liberum arbitrium.

Ratio autem plenè & perfectè inuenitur ſolùm in homine, vnde in eo ſolùm liberum arbitrium plenariè inuenitur. Bruta autem habent aliquam ſimilitudinem rationis, inquantum participant quandam prudentiam naturalem ſecundùm quod natura inferior attingit aliqualiter ad id quod eſt naturæ ſuperioris. Quæquidem ſimilitudo eſt ſecundùm quod habent iudicium ordinatum de aliquibus.

Sed hoc iudicium eſt eis ex naturali æſtimatione, non ex aliqua collatione; cùm rationem ſui iudicii ignorent; propter quod huiuſmodi iudicium non ſe extendit ad omnia, ſicut iudicium rationis, ſed ad quædam determinata.

Et ſimiliter eſt in eis quædam ſimilitudo liberi arbitrii inquantum poſſunt agere, vel non agere vnum, & idem, ſecundùm ſuum iudicium, vt ſic ſit in eis quaſi quædam conditionata libertas; poſſunt enim agere, ſi iudicant eſſe agendum, vel non agere, ſi non iudicant. Sed quia iudicium eorum eſt determinatum ad vnum, per conſequens & appetitus & actio ad vnum determinatur.

Ad 1. R. quòd quamuis potentia motiua in brutis non ſit determinata ad vnum; tamen iudicium eorum de agendis eſt determinatum ad vnum.

Ad 2. R. quod cùm bruta ſint facta in obſequium hominis, ſecundùm hoc de brutis diſponitur, quod hominibus expedit, propter quos facta ſunt. Puniuntur ergo bruta lege diuinâ, non propter hoc quòd ipſa peccent; ſed propter hoc quòd ex eorum pœna homines puniantur, ſcilicet eorum poſſeſſiones; vel terreantur ex ipſa pœnæ acerbitate, vel etiam inſtruantur ex myſterii ſignificatione. *In quæſt. diſp. q. 24. de Verit. art. 2.*

Beſtia quæ tetigerit montem, lapidabitur. Videtur quòd aliquis non teneatur corripere prælatum ſuum, hoc patet in textu. Et, *Oza percuſſus eſt à Domino, quia tetigit arcam:* 2. Reg. 6. v. 7. ſed per montem & arcam ſignificatur prælatus; ergo prælati non ſunt corripiendi à ſubditis. R. quòd tunc prælatus inordinatè videtur tangi quando irreuerenter obiurgatur, vel etiam quando ei detrahitur. Et hoc ſignificatur per contactum montis, & arcæ damnatum à Deo. 22. *q. 33. art. 4. ad primum.*

EXODI Cap. 19. v. 15.

Nolite appropinquare vxoribus veſtris.

Videtur quòd petens debitum in tempore ſacro, mortaliter peccat; nam quicumque facit contra præceptum diuinum mortaliter peccat: ſed Dominus præcepit, *nolite appropinquare vxoribus veſtris,* Debitũ p[illegible]s die feſto non peccat. quando ſcilicet erant legem accepturi; ergo multò magis peccat mortaliter, ſi tempore quo ſacramentis

mentis nouæ legis intendendum eſt, vxoribus viri commiſceantur.

Dicendum quòd petere debitum in die feſtiuo non eſt circunſtantia trahens ad aliam ſpeciem peccati, vnde non poteſt in infinitum aggrauare: & ideo non peccat mortaliter vxor, vel vir ſi in die feſtiuo debitum petat. Sed tamen grauius eſt peccatum, ſi ſolâ delectationis causâ petatur, quàm ſi propter timorem, quo quis ſibi timet de lubrico carnis, ſibi debitum petat.

Ad argum. R. quòd ex auctoritate illa, non poteſt probari quòd ſit peccatum mortale, ſed quòd ſit incongruum. Multa enim ad munditias carnis pertinentia exigebantur de neceſſitate præcepti in veteri lege, quæ carnalibus dabatur, quæ non exiguntur in noua lege, quæ eſt lex ſpiritus. *Lib. 4. ſent. Diſt. 32. q. 1. art. 5.*

Nolite appropinquare vxoribus veſtris. Videtur quòd carnalis copula non poſſit eſſe ſine peccato, nihil enim impedit à rebus diuinis niſi peccatum: ſed carnalis copula eſt huiuſmodi, vnde præcipitur populo qui debebat Deum videre, quòd non accederent ad vxores, vt patet in textu.

R. quòd carnalis copula non impedit habitualem coniunctionem ad Deum, ſicut mortalia faciunt, ſed actualem quæ eſt per contemplationem: ſicut etiam faciunt multæ occupationes, quæ non ſunt peccata. *Lib. 4. ſentent. ad Annibald. Diſt. 26. art. 4. ad tertium.*

EXODI Cap. 19. v. 21.

Conteſtare populum, ne fortè velit tranſcendere propoſitos terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.

Arguitur, illicitum videtur eſſe quòd homo tranſgrediatur terminos à Deo præfixos, præcipuè in his quæ pertinent ad cultum diuinum, vt patet in textu: ſed à Deo præfixus eſt nobis terminus orandi per inſtitutionem orationis dominicæ, vt patet; ergo non licet vltra orationem protendere. *Matth. 6. v. 9.*

R. quòd Dominus non inſtituit hanc orationem, vt his ſolis verbis vti debeamus in orando: ſed quia ad hæc ſola impetranda debet tendere noſtræ orationis intentio, qualitercumque ea proferamus, vel cogitemus. 22. *q.* 83. *art.* 14. *ad* 3.

Idem locus explicatur infra *Pſal. 26. v. 4.* Ex eo quod vita contemplatiua eſt potior quàm actiua. *Ex 22. q. 182. art. 1.*

EXODI. Cap. XX. *v.* 2.

Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.

Videtur quòd inconuenienter præcepta decalogi enumerentur; nam peccata diſtinguuntur per hoc quòd homo peccat vel in Deum, vel in proximum, vel in ſeipſum: cùm igitur in præceptis decalogi non ponantur aliqua præcepta ordinantia hominem ad ſeipſum, ſed ſolùm ordinantia ipſum ad Deum & proximum; videtur quòd inſufficies ſit enumeratio præceptorum decalogi.

2. Sicut homo naturalem dilectionem habet ad parentes, ita etiam ad filios; mandatum etiam charitatis ad omnes proximos extenditur: ſed præcepta decalogi ordinantur ad charitatem, ſecundùm illud, *finis præcepti charitas eſt*; ergo ſicut ponitur quoddam præceptum pertinens ad parentes, ita etiam debuerunt poni aliqua præcepta pertinentia ad filios, & alios proximos.

1. Tim. 1. v. 5.

3. Sicut contingit peccatum prouenire ex inordinatione concupiſcibilis, ita etiam ex inordinatione iraſcibilis: ſed quibuſdam præceptis prohibetur inordinata concupiſcentia, cùm dicitur *non concupiſces*; ergo etiam aliqua præcepta in decalogo debuerunt poni, per quæ prohiberetur inordinatio iraſcibilis.

Dicendum quòd ſicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad quandam communitatem humanam, ita præcepta legis diuinæ ordinant hominem ad quandam communitatem ſeu rempublicam hominum ſub Deo. Ad hoc autem quòd aliquis in aliqua communitate bene commoretur, duo requiruntur, quorum primum eſt vt bene ſe habeat ad eum qui præeſt communitati: Aliud autem eſt, vt homo bene ſe habeat ad alios communitatis conſocios & comparticipes.

Oportet igitur quòd in lege diuina primò ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum: & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos ſimul conuenientes ſub Deo.

Principi autem communitatis tria debet homo, primò fidelitatem, ſecundò reuerentiam, tertiò famulatum. Fidelitas quidem ad Dominum in hoc cōſiſtit, vt honorem principatus ad alium non deferat; & quantùm ad hoc accipitur primum præceptum, cùm dicitur, *Non habebis deos alienos*. Reuerentia autem ad Dominum requiritur, vt nihil iniurioſum in eum committatur; & quantùm ad hoc accipitur ſecundum præceptum, quod eſt, *non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Famulatus autem debetur Domino in recompenſationem beneficiorum quæ ab ipſo percipiunt ſubditi; & ad hoc pertinet tertium præceptum de ſanctificatione ſabbati, in memoriam creationis rerum.

Ad proximos autem aliquis bene ſe habet & ſpecialiter & generaliter. Specialiter quidem quantùm ad illos quorum eſt debitor, vt eis debitum reddat: & quantùm ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum. Generaliter autem quantùm ad omnes, vt nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoque quidem in propriam perſonam, quantùm ad conſiſtentiam perſonæ: & hoc prohibetur per hoc quod dicitur, *non occides*. Quandoque autem in perſonam coniunctam quantùm ad propagationem prolis: & hoc prohibetur cùm dicitur, *non Mœchaberis*. Quandoque autem in rem poſſeſſam quæ ordinatur ad vtrumque: & quantùm ad hoc dicitur *Non furtum facies*.

Nocumentum autem oris prohibetur cùm dicitur, *non loqueris contra proximum tuum falſum teſti-*

Digitized by Google

monium. Nocumentum autem cordis prohibetur cùm dicitur, *Non concupiſces.*

Et ſecundùm hanc etiam differentiam poſſent diſtingui tria præcepta ordinantia in Deum, quorum primum pertinet ad opus, *non facies ſcuptile* : ſecundùm ad os, *non aſſumes nomen Dei in vanum* : Tertium pertinet ad cor, quia in ſanctificatione ſabbati, ſecundùm quod eſt morale præceptum, præcipitur quies cordis in Deum.

Ad 1. R. dupliciter, primò quidem quia præcepta decalogi referuntur ad præcepta dilectionis. Fuit autem dandum præceptũ homini de dilectione Dei & proximi; quia quantùm ad hoc lex naturalis obſcurata erat propter peccatum, non autem quantùm ad dilectionem ſui ipſius; quia quantùm ad hoc lex naturalis vigebat. Vel quia etiam dilectio ſui ipſius includitur in dilectione Dei & proximi. In hoc enim homo verè ſe diligit quòd ſe ordinat in Deum: & ideò in præceptis decalogi ponuntur ſolùm præcepta pertinentia ad proximum & ad Deum.

Aliter poteſt dici, quòd præcepta decalogi ſunt illa quæ immediatè populus recipit à Deo. Vnde oportet præcepta decalogi talia eſſe, quæ ſtatim in mente populi cadere poſſunt: Præceptum autem habet rationem debiti. Quòd autem homo ex neceſſitate debeat aliquid Deo vel proximo, hoc de facili cadit in conceptione hominis, & præcipuè fidelis. Sed quòd aliquid ex neceſſitate ſit debitum homini de his quæ pertinent ad ſeipſum, & non ad alium; hoc non ita in promptu apparet: Videtur enim primo aſpectu quòd quilibet ſit liber in his quæ ad ipſum pertinent, & ideo præcepta quibus prohibentur inordinationes hominis ad ſeipſum perueniunt ad populum mediante inſtructione ſapientum; vnde non pertinent ad decalogum.

Ad 2. R. quòd ſtatim ratio naturalis homini dictat quòd nulli iniuriam faciat: & ideo præcepta decalogi prohibentia nocumentum, extendunt ſe ad omnes. Sed ratio naturalis non ſtatim dictat quòd aliquid ſit pro alio faciendum, niſi cui homo aliquid debet. Debitum autem filii ad patrem adeò eſt manifeſtum, quòd nullâ tergiuerſatione poteſt negari; eo quòd pater eſt principium generationis & eſſe, & inſuper educationis & doctrinæ: & ideo non ponitur ſub præcepto decalogi, vt aliquod beneficium vel obſequium alicui impendatur niſi parentibus.

Parentes autem non videntur eſſe debitores filiis propter aliqua beneficia ſuſcepta, ſed potiùs è conuerſo. Filius etiam eſt aliquid patris, & patres amant filios vt aliquid ipſorum, Vnde eiſdem rationibus non ponuntur aliqua præcepta decalogi pertinentia ad amorem filiorum: ſicut neque etiam aliqua ordinantia hominem ad ſeipſum.

Ad 3. R. quòd omnes paſſiones iraſcibilis deriuantur à paſſionibus concupiſcibilis: & ideo in præceptis decalogi, quæ ſunt quaſi prima elementa legis, non erat mentio facienda de paſſionibus iraſcibilis, ſed ſolùm de paſſionibus concupiſcibilis. 12. *q.* 100. *art.* 5. *V. Lib.* 3. *ſent. diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 2. *q* 2.

Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.

Videtur quòd in veteri lege dari debuerint præcepta credendi; præceptum enim eſt de eo quod eſt debitum & neceſſarium: ſed maximè neceſſarium eſt homini quòd cre-
Hebr 11. v. 6. dat, ſecundùm illud, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ergo maximè oportuit præcepta dari de fide.

2. Nouum Teſtamentum continetur in veteri, ſicut figurarum in figura: ſed in nouo Teſtamento ponuntur expreſſa mandata de fide, vt
Ioan. 14. v. 1. patet; *Creditis in Deum, & in me credite*, ergo.

3. Eiuſdem rationis eſt præcipere actum virtutis & prohibere vitia oppoſita: ſed in veteri lege ponuntur multa præcepta prohibentia in-
Exod. 20. v. 3. fidelitatem; ſicut *Non habebis deos alienos coram me*. Et iterum, man-
Deut. 13. v. 3. datur quòd *non audiant verba prophetæ, aut ſomniatoris*, qui eos à fide Dei vellet auertere; ergo in veteri lege etiam debuerunt præcepta dari de fide.

4. Confeſſio eſt actus fidei: ſed de confeſſione & promulgatione fidei dantur præcepta in veteri lege,
Ex. 12. v. 26. Deut. 13. v. 5. mandatur enim quòd *Filijs ſuis interrogantibus, rationem aſſignent paſchalis obſeruantiæ*. Et, quòd ille qui diſſeminat doctrinam contra fidem, occidatur, ergo lex vetus præcepta fidei debuit habere.

Eccli 2. v. 8. 5. Dicitur, qui timetis Dominum credite illi; ergo in veteri lege fuerunt præcepta danda de fide.

Dicendum quòd lex non imponitur ab aliquo Domino niſi ſuis ſubditis: & ideo præcepta legis præſupponunt ſubiectionem cuiuſlibet recipientis legem ad eum qui dat legem. Prima autem ſubiectio ho-
Hebr. 11. v. 6. minis ad Deum, eſt per fidem, ſecundùm illud, accedentem ad Deum oportet credere quia eſt: & ideo fides præſupponitur ad legis præcepta. Et propter hoc id quod eſt fidei, præmittitur ante legis præcepta, cùm dicitur, *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*. Similiter præmittitur, Deut. 6. v. 4.
Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt. Et poſtea ſtatim incipit agere de præceptis.

Sed quia in fide multa continentur ordinata ad fidem, qua credimus Deum eſſe, quod eſt primum & principale inter omnia credibilia: ideo præſuppoſitâ fide de Deo, per quam mens humana Deo ſubiiciatur, poſſunt dari præcepta de aliis credendis. Sed in veteri lege, non erant ſecreta fidei populo exponenda: & ideo ſuppoſitâ fide vnius Dei, nulla alia præcepta ſunt in veteri lege data de fide.

Ad 1. R. quòd fides eſt neceſſaria tanquam principium ſpiritualis vitæ, & ideo præſupponitur ad legis ſuſceptionem.

Ad 2. R. quòd ibi etiam Dominus præſupponit aliquid de fide, ſcilicet fidem vnius Dei, cùm dicit, *Creditis in Deum*, & aliquid præcipit, ſcilicet fidem incarnationis, per quam vnus eſt Deus & homo: Quæ quidem fidei explicatio pertinet ad fidem noui Teſtamenti: & ideo ſubdit, *In me credite*.

Ad 3. R. quòd præcepta prohibitiua reſpiciunt peccata, quæ corrumpunt virtutem. Virtus autem corrumpitur ex particularibus defectibus: & ideo præſuppoſitâ fide vnius Dei, in lege veteri fuerunt danda prohibitiua præcepta, quibus homines prohiberentur ab his particularibus defectibus, per quos fides corrumpi poſſet.

Digitized by Google

Ad 4. R. quòd etiam confeſſio vel doctrina fidei præſupponit ſubiectionem hominis ad Deum per fidem. Et ideo magis potuerunt dari præcepta in veteri lege pertinentia ad confeſſionem vel doctrinam fidei, quàm pertinentia ad ipſam fidem.

Ad 5. R. quòd in illa etiam auctoritate præſupponitur fides per quam credimus Deum eſſe. Vnde præmittit, *Qui timetis Dominum*, quod non poſſet eſſe ſine fide. Quod autem addit, *credite illi*; ad quædam credibilia ſpecialia referendum eſt; & præcipuè ad illa quæ promittit Deus ſibi obedientibus. Vnde ſubdit, *Et non euacuabitur merces veſtra*. 22. *q*. 16. *art*. 1.

Ego ſum Dominus. Videtur quod præcepta decalogi non ſint præcepta iuſtitiæ; intentio enim legiſlatoris eſt ciues facere virtuoſos, ſecundùm omnem virtutem; lex enim præcipit de omnibus actibus virtutum omnium: ſed præcepta decalogi ſunt prima principia totius diuinæ legis; ergo non pertinent ad ſolam iuſtitiam.

2. Ad iuſtitiam videntur pertinere præcipuè præcepta iudicialia, quæ contra moralia diuiduntur: ſed præcepta decalogi ſunt præcepta moralia; ergo non ſunt præcepta iuſtitiæ.

3. Lex præcipuè tradit præcepta de actibus iuſtitiæ pertinentibus ad bonum commune, putà de officiis publicis, & aliis huiuſmodi: ſed de his non fit mentio in præceptis decalogi; ergo videtur quòd præcepta decalogi non pertineant propriè ad iuſtitiam.

4. Præcepta decalogi diſtinguuntur in duas tabulas, ſecundùm dilectionem Dei & proximi, quæ pertinent ad virtutem charitatis; ergo præcepta decalogi magis pertinent ad charitatem quàm ad iuſtitiam.

Dicendum quòd præcepta decalogi ſunt prima principia legis, & quibus ſtatim ratio naturalis aſſentit, ſicut manifeſtiſſimis principiis. Manifeſtiſſimè autem ratio debiti (quæ requiritur ad præceptum) apparet in iuſtitia, quæ eſt ad alterum; quia in his quæ ſunt ad ſe ipſum, videtur primo aſpectu quòd homo ſit ſui Dominus, & quòd liceat ei facere quodlibet. Sed in his quæ ſunt ad alterum, manifeſtè apparet quòd homo eſt alteri obligatus ad reddendum ei quod debet.

Et ideo præcepta decalogi oportuit ad iuſtitiam pertinere. Vnde tria prima præcepta ſunt de actibus religionis, quæ eſt potiſſima pars iuſtitiæ. Quartum autem præceptum eſt de actibus pietatis, quæ eſt pars iuſtitiæ ſecunda. Alia verò ſex dantur de actibus iuſtitiæ communiter dictæ, quæ inter æquales attenditur.

Ad 1. R. quòd lex intendit omnes homines facere virtuoſos: ſed ordine quodam, vt ſcilicet priùs tradat eis præcepta de his in quibus eſt manifeſtior ratio debiti.

Ad 2. R. quòd iudicialia præcepta ſunt quædam determinationes moralium præceptorum prout ordinantur ad proximum; ſicut & cæremonialia ſunt quædam determinationes præceptorum moralium, prout ordinantur ad Deum. Vnde neutra præcepta continentur in decalogo: ſunt tamen determinationes præceptorum decalogi, & ſic ad iuſtitiam pertinent.

Digitized by Google

Ad 3. R. quòd ea quæ pertinent ad bonum commune, oportet diuerſimodè diſpenſari, ſecundùm hominum diuerſitatem; & ideo non fuerunt ponenda inter iudicialia.

Ad 4. R. quòd præcepta decalogi pertinent ad charitatem ſicut ad finem, ſecundùm illud, *finis præcepti eſt charitas.* Sed ad iuſtitiam pertinent, inquantum immediatè ſunt de actibus iuſtitiæ. 22. *quæſt.* 122. *art.* 1.

1. Tim. v. 5.

Ego ſum Dominus. Non omnis ignorantia habet rationem culpæ: ignorare enim ea quæ quis nō tenetur ſcire abſque culpa eſt: ſed ignorantia illa qua quis ignorat ea quæ tenetur ſcire, non eſt abſque peccato. Tenetur autem ſcire quilibet ea quibus dirigatur in propriis actibus. Vnde omnis homo tenetur ſcire ea, quæ fidei ſunt, quia fides intentionem dirigit.

Et tenetur ſcire præcepta decalogi, per quæ poteſt peccara vitare, & bonum facere. Vnde & coram omni populo ſunt diuinitus promulgata. Secretiora autem legis Moyſes & Aaron à Domino audierunt. *In quæſt. diſp. quæſt.* 3. *de malo art.* 7.

Ego ſum Dominus. Videtur quòd præcepta decalogi inconuenienter tradantur; præcepta enim affirmatiua ordinant ad actus virtutum: præcepta autem negatiua abſtrahunt ab actibus vitiorum: ſed circa quamlibet materiam opponuntur ſibi virtutes & vitia; ergo in qualibet materia de qua ordinat præceptum decalogi, debuit poni præceptum affirmatiuum & negatiuum. Inconuenienter igitur ponuntur quædam affirmatiua, & quædam negatiua.

2. Per obſeruationem præceptorum meretur aliquis præmia à Deo: ſed diuinæ promiſſiones ſunt de præmiis præceptorum; ergo promiſſio debuit poni in omnibus præceptis, & non ſolùm in primo & quarto.

3. Lex vetus dicitur lex timoris, inquantum per comminationes pœnarum inducebat ad obſeruationes præceptorum: ſed omnia præcepta decalogi pertinent ad legem veterem: ergo in omnibus debuit poni comminatio pœnæ, & non ſolùm in primo & ſecundo.

Ad 1. R. quod ſemper affirmationem ſequitur negatio oppoſiti: non autem ſemper ad negationem vnius oppoſiti, ſequitur affirmatio alterius: ſequitur enim, ſi eſt album, non eſt nigrum; non tamen ſequitur, ſi non eſt nigrum, ergo eſt album; quia ad plura ſeſe extendit negatio, quàm affirmatio.

Et inde eſt etiam, quòd non eſſe faciendam iniuriam (quod pertinet ad præcepta negatiua) ad plures perſonas ſe extendit ſecundùm primum dictamen rationis, quàm eſſe debitum, vt alteri obſequium vel beneficium impendatur. Ineſt autem primo dictamen rationis quòd homo eſt debitor beneficii, vel obſequii exhibendi illis à quibus beneficia accepit, ſi nondum recompenſauit.

Duo ſunt autem quorum beneficiis ſufficienter nullus recompenſare poteſt, ſcilicet Deus & pater. Et ideo ſola duo præcepta affirmatiua ponuntur, vnum de honoratione parentum, aliud de celebratione ſabbati in commemoratio-

Digitized by Google

nem diuini beneficii.

Ad 2. R. quòd homines vt plurimùm actus ſuos ad aliquam vtilitatem ordinant: & ideo in illis præceptis neceſſe fuit promiſſionem præmii apponere; vel ex quibus videbatur nulla vtilitas ſequi, vel aliqua vtilitas impediri; quia verò parentes ſunt iam in recedendo, ab eis non expectatur vtilitas; & ideo præcepto de honore parentum additur promiſſio.

Similiter etiam in præcepto de prohibitione idololatriæ, quia per hoc videbatur impediri apparens vtilitas, quam homines credunt ſe poſſe conſequi per pactum cum dæmonibus initum.

Ad 3. R. quòd pœnæ præcipuè neceſſariæ ſunt contra illos qui ſunt proni ad malum: & ideo illis ſolis præceptis legis additur comminatio pœnarum, in quibus erat pronitas ad malum. Erant autem homines proni ad idololatriam propter generalem conſuetudinem gentium. Et ſimiliter ſunt etiam homines proni ad periurium propter frequentiam iuramenti. Et ideo primis duobus præceptis adiungitur comminatio. 12. *q.* 100. *art.* 7. *V. Lib.* 3. *ſent. Diſt.* 37. *art.* 2.

Exodi Cap. 20. *v.* 3.

Non habebis Deos alienos coram me.

Deus non eſt niſi vnus, non enim poſſibile eſt eſſe duo ſummè bona: Quod enim per ſuperabundantiam dicitur, in vno tantùm inuenitur: Deus autem eſt ſummum bonum; Deus igitur eſt vnus.

Item Deus omnino perfectus eſt, cui nulla perfectio deeſt: ſi igitur ſunt plures dii, oportet eſſe plura huiuſmodi perfecta: hoc autem eſt impoſſibile; nam ſi nulli eorum deeſt aliqua perfectio, neque aliqua imperfectio ei admiſcetur; quod requiritur ad hoc quòd aliquid ſit ſimpliciter perfectum; non erit in quo ab inuicem diſtinguantur; impoſſibile eſt igitur plures Deos ponere. Hoc autem patet in textu. Et, *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Contra Gentiles Lib.* 1. *cap.* 42. *V.* 1. *p. quæſt.* 11. *art.* 3. Deut. 6. v. 4.

Non habebis Deos. Latriæ cultus ſoli vni ſummo Deo debetur. Vnde *Qui immolat dijs, occidetur, præter Domino ſoli.* Et, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Quia ergo indebitum eſt quòd latriæ cultus alteri exhibeatur quàm primo rerum principio; ad indebita autem incitare non eſt niſi rationalis creaturæ malè diſpoſitæ: manifeſtum eſt quòd ad indebitas culturas inſtinctu dæmonum homines prouocati fuerunt, qui ſe etiam loco Dei hominibus colendos exhibuerunt, diuinum appetentes honorem. Hinc eſt quòd dicitur, *Omnes dij gentium dæmonia.* Et, *Quæ immolant gentes dæmonijs & non Deo.* Ex. 22. v. 20. Deut. 6. v. 13. Pſ. 95. v. 5. 1. Cor. 10. v. 20.

Quia igitur eſt principalis legis diuinæ intentio, vt homo Deo ſubdatur, & ei ſingularem reuerentiam exhibeat; non ſolùm corde, ſed etiam ore & opere corporali. Ideo primitus vbi lex diuina proponitur, interdicitur cultus plurium Deorum, vt patet in textu. Secundò indicitur homini ne irreuerenter diuinum nomen ore pronuntiet, ad confirmationem ſcilicet alicuius falſi, & hoc eſt quod dicitur, *Non*

Digitized by Google

aſſumes nomen Dei in vanum. Tertiò indicitur requies ſecundùm aliquod tempus ab exterioribus exercitiis, vt mens diuinæ contemplationi vacet: ideo dicitur, *Memento vt diem ſabbati ſanctifices Contra Gentiles lib. 3. cap. 120.*

Non habebis Deos. Videtur quòd primum præceptum decalogi inconuenienter tradatur; magis enim homo eſt obligatus Deo quàm patri carnali: ſed præceptum pietatis, qua honoratur pater, ponitur affirmatiuè cùm dicitur, *honora patrem, &c.* Ergo multò magis primum præceptum religionis, quia honoratur Deus, debuit proponi affirmatiuè; præſertim cùm affirmatio naturaliter ſit prior negatione.

2. Primum præceptum decalogi ad religionem pertinet: ſed religio cùm ſit vna virtus, habet vnum actum: in primo autem præcepto prohibentur tres actus. Nam primò dicitur, *non habebis Deos, &c.* Secundò dicitur, *non facies tibi ſculptile.* Tertiò verò, *non adorabis ea, neque coles*; ergo inconuenienter traditur primum præceptum.

Dicendum quòd ad legem pertinet facere homines bonos; & ideo oportet præcepta legis ordinari ſecundùm ordinem generationis, qua ſcilicet fit homo bonus. In ordine autem generationis duo ſunt attendenda, quorum primum eſt quòd prima pars primò conſtituitur: ſicut in generatione animalis primò generatur cor, & in domo primò ponitur fundamentum. Et in bonitate animæ, prima pars eſt bonitas voluntatis, ex qua aliquis homo bene vtitur qualibet aliâ bonitate. Bonitas autem voluntatis attenditur ad obiectum ſuum, quod eſt finis. Et ideo, in eo qui erat per legem inſtituendus ad virtutem, primò oportuit quaſi iacere quoddam fundamentum religionis, per quam homo debitè ordinatur in Deum, qui eſt vltimus finis humanæ voluntatis.

Secundò attendendum eſt in ordine generationis, quòd primò contraria & impedimenta tolluntur: ſicut agricola primò purgat agrum, & poſtea proiicit ſemina. Et ideo circa religionem primò homo erat inſtituendus, vt impedimenta veræ religionis excluderet. Præcipuum autem impedimentum religionis eſt, quòd homo falſo Deo inhæreat, ſecundùm illud, *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ*; & *Matth. 6. v. 24.* ideo in primo præcepto legis excluditur cultus falſorum deorum.

Ad 1 R. quòd etiam circa religionem ponitur vnum præceptum affirmatiuum, ſcilicet *memento vt diem ſabbati ſanctificies.* Sed erant præmittenda præcepta negatiua, quibus impedimenta religionis tollerentur. Quamuis enim affirmatio naturaliter ſit prior negatione, tamen in via generationis, negatio qua remouentur impedimenta, eſt prior: & præcipuè in rebus diuinis, in quibus negationes præferuntur affirmationibus, propter inſufficientiam noſtram.

Ad 2. R. quòd cultus alienorum deorum dupliciter apud aliquos obſeruatur. Quidam enim quaſdam creaturas pro diis colebant, abſque inſtitutione imaginum. Et hic cultus prohibetur, cùm dicitur *non habebis deos alienos.* Apud alios autem erat cultus falſorum Deorum ſub quibuſdam imaginibus; & hic cultus prohibetur, cùm dicitur,

Digitized by Google

citur, non facies tibi ſculptile. Et ipſarum imaginum cultus, cùm dicitur, *non coles ea &c. 22. quæſt. 122. art. 2.*

EXODI Cap. 20. v. 4.

Non facies tibi ſculptile.

VIdetur quòd nec imaginibus Chriſti, cultus ſit exhibendus latriæ; quia omne ſculptile prohibetur in textu.

2. Irridentur in ſcripturis idololatræ quia opera manuum ſuarum adorauerunt, quibus ipſi facientes meliores erant: ſed ſimiliter imagines quas Eccleſia adorat, ſunt opera manuum hominum; ergo videtur in ſimilem deriſionem incidere.

3. In cultu diuino non ſunt exhibenda niſi ea quæ per legem Dei determinantur: ſed non inuenitur in ſacris ſcripturis inſtitutum de imaginum adoratione; ergo videtur nimis præſumptuoſum fuiſſe imaginum adorationem inducere.

Imago Chriſti adorãda.

Dicendum quòd imago poteſt dupliciter conſiderari, vel ſecundùm quod eſt res quædam, & ſic nullus honor ei debetur (ſicut nec alii lapidi vel ligno) vel ſecundùm quod eſt imago. Et quia idem motus eſt in imaginem, inquantum eſt imago, & in imaginatum; ideo vnus honor debetur imagini; & ei cuius eſt imago; & ideo cùm Chriſtus adoretur latriâ, ſimiliter & eius imago.

Ad 1. R. quòd ante incarnationem Chriſti, cùm Deus incorporeus eſſet, non poterat ei imago poni, ſicut dicitur. Et ideo prohibitum eſt in veteri lege, ne imagines fierent ad adorandum, & præcipuè quia proni erant ad idololatriam, ex hoc quòd totus mundus idololatriæ inſiſtebat. Sed poſtquam Deus factus eſt homo, poteſt habere imaginem, cùm habeat (ratione humanitatis aſſumptæ, quæ ſimul cum eo adoratur) figuram corporalem, & ideo permiſſum eſt in noua lege imagines fieri.

Eſai. 40. v. 18

Ad 2. R. quòd idololatræ credebant in ipſis imaginibus aliquod numen eſſe: vnde deſeruiebant imaginibus, non ſolùm vt imaginibus, ſed vt rebus. Et præterea non ſolùm vt imaginibus Dei, ſed vt imaginibus creaturarum, ſolis aut lunæ. Vnde patet quod non eſt ſimile.

Ad 3. R. quòd Apoſtoli multa tradiderunt, quæ ſcripta non ſunt in canone; inter quæ vnum eſt de vſu imaginum. Vnde Lucas depinxit imaginem Chriſti, & B. Virginis. Et Chriſtus ſuam imaginem Abagaro regi direxit.

Imaginum inſtitutio in eccleſia ratio triplex.

Fuit autem triplex ratio inſtitutionis imaginum in eccleſia. Primò, ad inſtructionem rudium, qui eis quaſi quibuſdam libris edocentur. Secundò, vt incarnationis myſterium, & ſanctorum exempla magis in memoria eſſent, dum quotidie oculis repræſentantur. Tertiò, ad excitandum deuotionis affectum, qui ex viſis efficaciùs incitatur quàm ex auditis *Lib. 3. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 2. ſimile 3. p. q. 25. art. 3.*

Non facies ſculptile. Arguitur, omnia præcepta decalogi pertinent ad legem diuinam; ergo in omnibus debuit ratio aſſignari, & non ſolùm in primo & tertio præcepto.

R. quòd illa præcepta quæ ſunt purè moralia, habent manifeſtam

rationem. Vnde non oportuit quòd in eis aliqua ratio adderetur. Sed quibuſdam præceptis additur cæremoniale determinatiuum præcepti moralis communis; ſicut in primo præcepto, *Non facias ſculptile.* Et in tertio præcepto determinatur dies ſabbati: & ideo vtrobique oportuit rationem aſſignari. 12. *q.* 100. *art.* 7. *ad ſecundum.*

Non facies tibi ſculptile. Inconuenienter igitur in tabernaculo vel in templo fuerunt ſculptæ imagines Cherubim; ſimiliter etiam & arca, & propitiatorium, & candelabrum & menſa, & duplex altare ſine rationabili cauſa ibi fuiſſe videntur.

R quòd eorum quæ in tabernaculo continebantur ratio reddi poteſt & literalis & figuralis. Literalis quidem per relationem ad cultum diuinum Et quia per tabernaculum interius, quod dicebatur Sancta Sanctorum, ſignificabatur ſeculum altius ſpiritualium ſubſtantiarum: ideo in illo tabernaculo tria continebantur, ſcilicet arca teſtamenti, in qua erat vrna aurea habens manna; & virga Aaron quæ fronduerat; & tabulæ in quibus erant ſcripta decem præcepta legis.

Hæc autem arca ſita erat inter duos Cherubim, qui ſe mutuis vultibus reſpiciebant; & ſuper arcam erat quædam tabula (lapidea) quæ dicebatur propitiatorium ſuper alas Cherubim, quaſi ab ipſis Cherubim portaretur; ac ſi imaginaretur quòd illa tabula eſſet ſedes Dei: Vnde & propitiatorium dicebatur, quaſi ex inde populo propitiaretur ad preces ſummi ſacerdotis: & ideo quaſi portabatur à Cherubim, quaſi Deo obſequentibus. Arca verò teſtamenti erat tanquam ſcabellum ſedentis ſupra propitiatorium.

Non eſt in manuſcripto S. Vict. nec in noſtris.

Per hæc autem tria deſignantur tria quæ ſunt in illo altiori ſeculo, ſcilicet Deus qui ſuper omnia eſt, & incomprehenſibilis omni creaturæ. Et propter hoc nulla ſimilitudo eius ponebatur ad repræſentandam eius inuiſibilitatem; ſed ponebatur quędam figura ſedis eius, quia ſcilicet creatura comprehenſibilis eſt, quæ eſt ſubiecta Deo, ſicut ſedes ſedenti.

Sunt etiam in illo altiori ſeculo ſpirituales ſubſtantiæ, quæ Angeli dicuntur: & hi ſignificantur per duos Cherubim mutuò ſe reſpicientes, ad deſignandam concordiam eorum ad inuicem, ſecundùm illud, *qui facit concordiam in ſublimibus.* Et propter hoc etiam non fuit vnus tantùm Cherubim, vt deſignaretur multitudo cœleſtium ſpirituum, & excluderetur cultus eorum, ab his quibus præceptum erat, vt ſolùm vnum Deum colerent.

Iob. 25. v. 2.

Sunt etiam in illo intelligibili ſeculo, rationes omnium eorum quæ in hoc ſeculo perficiuntur, quodammodo clauſæ: ſicut rationes effectuum clauduntur in ſuis cauſis; & rationes artificiatorum in artifice. Et hoc ſignificabatur per arcam, in qua repræſentabantur per tria ibi contenta, tria quæ ſunt potiſſima in rebus humanis, ſcilicet ſapientia quæ repræſentabatur per tabulas Teſtamenti; poteſtas regiminis, quæ repræſentabatur per virgam Aaron; vita, quæ repręſentabatur per manna, quod fuit ſuſtentamentum vitæ.

Vel per hæc tria ſignificabantur tria Dei attributa, ſcilicet ſapientia

in tabulis, potentia in virga, bonitas in manna; tum propter dulcedinem; tum quia ex Dei miſericordia eſt populo ſuo datum. Et ideo in memoriam diuinæ miſericordiæ conſeruabatur.

Et hæc tria etjam figurata ſunt in viſione Eſaię, *vidit* enim *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum*, & Seraphim aſſiſtentes, & domum impleri à gloria Dei: Vnde & Seraphim dicebant, *plena eſt omnis terra gloriâ eius*. Et ſic ſimilitudines Seraphim non ponebantur ad cultum, quod prohibebatur primo legis pręcepto, ſed in ſignum miniſterii. *Eſai. 6. v. 1.*

In exteriori verò tabernaculo, quod ſignificabat pręſens ſeculum, continebantur etiam tria, ſcilicet altare thymiamatis, quod directè erat contra arcam: Menſa autem propoſitionis, ſuper quam 12. panes apponebantur, erat poſita ex parte aquilonari; candelabrum verò ex parte auſtrali. Quæ tria videntur reſpondere tribus, quæ erant in arca clauſa: ſed magis manifeſtè eadem repræſentabant; oportet enim rationes rerum ad manifeſtiorem demonſtrationem perduci, quàm ſint in mente diuina & Angelorum, ad hoc quòd homines ſapientes eas cognoſcere poſſint: Qui ſignificantur per ſacerdotes ingredientes tabernaculum.

In cãdelabro igitur deſignabatur, ſicut in ſigno ſenſibili, ſapientia; quæ intelligibilibus verbis exprimebatur in talibus. Per altare verò thymiamatis ſignificabatur officium ſacerdotum, quorum erat populum ad Deum reducere. Et hoc etiam ſignificabatur per virgam; nam in illo altari incendebatur thymiama boni odoris; per quod ſignificabatur ſanctitas populi acceptabilis Deo Dicitur enim quod per fumum aromatum ſignificantur iuſtificationes ſanctorum. *Apo. 8. v. 4.*

Conuenienter autem ſacerdotalis dignitas in arca ſignificabatur per virgam, in exteriori verò tabernaculo per altare thymiamatis; quia ſacerdos mediator eſt inter Deum & populum, regens populum per poteſtatem diuinam, quam virga ſignificat, & fructum ſui regiminis, ſcilicet ſanctitatem populi, Deo offert, quaſi in altari thymiamatis.

Per menſam autem ſignificatur temporale nutrimentum vitæ, ſicut & per manna: ſed hoc eſt communius & groſſius nutrimentum, illud autem ſuauius & ſubtilius. Conuenienter autem candelabrum ponebatur ex parte auſtrali; menſa autem ex parte æquilonari; quia auſtralis pars eſt dextera pars mundi, aquilonaris autem ſiniſtra. Sapientia autem pertinet ad dextram, ſicut & cætera ſpiritualia bona: Temporale autem nutrimentum ad ſiniſtram. Poteſtas autem ſacerdotalis media eſt inter temporalia & ſpiritualem ſapientiam; quia per eam & ſpiritualis ſapientia, & temporalia diſpenſantur.

Poteſt autem & horum alia ratio aſſignari magis literalis: in arca enim continebantur tabulæ legis, ad tollendam legis obliuionem. Vnde dicitur, *dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ ſcripſi, vt doceas filios Iſrael*. Virga verò Aaron ponebatur ibi ad comprimendam diſſenſionem populi de ſacerdotio Aaron. Vnde dicitur, *Refer virgam Aaron in tabernaculum* *Ex. 24. v. 12.* *Num. 17. v. 10*

teſtimonij, vt reſeruetur in ſignum rebellium filiorum Iſrael. Manna autem conſeruabatur in arca ad commemorandum beneficium quod Dominus præſtitit filiis Iſraël in deſerto.

Candelabrum verò erat inſtitutum ad honorificentiam tabernaculi; pertinet enim ad magnificentiam domus quòd ſit bene luminoſa. Habebat autem candelabrum 7. calamos, ad ſignificandum 7. planetas, quibus totus mundus illuminatur. Et ideo ponebatur candelabrum ex parte auſtrali; quia ex illa parte eſt nobis planetarum curſus.

Altare verò thymiamatis erat inſtitutum, vt iugiter in tabernaculo eſſet fumus boni odoris; tum propter venerationem tabernaculi, tum etiam in remedium fœtoris quem oportebat accidere ex effuſione ſanguinis & occiſione animalium. Ea enim quæ ſunt fœtida, deſpiciuntur quaſi vilia: Quæ verò ſunt boni odoris homines magis appretiantur.

Menſa autem apponebatur ad ſignificandum quòd ſacerdotes templo ſeruiẽtes, in templo victum habere debebant. Vnde 12. panes ſuperpoſitos menſæ, in memoriam 12. tribuum, ſolis ſacerdotibus edere licitum erat, vt dicitur. Menſa autem non ponebatur directè in medio ante propitiatorium, ad excludendum ritum idololatriæ: nam gentiles in ſacris lunę, ponebant menſam coram idolo lunæ; vnde dicitur, *Mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli.*

Matth. 12. v. 4

Hier. 7. v. 18.

In atrio verò extra tabernaculum continebatur altare holocauſtorum, in quo offerebantur Deo ſacrificia de his quæ erant à populo poſſeſſa: & ideo in atrio poterat eſſe populus, qui huiuſmodi Deo offerebat per manus ſacerdotum: ſed ad interius altare, in quo ipſa deuotio & ſanctitas populi offerebatur, non poterant accedere niſi ſacerdotes; quorum erat Deo offerre populum. Eſt autem hoc altare extra tabernaculum in atrio conſtitutum, ad remouendum cultum idololatrię: nam gentiles intra templa, altaria conſtituebant ad immolandum idolis.

Figuralis verò ratio omnium horum aſſignari poteſt ex relatione tabernaculi ad Chriſtum, qui figurabatur. Eſt autem conſiderandum quòd ad deſignandam imperfectionem legalium figurarum, diuerſæ figuræ fuerunt inſtitutę in templo ad ſignificandum Chriſtum. Ipſe enim ſignificatur per propitiatorium; quia *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Et conuenienter hoc propitiatorium à Cherubim portabatur; quia de eo ſcriptum eſt, *adorent eum omnes Angeli Dei.* Ipſe etiam ſignificatur per arcam; quia ſicut arca erat constructa de lignis ſethim, ita corpus Chriſti de membris puriſſimis conſtabat. Erat autem deaurata: quia Chriſtus fuit plenus ſapientiâ & charitate, quæ per aurum ſignificatur. Intra arcam autem erat vrna aurea, id eſt, Sancta anima habens manna, id eſt, omnem plenitudinem ſanctitatis & diuinitatis. Erat etiam in arca virga, id eſt, poteſtas ſacerdotalis, quia ipſe eſt factus ſacerdos in æternum. Erant etiam ibi tabulæ Teſtamenti ad deſignandum, quòd ipſe Chriſtus eſt legis dator.

1. Ioan. 2. v. 2.

Hebr. 1. v. 6.

Ipſe etiam Chriſtus ſignificatur

Digitized by Google

Ioan. 8. v. 12. per candelabrum ; quia ipſe dicit *Ego ſum lux mundi*. Per 7. lucernas 7. dona S. Spiritus. Ipſe etiam ſignificatur per menſam , quia ipſe eſt ſpiritualis cibus , ſecundùm illud, *Ioan. 6. v. 51.* Ego ſum panis viuus : Duodecim enim panes ſignificabant 12. Apoſtolos, vel doctrinam eorum.

Siue per candelabrum & menſam poteſt ſignificari doctrina & fides eccleſiæ, quæ etiam illuminat & ſpiritualiter reficit.

Ipſe etiam Chriſtus ſignificatur per duplex altare, ſcilicet holocauſtorum & thymiamatis ; quia per ipſum oportet nos Deo offerre omnia virtutum opera , ſiue illa quibus carnem affligimus, quę offeruntur quaſi in altari holocauſtorum ; ſiue illa quæ maiore mentis perfectione, per ſpiritualia perfectorum deſideria Deo offeruntur in Chriſto, quaſi in altari thymiamatis. 12. *q.* 102. *art.* 4. *ad ſextum.*

EXODI Cap. 20. *v.* 5.

Non adorabis ea , neque coles.

IDololatria eſt peccatum , quia dicitur, non adorabis ea , ſcilicet exteriùs , neque coles, ſcilicet interiùs; & loquitur de ſculptilibus & imaginibus ; ergo peccatum eſt idolis exteriorem vel interiorem cultum exhibere.

Dices, vera fides imagines quaſdam aſſumit ad diuinum cultum, *Ex. 25. v. 18.* nam *in tabernaculo erant imagines Cherubim* ; Et in eccleſia quædam imagines ponuntur, quas fideles adorant; ergo idololatria ſecundùm quam idola adorantur, non eſt peccatum.

R. quòd neque in veteris legis tabernaculo ſeu templo , neque etiam nunc in eccleſia imagines inſtituuntur, vt eis cultus latriæ exhibeatur ; ſed ad quandam ſignificationem : vt per huiuſmodi imagines mentibus hominum imprimatur, & confirmetur fides de excellentia Angelorum & ſanctorum. Secus autem eſt de imagine Chriſti, cui, ratione diuinitatis latria debetur. 22. *q.* 94. *art.* 2. *V. quæ dicta ſunt ex.* 20. *v.* 4.

EXODI Cap. 20. *v.* 6.

Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios.

AVctoritas iſta intelligitur de pœna temporali , & in illis qui imitando peccatum parentum, non præſtant impedimentum vindictæ. *Lib.* 2. *ſent. diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 2. *ad primum. V. q.* 4. *de malo art.* 8. *ad ſextum, &* 12. *q.* 81. *art.* 2. *ad primum. & q.* 87. *art.* 8. *ad primum.*

Viſitans iniquitates patrum in filios. Videtur quòd filii pro patribus quandoque puniantur; Hoc enim dicit textus. Nec eſt hoc propter peccata filiorum , eo quod patres imitentur ; quia ſic nulla generatio determinaretur ; nec magis peccata patrum in filios viſitari dicerentur, quàm quorumlibet aliorum , quos etiam homines imitantur in peccatis ; ergo directè pro peccatis parentum, filii diuinâ pœnâ viſitantur.

2. Iuſtitia humana exemplata eſt à diuina : ſed ſecundùm humanam iuſtitiam, filii pro peccatis parentum exhæredantur ; ergo ſecundùm iuſtitiam diuinam puniuntur filii pro peccatis parentum.

3. Sicut populus gubernatur à rege, ita filii à parentibus : ſed popu-

lus quandoque punitur pro peccato regis, ſicut patet quòd peccatum Dauid, quo populum numerauit, per peſtilentiam in populo eſt punitum; ergo & filii pro peccatis puniuntur.

Deut. 24. v. 16. Sed contra eſt quod dicitur, *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus*. Dicendum quòd duplex eſt pœna; vna qua quis punitur in bonis animæ: & quia animam filius à patre non trahit, ſed habet immediatè à Deo: ideo tali pœnâ filii pro peccato patris nullo modo puniuntur. Et hoc eſt quod ſignificatur, *Omnes animæ meæ ſunt, vt anima patris, & ita anima filij mea eſt*. Ezech. 18. v. 4.

Alia pœna eſt qua quis punitur in bonis corporis vel exterioribus, quæ vel filius habet à patre, vel per ea debet patri prouidere. Et tali pœnâ quandoque punitur filius pro peccato patris, quaſi res quædam patris exiſtens: ſicut occiduntur pecora, dirimuntur domus, in quibus nulla eſt culpa, pro eo quòd ſunt res peccatoris, qui in eis punitur.

Huiuſmodi etiam pœnæ non ſemper inferuntur pro peccato quod quis perſonaliter commiſit: ſed quandoque ad exercitium iuſtitiæ, ſicut fuit in Iob; vel ad cuſtodiam virtutis vt in Paulo. Vnde non eſt inconueniens ſi huiuſmodi pœnis innocentes filii pro peccatis patrum puniuntur.

Et per hoc patet ſolutio ad obiecta, niſi quòd ad primum oportet dicere quòd ideo tertia & quarta generatio determinatur, & potiùs fit mentio de peccato parentum quàm aliorum; quia filii liberiùs imitantur peccata parentum, vt pote à puritia in eis nutriti; & præcipuè illotum quorum memoria adhuc manet, quod eſt in tertia & quarta generatione. Vnde & ipſi magis quàm parentes puniuntur, quia ex maiori contemptu & libidine peccant. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 33. art. 2.*

Idem locus explicatur ſupra. *Gen. 9. v. 25.*

Exodi Cap. 20. v. 7.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

Videtur quòd periurium ſit grauius peccatum quàm homicidium; nam grauius eſt peccare in Deum quàm in hominem: ſed periurium eſt peccatum in Deum, homicidium in hominem; ergo.

Sed contra, pœna proportionatur culpæ: ſed grauius punitur homicidium quàm periurium; ergo eſt grauius peccatum.

Dicendum quòd ſicut Apoſtolus dicit, *Homines per maiores ſui iurant*, & omnis controuerſiæ eorum finis eſt iuramentum. Hebr. 6. v. 16. Fruſtra autem in cauſa homicidii controuerſiæ finis eſſet iuramentum, ſi homicidium eſſet grauius peccatum quàm periurium; præſumeretur enim quòd qui maiorem culpam homicidii commiſiſſet, non vereretur minorem periurii incurrere. Vnde ex hoc ipſo quòd in cauſa cuiuſlibet peccati defertur iuramentum, manifeſtè oſtenditur quòd periurium pro maximo peccato debet haberi; nec immeritò, quia periurare nomen Dei, videtur quædam diuini nominis denegatio: Vnde ſecundum locum poſt idololatriam peccatum periurii tenet; vt ex ordi-

ne præceptorum apparet.

Ad illud verò quòd in contrarium obiicitur, dicendum quòd in iudicio humano non ſemper quantitas pœnæ reſpondet quantitati culpæ: interdum enim infligitur maior pœna pro minori culpa, quando grauius nocumentum imminet hominibus ex minori culpa. Sed ſecundùm Dei iudicium grauior culpa, grauiori pœnâ punitur. *Quodlib.* 1. *q.* 9. *art.* 18. *V.* 22. *q.* 122. *art.* 3.

EXODI Cap. 20. *v.* 8.

Memento vt diem ſabbati ſanctifices.

Arguitur, ſicut ad cultum Dei pertinebat obſeruatio ſabbati, ita etiam obſeruatio aliarum ſolemnitatum, & immolatio ſacrificiorum: ſed inter præcepta decalogi eſt vnum pertinens ad obſeruantiam ſabbati; ergo etiam debuit eſſe aliqua pertinentia ad alias ſolemnitates, & ad ritum ſacrificiorum.

R. quòd omnes ſolemnitates veteris legis ſunt inſtitutæ in commemorationem alicuius diuini beneficii, vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurati. Et ſimiliter propter hoc omnia ſacrificia offerebantur. Inter omnia autem beneficia Dei commemoranda, primum & præcipuum erat beneficium creationis, quod commemoratur in ſanctificatione ſabbati. Vnde pro ratione huius præcepti ponitur, *Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, &c.*

Inter omnia autem futura beneficia quæ erant præfiguranda, præcipuum & finale erat quies mentis in Deo, vel in præſenti per gratiam, vel in futuro per gloriam.

Aliæ verò ſolẽnitates celebrabantur propter aliqua particularia beneficia temporaliter tranſeuntia, ſicut celebratio Phaſe propter beneficium præteritæ liberationis ex Ægypto, & propter futuram paſſionem Chriſti, quæ temporaliter tranſiuit, inducens nos in quietem ſabbati ſpiritualis. Et ideo prætermiſſis omnibus aliis ſolemnitatibus & ſacrificiis, de ſolo ſabbato fiebat mentio inter præcepta decalogi. 12. *q.* 100. *art.* 5. *ad ſecundum.*

Memento vt diem ſabbati ſanctifices. Arguitur, omnia præcepta Dei ſunt in memoria retinenda; inconuenienter ergo in ſolo tertio præcepto fit mentio de memoria. R. quòd præceptum de ſabbato ponitur vt commemoratiuum beneficii præteriti; & ideo ſpecialiter in eo fit mentio de memoria. Vel quia præceptum de ſabbato habet determinationem adiunctam, quæ non eſt de lege naturæ: & ideo hoc præceptum ſpeciali admonitione indiguit. 12. *q.* 100. *art.* 7. *ad quintum. V. Lib.* 3. *ſent. diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 2.

Memento. Nota quòd acedia contrariatur præcepto de ſanctificatione ſabbati: in quo, ſecundùm quod eſt præceptum morale præcipitur quies mentis in Deo; cui etiam contrariatur triſtitia mentis de bono diuino. 22. *q.* 35. *art.* 3. *ad primum.*

Memento. Arguitur: Quicumque tranſgreditur præceptum decalogi, peccat: ſed in veteri lege aliqui tranſgredientes obſeruantiam ſabbati non peccabant; ſicut circuncidentes pueros octauâ die, & ſacerdotes in templo ſabbatis ope-

Digitized by Google

rantes, & Elias cùm 40. diebus perueniſſet ad montem Dei Oreb, conſequens eſt quòd in ſabbato itineraũit. Similiter etiam ſacerdotes dum ſeptem diebus circumferrent arcam Domini, intelliguntur eam die ſabbati circuntuliſſe: dicitur etiam, *non ne vnuſquiſque veſtrum ſoluit bouem ſuum aut aſinum, & ducit adaquare*? Ergo inconuenienter ponitur inter præcepta decalogi.

Ioſue 6. *v.* 3. *Luc.* 13. *v.* 15.

2. Præcepta decalogi ſunt etiam in noua lege obſeruanda: ſed in lege noua non ſeruatur hoc præceptum, nec quantùm ad diem ſabbati, nec quantùm ad diem dominicam; in qua & cibi coquuntur, & itinerantur, & piſcantur homines &c. ergo.

Dicendum quòd remotis impedimẽtis veræ religionis per primum & ſecundum præceptum decalogi, conſequens fuit vt tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera religione fundarentur. Ad religionem autem pertinet cultum Deo exhibere. Sicut autem ſcriptura D. traditur nobis ſub aliquibus corporalium rerum ſimilitudinibus, ita cultus exterior Deo exhibetur per aliquod ſenſibile ſignum. Et quia ad interiorem cultum, qui conſiſtit in oratione & deuotione, magis inducitur homo ex interiori ſpiritus Sanctus inſtinctu; præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu, ſecundùm aliquod ſenſibile ſignum.

Et quia præcepta decalogi ſunt quaſi quædam prima & communia legis principia; ideo in tertio præcepto decalogi præcipitur exterior Dei cultus ſub ſigno communis beneficii quod pertinet ad omnes; ſcilicet ad repræſentandum opus creationis mundi, à quo requieuiſſe dicitur Deus ſeptimâ die: in cuius ſignum dies ſeptima mandatur ſanctificanda, id eſt, deputanda ad vacandum Deo. Et ideo præmiſſo præcepto de ſanctificatione ſabbati, aſſignatur ratio; quia *ſex diebus fecit Deus cœlum & terram, & in ſeptima die requieuit.*

Nota quòd præceptum de ſanctificatione ſabbati literaliter intellectum, eſt partim morale, partim autem cæremoniale: Morale quidem quantùm ad hoc quòd homo deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum diuinis Ineſt enim homini naturalis inclinatio ad hoc quod cuilibet rei neceſſariæ deputetur aliquod tempus: ſicut corporali refectioni, ſomno, & aliis huiuſmodi. Vnde etiam ſpirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, ſecundùm dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo. Et ſic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum diuinis, cadit ſub præcepto morali.

Sed inquantum in hoc præcepto determinatur ſpeciale tempus, in ſignum creationis mundi; ſic eſt præceptum cæremoniale. Similiter etiam cæremoniale eſt ſecundùm allegoricam ſignificationem, prout fuit ſignum quietis Chriſti in ſepulchro, quæ fuit ſeptimâ die. Et ſimiliter ſecundùm moralem ſignificationem, ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo. Et ſecundùm hoc quodammodo eſt præceptum generale.

Similiter etiam cæremoniale eſt ſecundùm ſignificationem anagogicam,

gicam; prout ſcilicet præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Vnde præceptum de ſanctificatione ſabbati ponitur inter præcepta decalogi, inquantum eſt præceptum morale, non inquantum eſt cæremoniale.

Nota ſecundò quòd aliæ cæremoniæ legis ſunt ſigna aliquorum particularium effectuum Dei: ſed obſeruatio ſabbati eſt ſignum generalis beneficii, ſcilicet productionis vniuerſæ creaturæ Et ideo conuenientiùs debuit poni inter præcepta generalia decalogi, quàm aliquod aliud cæremoniale legis.

Ad 1. R. quòd in obſeruantia ſabbati duo ſunt conſideranda, quorum vnum eſt ſicut finis. Et hoc eſt, vt homo vacet rebus diuinis; quod ſignificatur in hoc quod dicit; *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.* Illa enim dicuntur ſanctificari in lege, quæ diuino cultui applicantur.

Aliud autem eſt ceſſatio operum, quæ ſignificatur cùm ſubditur, *ſeptimâ die Domini Dei tui non facies omne opus.* Sed de quo opere intelligatur, apparet per id quod exponitur, *Omne opus ſeruile non facietis in eo.* Opus autem ſeruile dicitur à ſeruitute. *Leu.* 23. *v.* 7.

Est autem triplex ſeruitus; vna quidem qua homo ſeruit peccato, ſecundùm illud, *qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Et ſecundùm hoc omne opus peccati dicitur ſeruile. Alia verò ſeruitus eſt qua homo ſeruit homini. Eſt autem homo alterius ſeruus, non ſecundùm mentem, ſed ſecundùm corpus. Et ideo opera ſeruilia ſecundùm hoc dicuntur opera corporalia, in quibus vnus homo alteri ſeruit. Tertia autem eſt ſeruitus Dei: & ſecundùm hoc opus ſeruile poſſet dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei ſeruitium. Seruitus triplex. *Ioan.* 8. *v.* 34.

Si autem ſic intelligatur opus ſeruile, non prohibetur in die ſabbati; quia hoc eſſet contrarium fini obſeruationis ſabbati, vt vacet operibus ad Dei ſeruitutem pertinentibus. Et ſic nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſeruantiam ſabbati. Sed alia opera ſeruilia, quæ dicuntur ſeruilia primo vel ſecundo modo, contrariantur obſeruantiæ ſabbati, inquantum impediunt applicationem hominis ad diuina.

Et quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamuis ſit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die feſto, quàm qui aliud corporale opus licitum facit. Non autem qui peccat venialiter in ſabbato, contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit Sanctitatem.

Opera etiam corporalia ad ſpiritualem Dei cultum non pertinentia, in tantum ſeruilia dicuntur, inquantum propriè pertinent ad ſeruientes. Inquantum verò ſunt communia & ſeruis & liberis, ſeruilia non dicuntur.

Quilibet autem tam ſeruus quàm liber tenetur in neceſſariis prouidere, non tantùm ſibi, ſed etiam proximo, præcipuè quidem in his quæ ad ſalutem corporis pertinent. Secundariò autem etiam in damno rerum vitando, & ideo opus corporale pertinens ad conſeruandum ſalutem proprii corporis non violat ſabbatum Et propter hoc Machabæi non polluerunt ſabbatum pugnãtes ad ſui defenſionẽ die ſabbati. 1. *Mac.* 2. *v.* 41.

Digitized by Google

Similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius, non eſt contra obſeruantiam ſabbati. Similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat ſabbatum.

Ad 2. R. quòd obſeruantia diei dominicæ in noua lege ſuccedit obſeruantiæ ſabbati, non ex vi præcepti legis, ſed ex conſuetudine Eccleſiæ, & conſuetudine populi Chriſtiani. Nec enim huiuſmodi obſeruantia eſt figuralis, ſicut fuit obſeruatio ſabbati in veteri lege. Et ideo non eſt ita arcta prohibitio operandi in die dominica ſicut in die ſabbati. Sed quædam opera conceduntur in die dominica, quæ in die ſabbati prohibebantur, ſicut decoctio ciborum, & alia huiuſmodi.

Et etiam in quibuſdam operibus prohibitis faciliùs propter neceſſitatem diſpenſatur in noua, quàm in veteri lege; quia figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem ſecundùm ſe conſiderata immutari poſſunt pro loco & tempore. 22. q. 122. *art.* 4. *V. lib.* 3. *ſent. Diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 5. & 12. *q.* 100. *art.* 8 *ad quartum. Et* 22. *q.* 40. *art.* 4. & 3. *p. q.* 40. *art.* 4.

EXODI Cap. 20. *v.* 12.

Honora patrem.

CVm Eleemoſina ſit actus virtutis, oportet quòd aliquo modo cadat ſub præcepto; quia præcepta legiſlatoris ad virtutem ducere intendunt. Reducitur autem hoc præceptum, *honora parentes:* honor autem ille ad reuerentiam & ſubuentionem in neceſſariis pertinet: & nomine parentum omnis proximus intelligitur. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 4.

Honora patrem. Prohibitio gulæ ſecundùm quod eſt peccatum mortale, per reductionem contrariatur præcepto de ſanctificatione Sabbati; per quam intelligitur ſpiritualis quies, quæ impeditur per immoderantiam gulæ. *In quæſt. diſp. q.* 14. *de malo art.* 2. *in fine.*

Honora patrem. In prælato duo poſſumus conſiderare, ſcilicet perſonam propriam, & dignitatem ſecundùm quam eſt quædam perſona publica. Si ergo prælatus ſit malus, ratione perſonæ ſuæ, non eſt honorandus; quia cùm honor ſit reuerentia alicui exhibita in teſtimonium virtutis, falſum teſtimonium de eo proferret, ſi quis eum obtentu propriæ perſonæ honoraret. Sed inquantum eſt perſona publica, ſic gerit typum & locum non ſui ipſius, ſed alterius, ſcilicet Chriſti in Eccleſia; vel Reipublicæ, vt Dominus in ſecularibus dignitatibus: & ſic valor eius non computatur ſecundum perſonam, ſed ſecundùm eum cuius loco præſidet. Prælati honorandi, etiam mali.

Malus ergo prælatus indignus eſt prælatione & honoribus qui prælato debentur: ſed ille cuius vicem gerit, dignus eſt vt eius vicario talis honor exhibeatur. Sicut beata Virgo digna eſt vt eius imaginem depictam in pariete reuereamur, quamuis tali reuerentiâ ipſa imago digna non ſit. *Quodlib.* 8. *art.* 7.

Honora patrem. Ille honor includit dilectionem. 22. *q.* 26. *art.* 8. *V. infra prouerb* 18. *v.* 24.

Honora patrem. Omnia præcepta quæ pertinent ad impendendum

Digitized by Google

aliquod beneficium proximo reducuntur ad hoc præceptum. 22. *q.* 33. *art.* 2. *ad ſecundum.*

Luca. 14. v. 26 *Honora patrem.* Arguitur, *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; ergo non omne odium proximi eſt peccatum. R. quòd parentes quantùm ad naturam & affinitatem, qua nobis coniunguntur, ſunt à nobis ſecundùm præceptum Dei honorandi. Odiendi autem ſunt quantùm ad hoc quòd impedimentum præſtant nobis accedendi ad perfectionem diuinæ iuſtitiæ. 22. *q.* 34. *art.* 3. *ad primum.*

Honoris deſcriptio. *Honora patrem.* Honor eſt quoddam teſtimonium de virtute eius qui honoratur: & ideo ſola virtus eſt debita cauſa honoris. Sciendum tamen quòd aliquis poteſt honorari non ſolùm propter virtutem propriam, ſed etiam propter virtutem alterius. Sicut principes & prælati honorantur, etiam ſi ſint mali, inquantum gerunt perſonam Dei & communitatis cui præficiuntur.

Et eadem ratione parentes & Domini, ſunt honorandi, propter participationem diuinæ dignitatis, qui eſt omnium pater & Dominus. Senes autem ſunt honorādi propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus, licet hoc ſignum quandoque deficiat. Diuites autem honorandi ſunt propter hoc, quòd maiorem locum in communitatibus obtinent. Si autem ſolùm intuitu diuitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis perſonarum. 22. *q.* 63. *art.* 3.

Honora patrem. Videtur quòd pietas non exhibeat parentibus ſuſtentationem; ad pietatem enim videtur pertinere illud præceptum, *Honora patrem*: ſed ibi non præcipitur niſi honoris exhibitio; ergo ad pietatem non pertinet ſuſtentationem parentibus exhibere.

2. Illis homo debet theſauriſare, quos tenetur ſuſtentare: ſed filii non debent theſauriſare parentibus; ergo non tenentur eos per pietatem ſuſtentare.

3. Pietas non ſolum extendit ſe ad parentes, ſed etiam ad alios conſanguineos, & conciues: ſed non tenetur aliquis omnes conſanguineos & conciues ſuſtentare; ergo nec etiam tenetur ad ſuſtentationem parentum.

Dicendum quòd parentibus & conciuibus aliquid debetur dupliciter; vno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem debetur eis id quod decet patrem, inquantum pater eſt; qui cùm ſit ſuperior, quaſi principium filii exiſtens, debetur ei à filio reuerentia & obſequium. Per accidens autem aliquid debetur patri, quod decet eum accipere ſecundùm aliquid quod ei accidit: puta ſi ſit infirmus, quòd viſitetur, & eius curationi intendatur; ſi ſit pauper, quòd ſuſtentetur; & ſic de aliis huiuſmodi: Quæ omnia ſub debito obſequio continentur.

Ad 1 R. quòd in honoratione parentum intelligitur omnis ſubuentio quæ debet parentibus exhiberi: & hoc ideo, quia ſubuentio fit patri ex debito tanquam maiori.

Ad 2. R. quòd quia pater habet rationem principii, filius autem habet rationem à principio exiſtentis: ideo per ſe patri conuenit vt ſubueniat filio. Et propter hoc non ſolùm ad horam debet ei ſubuenire, ſed ad totam ſuam vitam, quod eſt

Digitized by Google

theſauriſare. Sed quod filius aliquid conferat patri, hoc eſt per accidens, ratione alicuius neceſſitatis inſtantis, in qua tenetur ei ſubuenire; non autem theſauriſare quaſi in longinquum; quia naturaliter non parentes filiorum, ſed filii parentum ſunt ſucceſſores.

Ad 3. R. quòd cultus & officium debetur omnibus ſanguine iunctis & patriæ beneuolis: non tamen æqualiter omnibus, ſed præcipuè parentibus. Aliis autem ſecundùm propriam facultatem, & decentiam perſonarum. 22. *q.* 101. *art.* 2. *&* *q.* 122. *art.* 5.

Honora patrem. Videtur quòd propter obſequium parentum debeant aliqui retrahi ab ingreſſu religionis; non enim licet prætermittere id quod eſt neceſſitatis, vt fiat id quod eſt liberum voluntati: ſed obſequi parentibus cadit ſub neceſſitate præcepti quod datur de honoratione parentum: ingredi autem religionem eſt liberum voluntati; ergo videtur quòd non debeat aliquis prætermittere parentum obſequium propter religionis ingreſſum.

2. Maiori debito obligatur aliquis parentibus, quàm his quibus debet pecuniam: ſed illi qui debent pecuniam aliquibus, non poſſunt religionem ingredi; ergo

Dicendum quòd parentes habent rationem principii inquantum huiuſmodi: & ideo per ſe eis conuenit vt filiorum curam habeant. Et propter hoc non liceret alicui filios habenti religionem ingredi omnino prætermiſsâ curâ filiorum, id eſt, non prouiſo qualiter educari poſſint. Dicitur enim quòd *ſi quis* 1 *Tim.* 5. *v.* 8. *ſuorum curam non habet fidem negauit, & eſt infideli deterior.*

Per accidens tamen parentibus conuenit vt à filiis adiuuentur, inquantum ſcilicet ſunt in neceſſitate aliqua conſtituti. Et ideo dicendum eſt quòd parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita quòd eis commodè aliter, quàm per obſequium filiorum ſubueniri non poſſit; non licet filiis, prætermiſſo parentum obſequio, religionem intrare.

Si verò non ſint in tali neceſſitate vt filiorum obſequio multùm indigeant, poſſunt prætermiſſo parentum obſequio, filii religionem intrare, etiam contra præceptum parentum: Quia poſt annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantùm ad ea quæ pertinent ad diſpoſitionem ſui ſtatus; præſertim in his quæ ſunt diuini obſequii: & magis eſt obtemperandum patri ſpirituum vt viuamus, quàm parentibus carnis.

Ad 1. R. quòd præceptum de honoratione parentum non ſolùm ſe extendit ad corporalia obſequia, ſed etiam ad ſpiritualia, & ad reuerentiam exhibendam. Et ideo etiam illi qui ſunt in religione, implere poſſunt præceptum de honoratione parentum, pro eis orando, & eis reuerentiam & auxilium impendendo; ſecundùm quod religioſos decet: Quia etiam illi qui in ſeculo viuunt diuerſimodè parentes honorant ſecundùm eorum conditionem.

Ad 2. R. quòd ille qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licitè prætermittere facultate exiſtente. Et ideo ſi aliquis ſit obligatus vt alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat; non poteſt hoc licitè prætermittere, vt re-

Digitized by Google

ligionem ingrediatur. Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat vnde reddat; tenetur facere quod poteſt, vt ſcilicet cedat bonis ſuis creditori.

Propter pecuniam autem perſona liberi hominis ſecundùm iura ciuilia non obligatur, ſed ſolùm res; quia perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ. Vnde licitè poteſt exhibitis rebus ſuis religionem intrare; nec tenetur in ſeculo remanere, vt procuret vnde debitum reddat. Filius autem non tenetur ad aliquod ſpeciale debitum patri, niſi fortè in caſu neceſſitatis. 22. *q.* 189. *art.* 6.

EXODI Cap. 20. *v.* 12.

Vt ſis longæuus ſuper terram.

ARguitur, omnibus præceptis obſeruatis præmium debetur: ſed in quarto præcepto præmium ponitur, vt patet in textu; ergo eadem ratione in aliis præceptis poni deberet.

R. quòd quartum præceptum maximè videtur habere de debito, & de naturali inclinatione, & priuato amore; & ideo minùs videbatur eſſe meritorium quàm alia. Et ideo propter hoc oportuit vt ei adderetur præmium.

Vel dicendum quòd quartum præceptum eſt primum ſecundæ tabulæ, vnde ipſi præmium additur: ſicut & in primo præcepto primæ tabulæ præmium innuitur ex hoc quòd Dei miſericordia commemoratur; vt ex his duobus mandatis oſtendantur omnia ſequentia præmiabilia eſſe. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 2. *ad quintum. V. ſupra exodi.* 20. *v.* 2. *ſiue.* 12. *quæſt.* 100. *art.* 7. *ad tertium.*

Vt ſis longæuus. Arguitur, contingit quandoque quòd hi qui honorant parentes, citò moriuntur; & è contrario qui parentes non honorant, diu viuunt; inconuenienter ergo additur huic præcepto hæc promiſſio, *vt ſis longæuus.*

R. quòd longæuitas promittitur honorantibus parentes, non ſolùm quantùm ad futuram vitam, ſed etiam quantùm ad præſentem, ſecundùm illud *pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ.* Et hoc rationabiliter: Qui enim eſt gratus beneficio, meretur ſecundùm quandam congruentiam vt ſibi beneficium conſeruetur: Propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficium perdere. *1. Tim. 4. v. 8.*

Beneficium autem vitæ corporalis, poſt Deum, à parentibus habemus: & ideo ille qui honorat parentes, quaſi beneficio gratus, meretur vitæ conſeruationem. Qui autem non honorat parentes, tanquam ingratus, meretur vitæ priuari. Quia tamen præſentia bona vel mala nón cadunt ſub merito vel demerito, niſi inquantum ordinantur ad futuram remunerationem: ideo quandoque ſecundùm occultam rationem diuinorum iudiciorum, quæ maximè futuram remunerationem reſpiciunt; aliqui qui ſunt pii in parentes, citiùs vitâ priuantur; alii verò qui ſunt impii in parentes, diutiùs viuunt. 22. *q.* 122. *art.* 5. *ad quartum.*

Exodi Cap. 20. v. 13.

Non occides.

Omne illud quod prohibetur lege Dei, eſt peccatum; quia peccatum eſt dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ſed actus exterior lege Dei prohibetur, *Non occides, non Mœchaberis &c.* Et Seorſum prohibetur actus interior, cùm dicitur *Non concupiſces*; ergo non ſolùm actus voluntatis eſt peccatum, ſed etiam actus exterior. *In quæſt. diſp. q. 2. de malo art. 2. V. Lib. 2. ſent. diſt. 35. quæſt. 1. art. 4.*

Non occides. Quia pœnas à Deo inflictas aliqui paruipendunt propter hoc quòd ſenſibilibus dediti, ſolùm ea quæ videntur curant. Ideo per diuinam prouidentiam ordinatum eſt vt in terris ſint homines, qui per pœnas ſenſibiles & præſentes, alios ad obſeruantiam iuſtitiæ cogant; quia bonum commune melius eſt quàm bonum particulare vnius: ſubtrahendum eſt igitur bonum particulare, vt conſeruetur bonum commune. Vita autem quorundam peſtiferorum impedit commune bonum, quod eſt concordia ſocietatis humanæ; ſubtrahendi igitur ſunt huiuſmodi homines per mortem ab hominum ſocietate.

Per hoc autem excluditur error quorundam dicentium vindictas corporales non licere fieri, qui ad ſui fulcimentum erroris inducunt textum; non igitur mali (inquiunt) ſubtrahendi ſunt de medio bonorum per occiſionem. Inducunt etiam quòd homo quandiu in mundo eſt, poteſt in melius tranſmutari, non ergo eſt per occiſionem ſubtrahendus à mundo, ſed ad pœnitentiam reſeruandus.

Hæc autem friuola ſunt, nam in lege quæ dicit *Non occides*, poſtmodum ſubdit *Maleficos non patieris viuere.* Ex quo datur intelligi occiſionem hominum iniuſtam prohibitam eſſe. Quod etiam ex verbis Domini apparet, nam cùm dixiſſet, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides.* Subiunxit; *Ego autem dico vobis, qui iraſcitur fratri ſuo &c.* Ex quo dat intelligere illam occiſionem eſſe prohibitam, quæ procedit ex ira, non autem illam quæ procedit ex zelo iuſtitiæ. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 146.* Ex. 22. v. 18. Matth 5. v. 21

Non occides. Lex vetus continebat quædam præcepta moralia vt, *Non occides* & ſequentia. *V. infra Pſal. 118. v. 93. ex 12. q. 99. art. 2.*

Non occides. Videtur quòd ſex vltima præcepta decalogi inconuenienter tradantur; non enim ſufficit ad ſalutem quòd aliquis proximo ſuo non noceat: ſed requiritur quòd ei debitum reddat, ſecundùm illud *Reddite omnibus debita*: ſed in ſex vltimis præceptis ſolùm prohibetur nocumentum proximo inferendum; ergo inconuenienter traduntur. Rom. 13. v. 7.

2. In prædictis præceptis prohibentur homicidium, adulterium, furtum, & falſum teſtimonium: ſed multa alia nocumenta poſſunt proximo inferri; ergo inconuenienter tradita ſunt.

Dicendum quòd ſicut per partes iuſtitiæ debitum redditur aliquibus determinatis perſonis quibus homo ex aliqua ſpeciali ratione obligatur; ita etiam per iuſtitiam propriè dictam aliquis debitum reddit

communiter omnibus. Et ideo, poſt tria præcepta pertinentia ad religionem, qua redditur debitum Deo: & poſt quartum præceptum quod eſt pietatis, qua redditur parentibus debitum in quo includitur omne debitum quod ex aliqua ſpeciali ratione debetur: neceſſe fuit quòd ponerentur conſequenter aliqua præcepta pertinentia ad iuſtitiam propriè dictam, quæ indifferenter omnibus debitum reddit.

Ad 1. R. quòd communiter ad hoc obligatur homo vt nulli inferat nocumentum. Et ideo præcepta negatiua, quibus prohibentur nocumenta quæ poſſunt proximis inferri, tanquam communia fuerunt ponenda inter præcepta decalogi. Ea verò quæ ſunt proximis exhibenda, diuerſimodè exhibentur diuerſis: & ideo non fuerunt inter præcepta decalogi ponenda de his affirmatiua præcepta.

Ad 2. R. quòd omnia alia nocumenta quæ proximis inferuntur, poſſunt ad iſta reduci quæ his præceptis prohibentur; tanquam ad quædam communiora & principaliora. Nam omnia nocumenta quæ in perſonam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio, ſicut in principaliori. Quæ verò inferuntur in perſonam coniunctam, & maximè per modum libidinis, intelliguntur prohiberi ſimul cùm adulterio. Quæ verò pertinent ad damna in rebus illata, intelliguntur prohiberi ſimul cum furto. Quæ autem pertinent ad locutiones (ſicut detractiones, blaſphemiæ, & ſi qua huiuſmodi) intelliguntur prohiberi in falſo teſtimonio; quod directiùs iuſtitiæ contrariatur. 22. *q.* 122. *art.* 6. Idem locus explicatur ſupra. *Gen.* 3. *v.* 17.

EXODI Cap. 20. *v.* 14.

Non mœchaberis.

NOn omnia peccata mortalia directè contrariantur præceptis decalogi, ſed per quandam reductionem: ſicut prohibitio ſimplicis fornicationis reducitur ad hoc præceptum *Non mœchaberis. In quæſt. diſp. q.* 14. *art.* 2. *circa finem.*

Non mœchaberis. Videtur quòd non omnis actus luxuriæ ſit peccatum mortale; quia omne peccatum mortale alicui præcepto diuinæ legis contrariatur: ſed inter peccata luxuriæ ſolum adulterium præcepto legis contrariatur illi ſcilicet præcepto *Non mœchaberis*; ergo ſolum adulterium inter actus luxuriæ eſt peccatum mortale Si dicas quòd in prohibitione mœchiæ, id eſt, adulterii, intelligitur prohibitio omnis illiciti concubitus.

Contra, in prohibitione maioris peccati, non intelligitur prohibitio minoris peccati: ſed adulterium eſt maius peccatum quàm ſimplex fornicatio; ergo in prohibitione adulterii non intelligitur prohibitio ſimplicis fornicationis.

3. Manifeſtum eſt quòd ex concubitu mulieris quæ eſt ſterilis vel vetula, generatio prolis ſequi non poteſt: ſed tamen hoc quandoque fieri poteſt ſine peccato mortali in ſtatu matrimonii; ergo etiam alii actus luxuriæ ex quibus non ſequitur generatio prolis, poſſunt eſſe abſque peccato mortali.

Dicendum quòd actus luxuriæ

Digitized by Google

poteſt eſſe inordinatus dupliciter: vno modo propter ſolam inordinationem concupiſcentiæ: Alio modo etiam propter inordinationem ipſius actus. Quando ergo eſt peccatum luxuriæ propter ſolam inordinationem concupiſcentiæ, ſicut cùm aliquis libidinosè accedit ad ſuam vxorem; tunc eſt diſtinguendum: quia quandoque eſt talis inordinario, quæ excludit ordinem finis vltimi; putà cùm aliquis intantum concupiſcit delectationem veneream, quòd ab ea non abſtineret propter præceptum Dei; & quòd illam mulierem cognoſcere vellet, vel etiam aliam præter matrimonii legem: & ſic eſt peccatum mortale; quia concupiſcentia non refrenatur intra limites matrimonii.

Aliquando verò inordinatio concupiſcentiæ non tollit ordinem vltimi finis, quando ſcilicet aliquis & ſi ſuperabundet in concupiſcentia delectationis venereę, tamen priùs ab ea abſtineret, quàm contra Dei præceptum ageret; nec iſtam mulierem aut aliam cognoſceret, ſi ſua vxor non eſſet. Et tunc concupiſcentia ſiſtit infra limites matrimonii, & eſt peccatum veniale.

Si verò ſit actus luxuriæ peccatum propter ipſam inordinationem actus, quia ſcilicet actus non eſt proportionatus generationi & educationi prolis; tunc dico quòd ſemper eſt peccatum mortale.

Ad 1. R. quòd per illud præceptum *Non mœchaberis*, intelligitur prohiberi omnis illicitus vſus genitalium membrorum, qui de genere ſuo eſt peccatum mortale.

Ad 2. R. quòd præcepta decalogi ſunt immediatè à Deo populo tradita. Vnde ſecundùm hanc formam traduntur prout ſunt manifeſta naturali rationi cuiuſlibet hominis etiam popularis. Quilibet autem ſtatim ratione naturali aduertere poteſt adulterium eſſe peccatum. Et ideo inter præcepta decalogi prohibetur adulterium.

Fornicatio verò & aliæ corruptelæ prohibentur per ſequentia legis præcepta, quæ à Deo tradita ſunt populo per Moyſen, quia ſcilicet eorum inordinatio, cùm non manifeſtè continet iniuriam proximi; non eſt omnibus manifeſta, ſed ſolùm ſapientibus per quos debet ad aliorum notititiam deriuari.

Ad 3. R. quòd lex communis datur non ſecundùm particularia accidentia, ſed ſecundùm communem conſiderationem. Et ideo dicitur actus ille eſſe contra naturam in genere luxuriæ, ex quo non poteſt ſequi generatio ſecundùm communem ſpeciem actus: non autem ille ex quo non poteſt ſequi propter aliquod particulare accidens, ſicut eſt ſenectus vel infirmitas. *In quæſt. diſp. q. 15. de malo art. 2.*

Non mœchaberis. Quicumque dicit non eſſe peccatum id quod eſt contra præceptum Dei, hæreticus iudicatur: ſicut hæreticus iudicaretur quicumque diceret quòd fornicatio ſimpliciter non ſit peccatum mortale, eſt enim contra hoc præceptum, *Non mœchaberis. Quod lib. 3. art. 12.*

EXODI Cap. 20. v. 15.

Non furtum facies.

VIdetur quòd furtum non ſemper ſit peccatum; nam ille qui inuenit

inuenit rem non ſuam, ſi eam accipiat, videtur furtum committere; quia accipit rem alienam: ſed hoc videtur eſſe licitum; ergo.

Dicendum quòd in furti ratione duæ rationes peccati inueniuntur; Primò quidem propter contrarietatem ad iuſtitiam, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt; & ſic furtum iuſtitiæ opponitur, inquantum furtum eſt acceptio rei alienæ.

Secundò ratione doli ſeu fraudis quam fur committit, occultè, & quaſi ex inſidiis rem alienam vſurpando.

Ad argum. R. quòd circa res inuentas eſt diſtinguendum. Quædam enim ſunt quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, ſicut lapilli, & gemmæ quæ inueniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non eſt aliquis poſſeſſor, niſi quòd ſecundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, ſi in alieno agro inuenerit.

Quædam verò res inuentæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis, & tunc ſi quis eas accipiat animo retinendi, committit furtum. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5.

Non furtum facies. Præceptum de labore manuum; reducitur ad hoc præceptum. V. ſupra. *Geneſis* 3. *verſ.* 17.

EXODI Cap. 20. *v.* 16.

Non loqueris contra proximum falſum teſtimonium.

FAlſum teſtimonium habet triplicem deformitatem: vno modo ex periurio, quia teſtes non admittuntur niſi iurati; & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale. Alio modo ex violatione iuſtitiæ: & hoc modo eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut & quælibet iniuſtitia. Tertio modo ex ipſa falſitate, ſecundùm quod omne mendacium eſt peccatum. Et ex hoc non habet falſum teſtimonium quòd ſemper ſit peccatum mortale. 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 4.

EXODI Cap. 20. *v.* 17.

Non concupiſces domum proximi tui.

VIdetur quòd ſextum & ſeptimum præceptum ſecundæ tabulæ inconuenienter aſſignentur; præcepta enim negatiua ordinantur ad prohibitionem peccatorum: ſed vnum eſt peccatum cordis & operis, ergo non debuit alio præcepto prohiberi concupiſcentia mœchandi, vel furandi, quàm ipſa mœchia vel furtum.

2. Sicut in furto & mœchia contingit peccare corde & opere, ita & in homicidio, & in aliis peccatis: ſed alia præcepta non variantur per concupiſcentiam & opus, neque affirmatiua, neque negatiua; ergo neque præceptum de furto & de mœchia debuit hoc modo variari.

3. Nihil debet lege prohiberi quod licitè fieri poteſt: ſed licitè poteſt fieri quòd aliquis domum proximi ſui poſſideat, vt ſi emat eam; ergo licitè poteſt eam concupiſcere; ergo talis concupiſcentia non debuit lege prohiberi.

4. Omne quod eſt contrarium præcepto, eſt peccatum mortale:

Digitized by Google

ſed primi motus qui ex corrupta concupiſcentia procedunt, non ſunt peccata mortalia; ergo non debuit dari præceptum de non concupiſcendo.

Dicendum quòd intentio legis eſt vt homines ad virtutem inducantur: ad virtutem autem non ſufficit vt actus virtutis qualitercumque fiat, ſed oportet vt homo ſciens & volens, & propter debitum finem perſeueranter & delectabiliter operetur.

Similiter etiam non ſufficit quòd actus contrarius qualitercumque prætermittatur; niſi etiam voluntas illud faciendi derelinquatur, & paſſiones inclinantes ad actum illicitum ordinentur.

Et ideo in præceptis decalogi non debuit ſolùm prohiberi actus illicitus, ſed etiam concupiſcentia illicitarum rerum.

Ad 1. R. quòd peccatum cordis & operis quando coniunguntur, ſunt vnum peccatum: ſed quia quandoque in corde peccatur non perueniendo ad actum, tunc peccatum cordis à peccato exterioris operis diſtinguitur; & ideo etiam diuerſo præcepto prohibetur.

Ad 2. R. quòd præcepta affirmatiua præcipiunt aliquem actum bonum: bonum autem conſurgit ex diuerſis coadunatis ad perfectionem ſuam, quod eſt ex vna & tota cauſa. Et ideo hoc ipſo quòd aliquis bonus actus præcipitur, omnes conditiones implicantur, quæ ad bonitatem requiruntur. Et ideo præcepta affirmatiua non fuerunt diſtincta circa idem genus, per præceptum operis & cordis.

Peccatum autem quod præcepto negatiuo prohibetur, contingit oriri ſeparatim ex ſingulis defectibus: & ideo ad diuerſa quæ poſſunt peccatum inducere, poſſunt diuerſa præcepta ordinari.

Ideo tamen potiùs peccatum furti, & mœchiæ hoc modo variatur per diuerſa præcepta; quàm homicidium vel alia peccata; quia bonum inquantum in ſe eſt, mouet concupiſcentiam: obiectum autem furti & mœchiæ eſt aliquod bonum temporale. Vnde etiam per ſe concupiſcentia horum, ſine progreſſu ad actum, habet quandam delectationem, quod non contingit in homicidio, cuius obiectum eſt nocumentum illatum proximo; quod de ſe horrorem potiùs quàm delectationem facit.

Ad 3. R. quòd non poteſt licitè poſſideri domus proximi, niſi dominio tranſlato in alterum; & tunc deſinit eſſe proximi. Et ideo non ſimpliciter prohibetur concupiſcentia domus, ſed concupiſcentia domus proximi, cùm ipſum concupiſcentiæ nomen, quia intentionem deſiderii dicit; in quandam ſuperfluitatem ſonare videtur, & ita in malum.

Ad 4. R. quod lex non datur niſi rationem habenti: vnde illa concupiſcentia tantùm directè præcepto legis prohibetur, quæ ad rationis conſenſum pertingit, quæ peccatum mortale eſt. Concupiſcentia autem quæ eſt in primis motibus, non eſt contra legem, ſed præter legem; & ideo peccatum veniale eſt. *Lib. 3. ſent. diſt. 40. art. 1. ſimile 12. q. 100. art. 5. ad quintum. Et 22. q. 122. art. 6. ad quartum.*

Non concupiſces. Videtur quòd lex vetus non fuerit bona; dicitur enim, *Dedi eis præcepta non bona, &* *Ezech. 20. v. 11.*

iudicia in quibus non viuent: ſed lex non dicitur bona niſi propter bonitatem præceptorum quæ continet; ergo lex vetus non fuit bona.

2. Ad bonitatem legis pertinet quòd ſit poſſibilis ad obſeruandum: & ſecundùm naturam & ſecundùm humanam conſuetudinem: ſed hoc non habuit lex vetus, dicit enim
Act. 15. Petrus, *quid tentatis imponere iugum*
v. 10. *ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus*? Ergo videtur quòd lex vetus non fuerit bona.

Rom. 7. Sed contra eſt quod dicitur, *Lex*
v. 12. *ſancta eſt, & mandatum ſanctum & iuſtum & bonum.* Dicendum quòd lex vetus bona fuit: ſicut enim doctrina oſtenditur eſſe vera ex hoc quòd conſonat rationi rectæ; ita etiam lex aliqua oſtenditur eſſe bona ex hoc quòd conſonat rationi. Lex autem vetus rationi conſonabat, quia concupiſcentiam reprimebat, quæ rationi aduerſatur, vt patet in textu.

Ipſa etiam omnia peccata prohibebat, quæ ſunt contra rationem; vnde manifeſtum eſt quòd bona erat. Et hæc eſt ratio Apoſtoli,
Rom. 7. *Condelector* (inquit) *legi Dei ſecun-*
v. 22. *dùm interiorem hominem.* Et iterum,
Rom. 7. *Conſentio legi quoniam bona eſt.*
v. 16.

Bonum duplex. Sed notandum eſt quòd bonum diuerſos gradus habet: eſt enim aliquod bonum perfectum, & aliquod bonum imperfectum. Perfecta quidem bonitas eſt in his quæ ad finem ordinantur, quando aliquid eſt tale quod per ſe eſt ſufficiens inducere ad finem. Imperfectum autem bonum eſt quod operatur aliquid ad hoc quòd perueniatur ad finem: non tamen ſufficit ad hoc quod ad finem perducat; ſicut medicina perfectè bona eſt, quæ hominem ſanat; imperfecta autem eſt quæ hominem adiuuat, ſed tamen ſanare non poteſt.

Legis humanæ & diuinæ finis. Eſt autem ſciendum quòd eſt alius finis legis humanæ, & alius legis diuinæ: Legis enim humanæ finis, eſt temporalis tranquillitas ciuitatis; ad quem finem peruenit lex cohibendo exteriores actus, quantùm ad illa mala quæ poſſunt perturbare pacificum ſtatum ciuitatis. Finis autem legis diuinæ eſt perducere hominem ad finem felicitatis æternæ; qui quidem finis impeditur per quodcumque peccatum; & non ſolùm per actus exteriores, ſed etiam per interiores. Et ideo illud quod ſufficit ad perfectionem legis humanæ (vt ſcilicet peccata prohibeat & pœnam apponat) non ſufficit ad perfectionem legis diuinæ: ſed oportet quòd hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis æternæ; quod quidem fieri non poteſt niſi per gratiam Spiritus Sancti, per quam diffunditur charitas in cordibus noſtris, quæ legem adimplet.

Hanc autem gratiam lex vetus conferre non potuit, reſeruabatur enim hoc Chriſto, quia vt dicitur,
Lex per Moyſen data eſt, gratia & ve- *Ioan.* 1.
ritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et *v.* 17.
inde eſt quòd lex vetus bona quidem eſt, ſed imperfecta, ſecundùm *Hebr.* 7.
illud, *Nihil ad perfectum adducit* *v.* 19.
lex.

Ad 1. R. quòd Dominus loquitur ibi de præceptis cæremonialibus, quæquidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines à peccato mundarentur: cùm tamen per huiuſmo-

Digitized by Google

di ſe peccatores oſtenderent. Vnde ſignanter dicitur, *& iudicia in quibus non viuent*, id eſt, per quæ vitam gratiæ obtinere non poſſunt. Et poſtea ſubditur, *& pollui eos in muneribus ſuis*, id eſt, pollutos oſtendi; cùm offerrent omne quod aperit vuluam propter delicta ſua.

Ezech 20. v. 26

Nota quòd lex dicitur occidiſſe, non quidem effectiuè, ſed occaſionaliter ex ſua imperfectione: inquantum ſcilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere poſſent quod mandabat, vel vitare quod vetabat. Et ſic occaſio iſta non erat data, ſed ſumpta ab hominibus, vnde Apoſtolus ait, *Occaſione acceptâ peccatum per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.*

Rom. 7. v. 8.

Ex hac etiam ratione dicitur quòd lex ſubintrauit vt abundaret delictum, vt ly, *vt*, teneatur conſecutiuè, non cauſaliter, inquantum ſcilicet homines accipientes occaſionem à lege, abundantiùs peccauerunt. Tum quia grauius fuit peccatum poſt legis prohibitionem; tum etiam quia concupiſcentia creuit: magis enim concupiſcimus quod nobis prohibetur.

Ad 2. R. quòd iugum legis ſeruari non poterat ſine gratia adiuuante, quam lex non dabat; dicitur enim, *Non eſt volentis neque currentis*, ſcilicet velle & currere in præceptis Dei, *Sed miſerentis Dei.* Vnde dicitur, *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum*; ſcilicet per donum gratiæ & charitatis. 12. *q.* 98. *art.* 1.

Rom. 9. v. 16.

Pſ. 118. v. 32.

Non concupiſces. Arguitur, præcepta legis dantur de actibus hominum: ſed prior eſt actus cordis, quàm oris vel exterioris operis; ergo inconueniente ordine præcepta de non concupiſcendo, quæ pertinent ad cor, vltimò ponuntur.

R. quòd etſi peccatum cordis ſit priùs in executione, tamen eius prohibitio poſteriùs cadit in ratione. 12. *q.* 100. *art.* 6. *ad tertium.*

Non concupiſces. Arguitur: concupiſcentia dupliciter poteſt capi; vno modo ſecundùm quod eſt actus voluntatis, vt dicitur *Concupiſcentia ſapientiæ deduxit ad regnum perpetuum*: Alio modo ſecundùm quod eſt actus ſenſualitatis, ſicut dicitur *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs quæ militant in membris veſtris?* Sed per præceptum decalogi non prohibetur concupiſcentia ſenſualitatis; quia ſecundùm hoc primi motus eſſent peccata mortalia, vtpote contra præceptum decalogi exiſtentes. Similiter etiam non prohibetur concupiſcentia voluntatis; quia hæc includitur in quolibet præcepto; ergo inter præcepta decalogi inconuenienter ponuntur quædam concupiſcentiæ prohibitiua.

Sap. 6. v. 21.

Concupiſcentia duplex.

Iac. 4. v. 1.

R. quòd per præcepta prohibitiua concupiſcentiæ, non intelligitur prohiberi primus motus concupiſcentiæ, qui conſiſtit infra limites ſenſualitatis: ſed prohibetur directè conſenſus voluntatis, qui eſt in opus vel in delectationem. 22. *q.* 122. *art.* 6. *ad tertium.*

Non concupiſces. Videtur quòd voluntas & actio ſint diuerſa peccata; peccatum enim in aliquo actu conſiſtit; ergo vbi non eſt idem actus, non eſt idem peccatum: ſed non eſt idem actus voluntatis interior, & membrorum exterior;

Digitized by Google

ergo ſunt diuerſa peccata.

2. Peccatum dicitur ex hoc quòd legi Dei contrariatur: ſed diuerſis præceptis prohibetur actus interior, & exterior; hæc enim ſunt duo præcepta decalogi, *Non mœchaberis, non concupiſces*; ergo ſunt diuerſa peccata.

3. Si voluntas & actio ſunt vnum peccatum, hoc autem peccatum commiſſum eſt cùm aliquis voluntate in peccatum conſentit; ſequitur quòd cùm agit actum exteriorem, nullum peccatum committat; quod eſt inconueniens.

Sed contra, diuerſa peccata mortalia ſunt ſeorſum & diſtinctim confitenda; ſed non requiritur vt homo diſtinctim confiteatur voluntatem interiorem & actum exteriorem; ergo voluntas interior & actus exterior ſunt vnum peccatum.

Dicendum quòd voluntas interior dupliciter poteſt conſiderari: vno modo ſecundùm quod eſt actui exteriori coniuncta: & ſic eſt idem peccatum voluntas interior & actus exterior; cùm actus exterior rationem culpæ conſequatur ex hoc quòd eſt voluntarius.

Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm quod eſt ab actu diſtincta; vt ſi aliquis primò in fornicatione conſentiat; & poſtea eam actu exerceat, & ſic ſunt diuerſa peccata. Oportet enim quòd, quando actus exterior impletur, etiam interior voluntatis actus iteretur: & ſic ſunt ibi duo actus voluntatis, & per conſequens duo peccata. Et per hoc patet ſolutio ad obiecta. *Lib. 2. ſent ad Annibald. diſt. 43. art. 1. ſimile. lib. 2. ſent. diſt. 43. q. 1. art. 1.*

EXODI Cap. 20. v. 17.

Non ancillam.

Ancilla poteſt dupliciter concupiſci; vno modo ad concubitum, & ſic pertinet ad ſextum præceptum. Alio modo ad dominium, & ſic pertinet ad ſeptimum præceptum. *Lib. 3 ſent. diſt.* 40. *in expoſit. textus.*

EXODI Cap. 20. v. 19.

Non loquatur nobis Dominus.

Videtur quòd lex vetus non differat à noua per radicem timoris & amoris; differentia enim legis non attenditur ex diuerſitate obſeruantium legem, ſed potiùs è conuerſo; cùm lex ſit regula & menſura obſeruantium ipſam: ſed facere aliquid ex timore vel amore, contingit ex diuerſa diſpoſitione obſeruantium legem; ergo penes hoc duæ leges non diſtinguuntur.

2. Nullus fructuosè legem cuſtodit, niſi qui ex amore eam obſeruat: ſed in ſtatu veteris legis multi fuerunt qui eam fructuosè obſeruabant, vitam æternam ex hoc promerentes; ergo lex vetus & noua non diſtinguuntur per timorem & amorem.

3. Timor ſeruilis, qui contra amorem diuiditur, reſpicit pœnam: ſed maioris pœnæ comminatio fit in noua lege quàm in veteri, vt patet, *quantò putatis deteriora mereri ſupplicia, &c.* Ergo lex noua magis in timore conſiſtit quàm vetus. Hebr. 10. v. 29

Dicendum quòd ex ipſo modo legiſlationis apparet quòd lex vetus

eſt lex timoris, lex autem noua lex amoris: lex enim noua ex oſtenſione diuinę charitatis initium ſumpſit, quia in effuſione ſanguinis Ieſu Chriſti, qui fuit perfectiſſimę charitatis ſignum, nouum teſtamentum conſummatum eſt: lex autem vetus in oſtenſione diuinæ poteſtatis, quæ timorem incutit, initium ſumpſit: Vnde & in ipſa legiſlatione propter fulgura, voces, & tonitrua terror audientes inuaſit vt patet in textu. Et ideo vetus lex homines præcipuè inducebat per comminationem pœnarum; Noua verò lex per beneficia exhibita & ſperanda: & hoc ſatis competebat ſtatui humani generis, vt priùs quaſi rudis populus per timorem pœnæ cogeretur; poſtmodum verò per amorem in bono perficeretur. Sicut enim timor eſt via ad amorem, ita lex vetus ad nouam.

Ad 1. R. quòd iſta differentia non tantùm ſumitur ex parte obſeruantium legem, ſed ex modo editionis legis, vt dictum eſt.

Ad 2. R. quòd illi qui in veteri lege ex amore legem obſeruauerunt, perfecti erant, vnde ad legem nouam pertinebant, in qua eſt ſtatus perfectionis.

Ad 3 R. quòd quamuis lex noua maiora ſupplicia comminetur, tamen comminatio ſuppliciorum non eſt principalis inductio in legem nouam, ſicut erat in lege veteri; ſed magis promiſſio præmiorum, & commemoratio beneficiorum, quæ ad amorem incitant. Et ideo lex noua non timorem, ſed amorem, principalem radicem habet. *Lib. 3. ſent. diſt. 40. q. 1. art. 4.*

EXODI Cap. 20. *v.* 24.

Altare de terra facietis mihi.

ET iterum. *Non aſcendes ad altare meum per gradus*: inconuenienter igitur mandatur poſtmodum altare fieri de lignis auro, vel ære contextis, & tantæ altitudinis; vt ad illud niſi per gradus aſcendi non poſſit. Dicitur enim. *Facies altare de lignis Sethim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, & tres cubitos in altitudine, & operies illud ære.* Et, *Facies altare ad adolendum thymiata de lignis Sethim, veſtieſque illud auro puriſſimo.* *Ex. 20. v. 26.* *Ex. 27. v. 1.* *Ex. 30. v. 1.*

R. quòd Dominus præcepit altare conſtrui ad ſacrificia & munera offerenda in honorem Dei, & ſuſtentationem miniſtrorum qui tabernaculo deſeruiebant. De conſtructione autem altaris datur à Domino duplex præceptum: vnum quidem in principio legis, vt patet in textu, vel ſaltem altare de lapidibus non ſectis; & iterum quòd non facerent altare excluſum, ad quod oporteret per gradus aſcendere: & hoc ad deteſtandum idololatriæ cultum; gentiles enim idolis conſtruebant altaria ornata & ſublimia, in quibus credebant aliquid ſanctitatis & numinis eſſe. Propter quod etiam Dominus mandauit, *Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Idololatræ enim conſueuerunt ſub arboribus ſacrificare, propter amœnitatem & vmbroſitatem. *Deut. 16. v. 21.*

Quorum etiam præceptorum ratio figuralis fuit; quia in Chriſto,

Digitized by Google

qui eſt noſtrum altare, debemus confiteri veram carnis naturam quantùm ad humanitatem; quod eſt altare de terra facere. Et quantùm ad diuinitatem, debemus in eo confiteri patris æqualitatem, quod eſt non aſcendere per gradus ad altare.

Nec etiam iuxta Chriſtum debemus admittere doctrinam gentilium ad laſciuiam prouocantem. Sed facto tabernaculo ad honorem Dei, non erant timendæ huiuſmodi occaſiones idololatriæ. Et ideo Dominus mandauit quòd fieret altare holocauſtorum de ære, quod eſſet omni populo conſpicuum: & altare thymiamatis de auro, quod ſoli ſacerdotes videbant. Nec tanta erat pretioſitas æris, vt per eius copiam populus ad aliquam idololatriam prouocaretur.

Sed quia ponitur pro ratione huius præcepti, *Non aſcendes per gradus ad altare meum*, id quod ſubditur, *ne reueletur turpitudo tua*: Conſiderandum eſt quòd hoc etiam fuit inſtitutum ad excludendam idololatriam: nam in ſacris Priapi ſua pudenda gentiles populo denudabant. Poſtmodum autem indictus eſt ſacerdotibus feminalium vſus ad tegmen pudendorum: & ideo ſine periculo inſtitui poterat tanta altaris altitudo, vt per aliquos gradus ligneos non ſtantes, ſed portatiles in hora ſacrificii ſacerdotes ad altare aſcenderent ſacrificia offerentes. 1. 2. q. 102. *art.* 4. *ad ſeptimum.*

Altare de terra. Arguitur, veritas debet reſpondere figuræ; ſed in veteri Teſtamento quod gerebat figuram noui, non fiebat altare de lapidibus ſectis, vt patet in textu. Item, mandatur fieri *Altare de lignis Sethim veſtitis ære, vel etiam auro*; Ex. 27. v. 1.
ergo videtur inconuenienter obſeruari in Eccleſia quòd altare fiat ſolùm de lapide.

R. quòd lapis competit ſignificationi huius ſacramenti, tum quia altare ſignificat Chriſtum, de quo dicitur *Petra autem erat Chriſtus*; 1 Cor. 10. v. 4.
tum etiam quia corpus Chriſti in ſepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad vſum ſacramenti; lapis enim & ſolidus eſt, & de facili poteſt inueniri vbique; quod non erat neceſſarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco altare.

Quod autem mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus inſectis, fuit ad idololatriam remouendam. 3. *p.* *q.* 83. *art.* 3. *ad quintum.* *V. Lib.* 4. *ſent. diſt.* 13. *art.* 2.

EXODI, Cap. 20. *v.* 26.

Non aſcendes ad altare meum per gradus.

ID eſt, in Trinitate gradus non facies. 3. *p.* *q.* 83. *art.* 4. *ad nonum.* *Idem locus explicatur ſupra Ex.* 20. *v.* 24.

EXODI. Cap. XXI. *v.* 2.

Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis.

VIdetur quod inconuenienter lex vetus præcepta ediderit circa perſonas domeſticas; ſeruus enim id quod eſt, Domini eſt: ſed id quod eſt alicuius, perpetuò eius eſſe debet; ergo

Digitized by Google

inconuenienter lex mandauit quòd ſerui ſeptimo anno liberi abſcederent.

2. Sicut animal aliquod, vt aſinus aut bos, eſt poſſeſſio Domini, ita etiam ſeruus: ſed de animalibus præcipitur quod reſtituantur Dominis ſuis, ſi errare inueniantur;
Deut. 22. v. 1. inconuenienter ergo mandat, *Non tradas ſeruum Domino ſuo, qui ad te*
Deut. 23. v. 15. *confugerit.*

3. Lex diuina debet magis ad miſericordiam prouocare quàm etiam lex humana: ſed ſecundùm leges humanas grauiter puniuntur qui nimis aſperè affligunt ſeruos, aut ancillas. Aſperrima autem videtur eſſe afflictio ex qua ſequitur mors; inconuenienter igitur ſtatuitur,
Ex. 21. v. 21. quòd *qui percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam virga, ſi vno die ſuperuixerit, non ſubiacerit pœnæ; quia pecunia illius eſt.*

4. Alius eſt principatus Domini ad ſeruum & patris ad filium: ſed hoc ad principatum Domini ad ſeruum pertinet, vt aliquis ſeruum vel ancillam vendere poſſit; inconuenienter igitur lex permiſit quòd aliquis venderet filiam ſuam in famulam vel ancillam.

5. Pater habet ſui filii poteſtatem: ſed eius eſt punire exceſſus qui habet poteſtatem ſuper peccatum; inconuenienter igitur mandatur quòd
Deut. 21. v 19. *Pater ducat filium ſuum ad ſeniores ciuitatis puniendum.*

Deut. 7. v. 3. 6. Dominus prohibuit vt cum alienigenis non ſociarent coniugia,
1. Eſdræ. 10 v. 11. & coniuncta etiam ſepararent, vt patet; inconuenienter igitur conceditur eis vt captiuas alienigena-
Deut. 21. v. 13. rum ducere poſſint vxores.

7. Dominus in vxoribus ducendis quoſdam conſanguinitatis & affinitatis gradus præcepit eſſe vitandos, vt patet; inconuenienter igitur mandatur quòd ſi aliquis eſſet mortuus abſque liberis, vxorem ipſius frater eius acciperet. Leu. 18 v. 6. Deut. 25. v. 5.

8. Inter virum & vxorem ſicut eſt maxima familiaritas, ita debet eſſe fides firmiſſima: ſed hoc non poteſt eſſe ſi matrimonium diſſolubile fuerit; inconuenienter igitur Deut. 24. v. 1.
Dominus permiſit quòd aliquis poſſet vxorem dimittere ſcripto libello repudii, & quòd etiam vlteriùs eam recuperare non poſſet.

9. Sicut vxor poteſt frangere fidem marito, ita etiam ſeruus Domino, & filius patri: ſed ad inueſtigandam iniuriam ſerui in Dominum, vel filii in patrem, non eſt inſtitutum in lege aliquod ſacrificium; ſuperfluè igitur videtur inſtitui ſacrificium Zelotypiæ ad in- Num. 5.
ueſtigandum vxoris adulterium. v. 12.

Dicendum quòd communio domeſticarum perſonarum ad inuicem, eſt ſecundùm quotidianos actus qui ordinantur ad neceſſitatem vitæ. Vita autem hominis conſeruatur dupliciter; vno modo quantùm ad indiuiduum, prout ſcilicet homo idem numero viuit; & ad talem vitæ conſeruationem opitulantur hominis exteriora bona, ex quibus homo habet victum & veſtitum & alia huiuſmodi neceſſaria vitæ, in quibus adminiſtrandis indiget homo ſeruis.

Alio modo conſeruatur vita hominis ſecundùm ſpeciem per generationem, ad quam indiget homo vxore, vt ex ea generet filium. Sic igitur in domeſtica communione ſunt tres combinationes, ſcilicet Domini ad ſeruum, viri ad vxorem, patris ad filium. Et quantùm ad

omnia

omnia iſta lex vetus conuenientia præcepta tradidit.

Nam quantùm ad ſeruos inſtituit vt modeſtè tractarentur, & quantùm ad labores, ne ſcilicet immoderatis laboribus affligerentur. Vnde Dominus mandauit, *vt in die ſabbati requieſceret ſeruus & ancilla tua ſicut & tu.* (Deut. 5. v. 14.) Iterum quantùm ad pœnas infligendas, impoſuit enim mutilatoribus ſeruorum, *vt dimitterent eos liberos.* (Ex. 21. v. 21.) Et ſimile etiam ſtatuit in ancilla, quam in vxorem aliquis duxerit. Statuit etiam ſpecialiter circa ſeruos qui erant ex populo, vt ſeptimo anno liberi egrederentur cum omnibus quæ apportauerant, etiam veſtimentis, vt patet in textu. Mandauit etiam inſuper *vt eis detur viaticum.* (Deut. 15. v. 14)

Circa vxores verò ſtatuitur in lege quantùm ad vxores ducendas, vt ſcilicet *Ducant vxores ſua tribus.* (Num. ult. v. 7.) Et hoc ideo ne ſortes tribuum confundantur. Et quòd aliquis *In vxorem ducat vxorem fratris defuncti ſine liberis.* (Deut. 25. v. 5.) Et hoc ideo vt ille qui non potuit habere ſucceſſores ſecundùm carnis originem, ſaltem habeat per quandam aptionem; & ſic non totaliter memoria defuncti deleatur. Prohibuit etiam quaſdam perſonas ne in coniugium ducerentur, ſcilicet alienigenas propter periculum ſeductionis, & propinquas propter reuerentiam naturalem, quæ eis debetur.

Statuit etiam qualiter vxores iam ductæ tractari deberent, vt ſcilicet non leuiter infamarentur. Vnde mandatur *Puniri ille qui falſo crimen imponit vxori.* (Deut. 22. v. 18.) Et quòd etiam *propter vxoris odium, filius detrimentum non pateretur.* (Deut. 21. v. 17.) Et etiam quòd propter odium, vxorem non affligeret, ſed potiùs *Scripto libello eam dimitteret.* (Deut. 24. v. 1.) Et vt etiam maior dilectio inter coniuges à principio contrahatur, præcipitur quòd cùm nuper aliquis vxorem acceperit, nihil ei publicæ neceſſitatis iniungatur; vt liberè poſſit lætari cum vxore ſua.

Circa filios autem inſtituit vt patres eis diſciplinam adhiberent, inſtituendo eos in fide. Vnde dicitur *Cùm dixerint vobis filij veſtri quæ eſt iſta religio? dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt.* (Ex. 12. v. 26.) Et quòd etiam inſtruerent eos in moribus. Vnde dicitur quod patres dicere debent, *Monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat & luxuriæ atque conuiuijs.* (Deut. 21. v. 20)

Ad 1. R. quòd quia filii Iſraël erant à Domino de ſeruitute liberati, & per hoc diuinæ ſeruituti addicti; noluit Dominus vt in perpetuum ſerui eſſent: vnde dicitur, *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum; ſed quaſi mercenarius & colonus erit: mei enim ſunt ſerui, & ego eduxi eos de terra Ægypti, vt non veneant conditione ſeruorum.* (Leu. 25. v. 39.) Et ideo quia ſimpliciter ſerui non erant, ſed ſecundum quid, finito tempore dimittebantur liberi.

Ad 2. R. quòd mandatum illud intelligitur de ſeruo qui à Domino quæritur ad occidendum, vel ad aliquod peccati miniſterium.

Ad 3. R. quòd circa læſiones ſeruis illatas, lex conſideraſſe videtur vtrum ſit certa vel incerta. ſi enim læſio certa eſſet, lex pœnam adhibuit: pro mutilatione quidem amiſſionem ſerui, qui mandabatur libertati donandus. Pro morte au-

Bibliothec. S. Mⁱ. Transp. D'Vale

Digitized by Google

tem homicidii pœnam, eùm ſeruus in manu Domini verberantis moreretur. Si verò læſio non eſſet certa, ſed aliquam apparentiam haberet, lex nullam pœnam infligebat in proprio ſeruo; putà eùm percuſſus ſeruus non ſtatim moriebatur, ſed poſt aliquos dies. Incertum enim erat vtrum ex percuſſione mortuus eſſet; quia ſi percuſſiſſet liberum hominem, ita tamen quòd ſtatim non moreretur, ſed ſuper baculum ſuum ambularet, non erat homicidii reus, qui percuſſerat; etiam ſi poſtea moreretur: tenebatur tamen ad impenſas ſoluendas, quas percuſſus in medicos fecerat. Sed hoc in ſeruo proprio locũ non habebat; quia quicquid ſeruus habebat, & etiam ipſa perſona ſerui, erat quædam poſſeſſio Domini: & ideo pro cauſa aſſignatur quare non ſubiaceat pœnæ pecuniariæ, *quia pecunia illius eſt.*

Ad 4. R. quòd nullus Iudæus poterat poſſidere Iudæum quaſi ſimpliciter ſeruum: ſed erat ſeruus ſecundùm quid, quaſi mercenarius vſque ad tempus. Et per hunc modum permittebat lex quòd paupertate cogente aliquis vel filium, vel filiam venderet; & hoc etiam verba ipſius legis oſtendunt, dicit enim, *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut exire ancillæ conſueuerunt.* Per hunc etiam modum non ſolùm filium ſuum, ſed etiam ſeipſum aliquis vendere poterat magis quaſi mercenarium, quàm quaſi ſeruum, ſecundùm illud, *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit.* *Leu.* 25. *v.* 39.

Ad 5. R. quòd principatus paternus habet ſolùm admonendi poteſtatem, non autem habet vim coactiuam, per quam rebelles & contumaces comprimi poſſunt. Et ideo in hoc caſu lex mandabat vt filius contumax à principibus ciuitatis puniretur.

Ad 6. R. quòd Dominus alienigenas prohibuit in matrimonium duci, propter periculum ſeductionis, ne inducerentur in idololatriam; & ſpecialiter hoc prohibuit de illis gentibus quæ in vicino habitabant; de quibus erat magis probabile quòd ſuos ritus retinerent: Si quæ verò idololatriæ cultum dimittere vellet, & ad legis cultum ſe transferre, poterat in matrimonium duci, ſicut patet de Ruth, quam duxit Booz in vxorem. Vnde ipſa dixerat ſocrui ſuæ, *Populus tuus, Populus meus, Deus tuus, Deus meus.* *Ruth.* 1. *v.* 16. Et ideo captiua non aliter permittebatur in vxorem duci, niſi priùs raſâ cæſarie, & circuncisis vnguibus, & depoſitâ veſte in qua capta eſt, & fleret patrem & matrem; per quæ ſignificatur idololatriæ perpetua abiectio.

Ad 7 R. quòd quia immitigabile malum erat mors apud Iudæos, qui omnia pro præſenti vita faciebant, ſtatutum fuit, vt defuncto filius naſceretur ex fratre, quod erat quædam mortis mitigatio. Non autem alius quàm frater vel propinquus iubebatur accipere vxorem defuncti, quia non ita crederetur qui ex tali coniunctione erat naſciturus, eſſe eius filius qui obiit. Et iterum extraneus non ita haberet neceſſitatem ſtatuere domum eius qui obierat, ſicut frater; cui etiam ex cognatione hoc facere iuſtum erat. Ex quo patet quòd frater in accipiendo

Digitized by Google

vxorem fratris ſui, perſonâ fratris ſui defuncti fungebatur.

Ad 8. R. quòd lex permiſit repudium vxoris, non quia ſimpliciter iuſtum eſſet, ſed propter Iudæorum duritiam.

Ad 9. R. quòd vxores fidem matrimonii frangunt per adulterium, & de facili propter delectationem, & latenter: non autem eſt ſimilis ratio de filio ad patrem, vel de ſeruo ad dominum; quia talis infidelitas non procedit ex tali concupiſcentia delectationis, ſed magis ex malitia quæ non poteſt ita latere, ſicut infidelitas mulieris adulteræ. 12. *q.* 105. *art.* 4.

Exodi Cap. 21. v. 4.

Mulier & liberi eius erunt domini ſui, ipſe verò exibit.

Videtur quòd filii debeant ſequi conditionem patris; quia denominatio fit à digniori: ſed pater in generatione eſt dignior, quàm mater; ergo.

2. Eſſe rei magis dependet à forma quàm à materia: ſed in generatione pater dat formam, mater materiam; ergo.

3. Illud præcipuè debet aliquid ſequi cui magis ſimilatur: ſed filius plus ſimilatur patri quàm matri, ſicut & filia plus matri; ergo ad minus filius deberet ſequi patrem, & filia matrem.

4. In S. Scriptura non computatur genealogia per mulieres, ſed per viros; ergo proles magis ſequitur patrem quàm matrem.

Sed contra, ſi quis ſeminat in terra aliena, fructus ſunt eius cuius eſt terra: ſed venter mulieris reſpectu ſeminis viri eſt ſicut terra reſpectu ſementis; ergo.

Præterea, in aliis animalibus hoc videmus, quæ ex diuerſis ſpeciebus naſcuntur, quòd partus magis ſequitur matrem quàm patrem: vnde muli qui naſcuntur ex equa & aſino, magis ſimilantur equis, quàm illi qui naſcuntur ex aſina & equo; ergo ſimiliter debet eſſe in hominibus.

Dicendum quòd ſecundùm leges ciuiles partus ſequitur ventrem, & hoc rationabiliter, quia proles habet à patre complementum formale, ſed à matre ſubſtantiam corporis. Seruitus autem corporalis conditio eſt, cùm ſeruus ſit quaſi inſtrumentum domini in operando; & ideo proles in libertate & ſeruitute ſequitur matrem.

Sed in his quæ pertinent ad dignitatem, quæ eſt forma rei, ſequitur patrem, ſicut in honoribus & municipiis, & hæreditate & aliis. Et huic etiam concordant Canones, & lex Moyſi; vt patet in textu.

In quibuſdam tamen terris, quæ iure ciuili non reguntur, partus ſequitur deteriorem conditionem; vt ſi pater ſit ſeruus, quamuis mater ſit libera, erunt filii ſerui; non tamen ſi poſt peractũ matrimonium pater ſe in ſeruum dedit nolente vxore; & ſimiliter ſi ſit è conuerſo. Si autem vterque ſit ſeruilis conditionis, & pertineant ad diuerſos dominos, tunc diuidunt filios, ſi plures ſunt; vel ſi vnus tantùm, vnus alteri recompenſabit de pretio, & accipiet prolem natam in ſui ſeruitium.

Tamen non eſt credibile quòd talis conſuetudo poſſit eſſe ita rationabilis, ſicut illud quòd multo-

rum ſapientium diuturno ſtudio determinatum eſt

Hoc etiam in naturalibus inuenitur, quod receptum eſt in recipiente per modum recipientis, & non per modum dantis: & ideo rationabile eſt quòd ſemen receptum in muliere, ad conditionem ipſius trahatur.

Ad 1. R. quòd quamuis pater ſit dignius principium, tamen mater dat ſubſtantiam corporalem; ex parte cuius attenditur conditio ſeruitutis.

Ad 2. R. quòd in his quæ ad rationem ſpeciei pertinent, magis ſimilatur filius patri quàm matri: ſed in materialibus conditionibus magis debet ſimilari matri quàm patri, quia res habet à forma eſſe ſpecificum, ſed conditiones materiales à materia.

Ad 3. R. quòd filius aſſimilatur patri ratione formæ, quam habet in ſui complemento, ſicut & pater: & ideo ratio non eſt ad propoſitum.

Ad 4. R. quòd quia honor filii magis eſt ex patre quàm ex matre, ideo in genealogiis in ſcripturis, & ſecundùm communem conſuetudinem magis nominantur filii à patre quàm à matre. Tamen in his quæ ad ſeruitutem ſpectant, magis matrem ſequuntur. *Lib. 4. ſent. diſt. 36. art. 3.*

EXODI Cap. 21. v. 7.

Si quis vendiderit filiam,

EXplicatur ſupra. *Ex. 21. v. 2. ad quartum.*

EXODI Cap. 21. v. 21.

Qui percuſſerit ſeruum.

EXplicatur ſupra *Exod. 21. verſ. 2.*

EXODI Cap. 21. v. 22.

Si quis percuſſerit mulierem prægnantem.

EXplicatur ſuprà. *Geneſis.* 4. *v.* 23.

EXODI Cap. 21. v. 23.

Reddet animam pro anima.

VIdetur quòd iuſtum ſit ſimpliciter idem quòd contrapaſſum, iudicium enim diuinum eſt ſimpliciter iuſtum: ſed hæc eſt forma diuini iudicii vt ſecundùm quod aliquis fecit, patiatur, ſecundùm illud, *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*; ergo iuſtum eſt ſimpliciter idem quòd contrapaſſum. *Matth. 7. v. 2.*

2. In vtraque iuſtitiæ ſpecie datur aliquid alicui ſecundùm quandam æqualitatem, in reſpectu quidem ad dignitatem perſonæ, in iuſtitia diſtributiua; quæquidem perſonæ dignitas maximè videtur attendi ſecundùm opera, quibus aliqui communitati ſeruiunt: in reſpectu autem ad rem in qua quis damnificatus eſt, in iuſtitia commutatiua. Secundùm autem vtramque æqualitatem aliquis contrapatitur ſecundùm quod fecit; ergo videtur quòd iuſtum ſimpliciter ſit idem quod contrapaſſum.

3. Maximè videtur quòd non oporteat aliquem contrapati ſe-

Digitized by Google

cundùm quod fecit, propter differentiam voluntarii & inuoluntarii. Qui enim inuoluntariè fecit iniuriam, minùs punitur: ſed voluntarium & inuoluntarium, quæ accipiuntur ex parte noſtra, non diuerſificant medium iuſtitiæ; quod eſt medium rei, & non quoad nos; ergo iuſtum ſimpliciter videtur eſſe idem quod contrapaſſum.

Dicendum quòd hoc quod dicitur contrapaſſum, importat æqualem recompenſationem paſſionis ad actionem præcedentem. Quod quidem propriiſſimè dicitur in paſſionibus & actionibus iniurioſis, quibus aliquis perſonam proximi lædit; putà ſi percutit quòd repercutiatur. Et hoc quidem iuſtum determinatur in lege, vt patet in textu.

Et quia etiam auferre rem alterius, eſt quoddam iniuſtum facere; ideo ſecundariò etiam in his dicitur contrapaſſum, prout ſcilicet aliquis qui damnum intulit, in re ſua etiam ipſe damnificatur. Et hoc etiam iuſtum damnum continetur in lege,
Ex. 22. v. 1. *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet; & quatuor oues pro vna oue.*

Tertiò verò transfertur nomen contrapaſſi ad voluntarias commutationes, in quibus vtriuſque eſt actio & paſſio; ſed voluntarium diminuit de ratione paſſionis.

In omnibus autem his debet fieri ſecundùm rationem iuſtitiæ commutatiuæ recompenſatio ſecundùm æqualitatem, vt ſcilicet paſſio recompenſata ſit æqualis actioni: non autem ſemper eſſet æqualis, ſi idem ſpecie aliquis pateretur quod fecit: nam primò quidem cùm aliquis iniurioſè lædit alterius perſonam maiorem, maior eſt actio quàm paſſio eiuſdem ſpeciei quam ipſe patetetur. Et ideo ille qui percutit principem, non ſolùm repercutitur, ſed multò grauiùs punitur.

Similiter etiam cùm quis aliquem inuoluntarium in re ſua damnificat, maior eſt actio quàm eſſet paſſio, ſi ſibi ſola res illa auferretur; quia ipſe qui damnificauit alium in re ſua, nihil damnificaretur. Et ideo punitur in hoc quòd multipliciùs reſtituat; quia etiam non ſolùm damnificauit perſonam priuatam, ſed rem publicam, eius tutelæ ſecuritatem infringendo.

Similiter etiam nec in commutationibus voluntariis eſſet ſemper æqualis paſſio, ſi quis daret rem ſuam, accipiens rem alterius; quia fortè res alterius eſt multò maior quàm ſua. Et ideo oportet ſecundùm quandam proportionatam commenſurationem adæquare paſſionem actioni in commutationibus, ad quod inuenta ſunt numiſmata. Et ſic contrapaſſum eſt commutatiuum iuſtum. Quod in diſtributiua iuſtitia locum non habet, quia in diſtributiua non attenditur æqualitas ſecundùm proportionem rei ad rem, vel paſſionis ad actionem: vnde dicitur contrapaſſum, ſed ſecundùm proportionalitatem rerum ad perſonas.

Ad 1. R. quòd illa forma diuini iudicii attenditur ſecundùm rationem commutatiuæ iuſtitiæ, prout ſcilicet recompenſat præmia meritis, & ſupplicia peccatis.

Ad 2. R. quòd ſi alicui qui communitati ſeruiſſet, retribueretur aliquid pro ſeruitio impenſo, non eſſet hoc diſtributiuæ iuſtitiæ, ſed

Digitized by Google

di ſe peccatores oſtenderent. Vnde ſignanter dicitur, *& iudicia in quibus non viuent*, id eſt, per quæ vitam gratiæ obtinere non poſſunt.
Ezech 20.v.26 Et poſtea ſubditur, *& pollui eos in muneribus ſuis*, id eſt, pollutos oſtendi; cùm offerrent omne quod aperit vuluam propter delicta ſua.

Nota quòd lex dicitur occidiſſe, non quidem effectiuè, ſed occaſionaliter ex ſua imperfectione: inquantum ſcilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere poſſent quod mandabat, vel vitare quod vetabat. Et ſic occaſio iſta non erat data, ſed ſumpta ab hominibus, vnde Apoſtolus ait, *Oc-*
Rom. 7. v. 8. *caſione acceptâ peccatum per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.*

Ex hac etiam ratione dicitur quòd lex ſubintrauit vt abundaret delictum, vt ly, *vt*, teneatur conſecutiuè, non cauſaliter, inquantum ſcilicet homines accipientes occaſionem à lege, abundantiùs peccauerunt. Tum quia grauius fuit peccatum poſt legis prohibitionem; tum etiam quia concupiſcentia creuit: magis enim concupiſcimus quod nobis prohibetur.

Ad 2. R. quòd iugum legis ſeruari non poterat ſine gratia adiuuante, quam lex non dabat; dicitur enim,
Rom. 9. v. 16. *Non eſt volentis neque currentis*, ſcilicet velle & currere in præceptis Dei, *Sed miſerentis Dei.*
Pſ. 118. v. 32. Vnde dicitur, *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum*; ſcilicet per donum gratiæ & charitatis. 12. *q.* 98. *art.* 1.

Non concupiſces. Arguitur, præcepta legis dantur de actibus hominum: ſed prior eſt actus cordis, quàm oris vel exterioris operis; ergo inconueniente ordine præcepta de non concupiſcendo, quæ pertinent ad cor, vltimò ponuntur.

R. quòd etſi peccatum cordis ſit priùs in executione, tamen eius prohibitio poſteriùs cadit in ratione. 12. *q.* 100. *art.* 6. *ad tertium.*

Non concupiſces. Arguitur: concupiſcentia dupliciter poteſt capi; vno modo ſecundùm quod eſt actus voluntatis, vt dicitur *Concupiſcentia* Sap. 6. v. 21.
ſapientiæ deduxit ad regnum perpetuum: Alio modo ſecundùm quod Concupiſcentia duplex.
eſt actus ſenſualitatis, ſicut dicitur *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs quæ militant in membris veſtris?* Iac. 4. v. 1. Sed per præceptum decalogi non prohibetur concupiſcentia ſenſualitatis; quia ſecundùm hoc primi motus eſſent peccata mortalia, vtpote contra præceptum decalogi exiſtentes. Similiter etiam non prohibetur concupiſcentia voluntatis; quia hæc includitur in quolibet præcepto; ergo inter præcepta decalogi inconuenienter ponuntur quædam concupiſcentiæ prohibitiua.

R. quòd per præcepta prohibitiua concupiſcentiæ, non intelligitur prohiberi primus motus concupiſcentiæ, qui conſiſtit infra limites ſenſualitatis: ſed prohibetur directè conſenſus voluntatis, qui eſt in opus vel in delectationem. 22. *q.* 122. *art.* 6. *ad tertium.*

Non concupiſces. Videtur quòd voluntas & actio ſint diuerſa peccata; peccatum enim in aliquo actu conſiſtit; ergo vbi non eſt idem actus, non eſt idem peccatum: ſed non eſt idem actus voluntatis interior, & membrorum exterior;

Digitized by Google

ergo ſunt diuerſa peccata.

2. Peccatum dicitur ex hoc quòd legi Dei contrariatur: ſed diuerſis præceptis prohibetur actus interior, & exterior; hæc enim ſunt duo præcepta decalogi, *Non mœchaberis, non concupiſces*; ergo ſunt diuerſa peccata.

3. Si voluntas & actio ſunt vnum peccatum, hoc autem peccatum commiſſum eſt cùm aliquis voluntate in peccatum conſentit; ſequitur quòd cùm agit actum exteriorem, nullum peccatum committat; quod eſt inconueniens.

Sed contra, diuerſa peccata mortalia ſunt ſeorſum & diſtinctim confitenda: ſed non requiritur vt homo diſtinctim confiteatur voluntatem interiorem & actum exteriorem; ergo voluntas interior & actus exterior ſunt vnum peccatum.

Dicendum quòd voluntas interior dupliciter poteſt conſiderari: vno modo ſecundùm quod eſt actui exteriori coniuncta: & ſic eſt idem peccatum voluntas interior & actus exterior; cùm actus exterior rationem culpæ conſequatur ex hoc quod eſt voluntarius.

Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm quod eſt ab actu diſtincta; vt ſi aliquis primò in fornicatione conſentiat; & poſtea eam actu exerceat, & ſic ſunt diuerſa peccata. Oportet enim quòd, quando actus exterior impletur, etiam interior voluntatis actus iteretur: & ſic ſunt ibi duo actus voluntatis, & per conſequens duo peccata. Et per hoc patet ſolutio ad obiecta. *Lib. 2. ſent ad Annibald. diſt.* 43. *art.* 1. *ſimile. lib.* 2. *ſent. diſt.* 43. *q.* 1. *art.* 1.

EXODI Cap. 20. v. 17.

Non ancillam.

ANcilla poteſt dupliciter concupiſci; vno modo ad concubitum, & ſic pertinet ad ſextum præceptum. Alio modo ad dominium, & ſic pertinet ad ſeptimum præceptum. *Lib.* 3 *ſent. diſt.* 40. *in expoſit. textus.*

EXODI Cap. 20. v. 19.

Non loquatur nobis Dominus.

VIdetur quòd lex vetus non differat à noua per radicem timoris & amoris; differentia enim legis non attenditur ex diuerſitate obſeruantium legem, ſed potiùs è conuerſo; cùm lex ſit regula & menſura obſeruantium ipſam: ſed facere aliquid ex timore vel amore, contingit ex diuerſa diſpoſitione obſeruantium legem; ergo penes hoc duæ leges non diſtinguuntur.

2. Nullus fructuosè legem cuſtodit, niſi qui ex amore eam obſeruat: ſed in ſtatu veteris legis multi fuerunt qui eam fructuosè obſeruabant, vitam æternam ex hoc promerentes; ergo lex vetus & noua non diſtinguuntur per timorem & amorem.

3. Timor ſeruilis, qui contra amorem diuiditur, reſpicit pœnam: ſed maioris pœnæ comminatio fit in noua lege quàm in veteri, vt patet, *quantò putatis deteriora mereri ſupplicia, &c.* Ergo lex noua magis in timore conſiſtit quàm vetus. *Hebr.* 10. v. 29

Dicendum quòd ex ipſo modo legiſlationis apparet quòd lex vetus

eſt lex timoris, lex autem noua lex amoris: lex enim noua ex oſtenſione diuinę charitatis initium ſumpſit, quia in effuſione ſanguinis Ieſu Chriſti, qui fuit perfectiſſimę charitatis ſignum, nouum teſtamentum conſummatum eſt: lex autem vetus in oſtenſione diuinæ poteſtatis, quæ timorem incutit, initium ſumpſit: Vnde & in ipſa legiſlatione propter fulgura, voces, & tonitrua terror audientes inuaſit vt patet in textu. Et ideo vetus lex homines præcipuè inducebat per comminationem pœnarum; Noua verò lex per beneficia exhibita & ſperanda: & hoc ſatis competebat ſtatui humani generis, vt priùs quaſi rudis populus per timorem pœnæ cogeretur; poſtmodum verò per amorem in bono perficeretur. Sicut enim timor eſt via ad amorem, ita lex vetus ad nouam.

Ad 1. R. quòd iſta differentia non tantùm ſumitur ex parte obſeruantium legem, ſed ex modo editionis legis, vt dictum eſt.

Ad 2. R. quòd illi qui in veteri lege ex amore legem obſeruauerunt, perfecti erant, vnde ad legem nouam pertinebant, in qua eſt ſtatus perfectionis.

Ad 3. R. quòd quamuis lex noua maiora ſupplicia comminetur, tamen comminatio ſuppliciorum non eſt principalis inductio in legem nouam, ſicut erat in lege veteri; ſed magis promiſſio præmiorum, & commemoratio beneficiorum, quæ ad amorem incitant. Et ideo lex noua non timorem, ſed amorem, principalem radicem habet. *Lib. 3. ſent. diſt. 40. q. 1. art. 4.*

EXODI Cap. 20. *v.* 24.

Altare de terra facietis mihi.

ET iterum. *Non aſcendes ad altare meum per gradus*: inconue- *Ex. 20. v. 26.*
nienter igitur mandatur poſtmodum altare fieri de lignis auro, vel ære contextis, & tantæ altitudinis; vt ad illud niſi per gradus aſcendi non poſſit. Dicitur enim. *Facies* *Ex. 27. v. 1.*
altare de lignis Sethim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, & tres cubitos in altitudine, & operies illud ære. Et, *Ex. 30. v. 1.*
Facies altare ad adolendum thymiata de lignis Sethim, veſtieſque illud auro puriſſimo.

R. quòd Dominus præcepit altare conſtrui ad ſacrificia & munera offerenda in honorem Dei, & ſuſtentationem miniſtrorum qui tabernaculo deſeruiebant. De conſtructione autem altaris datur à Domino duplex præceptum: vnum quidem in principio legis, vt patet in textu, vel ſaltem altare de lapidibus non ſectis; & iterum quòd non facerent altare excluſum, ad quod oporteret per gradus aſcendere: & hoc ad deteſtandum idololatriæ cultum; gentiles enim idolis conſtruebant altaria ornata & ſublimia, in quibus credebant aliquid ſanctitatis & numinis eſſe. Propter quod etiam Dominus mandauit, *Non plantabis lucum &* *Deut. 16. v. 21.*
omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui. Idololatræ enim conſueuerunt ſub arboribus ſacrificare, propter amœnitatem & vmbroſitatem.

Quorum etiam præceptorum ratio figuralis fuit; quia in Chriſto,

Digitized by Google

qui eſt noſtrum altare, debemus confiteri veram carnis naturam quantùm ad humanitatem; quod eſt altare de terra facere. Et quantùm ad diuinitatem, debemus in eo confiteri patris æqualitatem, quod eſt non aſcendere per gradus ad altare.

Nec etiam iuxta Chriſtum debemus admittere doctrinam gentilium ad laſciuiam prouocantem. Sed facto tabernaculo ad honorem Dei, non erant timendæ huiuſmodi occaſiones idololatriæ. Et ideo Dominus mandauit quòd fieret altare holocauſtorum de ære, quod eſſet omni populo conſpicuum: & altare thymiamatis de auro, quod ſoli ſacerdotes videbant. Nec tanta erat pretioſitas æris, vt per eius copiam populus ad aliquam idololatriam prouocaretur.

Sed quia ponitur pro ratione huius præcepti, *Non aſcendes per gradus ad altare meum*, id quod ſubditur, *ne reueletur turpitudo tua*: Conſiderandum eſt quòd hoc etiam fuit inſtitutum ad excludendam idololatriam: nam in ſacris Priapi ſua pudenda gentiles populo denudabant. Poſtmodum autem indictus eſt ſacerdotibus feminalium vſus ad tegmen pudendorum: & ideo ſine periculo inſtitui poterat tanta altaris altitudo, vt per aliquos gradus ligneos non ſtantes, ſed portatiles in hora ſacrificii ſacerdotes ad altare aſcenderent ſacrificia offerentes. 12. q. 102. *art.* 4. *ad ſeptimum.*

Altare de terra. Arguitur, veritas debet reſpondere figuræ: ſed in veteri Teſtamento quod gerebat figuram noui, non fiebat altare de lapidibus ſectis, vt patet in textu. Item, mandatur fieri *Altare de lignis Sethim veſtitis ære*, *vel etiam auro*; Ex 27. v. 1.
ergo videtur inconuenienter obſeruari in Eccleſia quòd altare fiat ſolùm de lapide.

R. quòd lapis competit ſignificationi huius ſacramenti, tum quia altare ſignificat Chriſtum, de quo dicitur *Petra autem erat Chriſtus*; 1 Cor. 10. v. 4.
tum etiam quia corpus Chriſti in ſepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad vſum ſacramenti; lapis enim & ſolidus eſt, & de facili poteſt inueniri vbique; quod non erat neceſſarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco altare.

Quod autem mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus inſectis, fuit ad idololatriam remouendam. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad quintum. V. Lib.* 4. *ſent. diſt.* 13. *art.* 2.

EXODI. Cap. 20. *v.* 26.

Non aſcendes ad altare meum per gradus.

ID eſt, in Trinitate gradus non facies. 3. *p. q.* 83. *art.* 4. *ad nonum. Idem locus explicatur ſupra Ex.* 20. *v.* 24.

EXODI. Cap. XXI. *v.* 2.

Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis.

VIdetur quod inconuenienter lex vetus præcepta ediderit circa perſonas domeſticas; ſeruus enim id quod eſt, Domini eſt: ſed id quod eſt alicuius, perpetuò eius eſſe debet; ergo

inconuenienter lex mandauit quòd ſerui ſeptimo anno liberi abſcederent.

2. Sicut animal aliquod, vt aſinus aut bos, eſt poſſeſſio Domini, ita etiam ſeruus: ſed de animalibus præcipitur quod reſtituantur Dominis ſuis, ſi errare inueniantur; inconuenienter ergo mandat, *Non tradas ſeruum Domino ſuo, qui ad te confugerit.*

Deut. 22. v. 1. *Deut. 23. v. 15.*

3. Lex diuina debet magis ad miſericordiam prouocare quàm etiam lex humana: ſed ſecundùm leges humanas grauiter puniuntur qui nimis aſperè affligunt ſeruos, aut ancillas. Aſperrima autem videtur eſſe afflictio ex qua ſequitur mors; inconuenienter igitur ſtatuitur, quòd *qui percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam virga, ſi vno die ſuperuixerit, non ſubiacerit pœnæ; quia pecunia illius eſt.*

Ex. 21. v. 21.

4. Alius eſt principatus Domini ad ſeruum & patris ad filium: ſed hoc ad principatum Domini ad ſeruum pertinet, vt aliquis ſeruum vel ancillam vendere poſſit; inconuenienter igitur lex permiſit quòd aliquis venderet filiam ſuam in famulam vel ancillam.

5. Pater habet ſui filii poteſtatem: ſed eius eſt punire exceſſus qui habet poteſtatem ſuper peccatum; inconuenienter igitur mandatur quòd *Pater ducat filium ſuum ad ſeniores ciuitatis puniendum.*

Deut. 21. v. 19.

6. Dominus prohibuit vt cum alienigenis non ſociarent coniugia, & coniuncta etiam ſepararent, vt patet; inconuenienter igitur conceditur eis vt captiuas alienigenarum ducere poſſint vxores.

Deut. 7. v. 3. *1. Eſdræ. 10 v. 11.* *Deut. 21. v. 13.*

7. Dominus in vxoribus ducendis quoſdam conſanguinitatis & affinitatis gradus præcepit eſſe vitandos, vt patet; inconuenienter igitur mandatur quòd ſi aliquis eſſet mortuus abſque liberis, vxorem ipſius frater eius acciperet.

Leu. 18 v. 6. *Deut. 25. v. 5.*

8. Inter virum & vxorem ſicut eſt maxima familiaritas, ita debet eſſe fides firmiſſima: ſed hoc non poteſt eſſe ſi matrimonium diſſolubile fuerit; inconuenienter igitur Dominus permiſit quòd aliquis poſſet vxorem dimittere ſcripto libello repudii, & quòd etiam vlteriùs eam recuperare non poſſet.

Deut. 24. v. 1.

9. Sicut vxor poteſt frangere fidem marito, ita etiam ſeruus Domino, & filius patri: ſed ad inueſtigandam iniuriam ſerui in Dominum, vel filii in patrem, non eſt inſtitutum in lege aliquod ſacrificium; ſuperfluè igitur videtur inſtitui ſacrificium Zelotypiæ ad inueſtigandum vxoris adulterium.

Num. 5. v. 12.

Dicendum quòd communio domeſticarum perſonarum ad inuicem, eſt ſecundùm quotidianos actus qui ordinantur ad neceſſitatem vitæ. Vita autem hominis conſeruatur dupliciter; vno modo quantùm ad indiuiduum, prout ſcilicet homo idem numero viuit; & ad talem vitæ conſeruationem opitulantur hominis exteriora bona, ex quibus homo habet victum & veſtitum & alia huiuſmodi neceſſaria vitæ, in quibus adminiſtrandis indiget homo ſeruis.

Alio modo conſeruatur vita hominis ſecundùm ſpeciem per generationem, ad quam indiget homo vxore, vt ex ea generet filium. Sic igitur in domeſtica communione ſunt tres combinationes, ſcilicet Domini ad ſeruum, viri ad vxorem, patris ad filium. Et quantùm ad omnia

Digitized by Google

omnia iſta lex vetus conuenientia præcepta tradidit.

Nam quantùm ad ſeruos inſtituit vt modeſtè tractarentur, & quantùm ad labores, ne ſcilicet immoderatis laboribus affligerentur. Vnde Dominus mandauit, *vt in die ſabbati requieſceret ſeruus & ancilla tua ſicut & tu.* (Deut. 5. v. 14.) Iterum quantùm ad pœnas infligendas, impoſuit enim mutilatoribus ſeruorum, *vt dimitterent eos liberos.* (Ex. 21. v. 21.) Et ſimile etiam ſtatuit in ancilla, quam in vxorem aliquis duxerit. Statuit etiam ſpecialiter circa ſeruos qui erant ex populo, vt ſeptimo anno liberi egrederentur cum omnibus quæ apportauerant, etiam veſtimentis, vt patet in textu. Mandauit etiam inſuper *vt eis detur viaticum.* (Deut. 15. v. 14)

Circa vxores verò ſtatuitur in lege quantùm ad vxores ducendas, vt ſcilicet *Ducant vxores ſuæ tribus.* (Num. vlt. v. 7.) Et hoc ideo ne ſortes tribuum confundantur. Et quòd aliquis *In vxorem ducat vxorem fratris defuncti ſine liberis.* (Deut. 25. v. 5.) Et hoc ideo vt ille qui non potuit habere ſucceſſores ſecundùm carnis originem, ſaltem habeat per quandam adoptionem; & ſic non totaliter memoria defuncti deleatur. Prohibuit etiam quaſdam perſonas ne in coniugium ducerentur, ſcilicet alienigenas propter periculum ſeductionis, & propinquas propter reuerentiam naturalem, quæ eis debetur.

Statuit etiam qualiter vxores iam ductæ tractari deberent, vt ſcilicet non leuiter infamarentur. Vnde mandatur *Puniri ille qui falſo crimen imponit vxori.* (Deut. 22. v. 18.) Et quòd etiam *propter vxoris odium, filius detrimentum non pateretur.* (Deut. 21. v. 17.) Et etiam quòd propter odium, vxorem non affligeret, ſed potiùs *Scripto libello eam dimitteret.* (Deut. 24. v. 1.) Et vt etiam maior dilectio inter coniuges à principio contrahatur, præcipitur quòd cùm nuper aliquis vxorem acceperit, nihil ei publicæ neceſſitatis iniungatur; vt liberè poſſit lætari cum vxore ſua.

Circa filios autem inſtituit vt patres eis diſciplinam adhiberent, inſtituendo eos in fide. Vnde dicitur *Cùm dixerint vobis filij veſtri quæ eſt iſta religio? dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt.* (Ex. 12. v. 26.) Et quòd etiam inſtruerent eos in moribus. Vnde dicitur quod patres dicere debent, *Monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat & luxuriæ atque conuiuijs.* (Deut. 21. v. 20)

Ad 1. R. quòd quia filii Iſraël erant à Domino de ſeruitute liberati, & per hoc diuinæ ſeruituti addicti; noluit Dominus vt in perpetuum ſerui eſſent: vnde dicitur, *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum; ſed quaſi mercenarius & colonus erit: mei enim ſunt ſerui, & ego eduxi eos de terra Ægypti, vt non veneant conditione ſeruorum.* (Leu. 25. v. 39.) Et ideo quia ſimpliciter ſerui non erant, ſed ſecundum quid, finito tempore dimittebantur liberi.

Ad 2. R. quòd mandatum illud intelligitur de ſeruo qui à Domino quæritur ad occidendum, vel ad aliquod peccati miniſterium

Ad 3. R. quòd circa læſiones ſeruis illatas, lex conſideraſſe videtur vtrum ſit certa vel incerta. ſi enim læſio certa eſſet, lex pœnam adhibuit: pro mutilatione quidem amiſſionem ſerui, qui mandabatur libertati donandus. Pro morte au-

Oo

Bibliothec S. M. Trensp. S. Vabe

Digitized by Google

rem homicidii pœnam, cùm ſeruus in manu Domini verberantis moreretur. Si verò læſio non eſſet certa, ſed aliquam apparentiam haberet, lex nullam pœnam infligebat in proprio ſeruo; putà cùm percuſſus ſeruus non ſtatim moriebatur, ſed poſt aliquos dies. Incertum enim erat vtrum ex percuſſione mortuus eſſet; quia ſi percuſſiſſet liberum hominem, ita tamen quòd ſtatim non moreretur, ſed ſuper baculum ſuum ambularet, non erat homicidii reus, qui percuſſerat; etiam ſi poſtea moreretur: tenebatur tamen ad impenſas ſoluendas, quas percuſſus in medicos fecerat. Sed hoc in ſeruo proprio locũ non habebat; quia quicquid ſeruus habebat, & etiam ipſa perſona ſerui, erat quædam poſſeſſio Domini: & ideo pro cauſa aſſignatur quare non ſubiaceat pœnæ pecuniariæ, *quia pecunia illius eſt.*

Ad 4. R. quòd nullus Iudæus poterat poſſidere Iudæum quaſi ſimpliciter ſeruum: ſed erat ſeruus ſecundùm quid, quaſi mercenarius vſque ad tempus. Et per hunc modum permittebat lex quòd paupertate cogente aliquis vel filium, vel filiam venderet; & hoc etiam verba ipſius legis oſtendunt, dicit enim, *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut exire ancillæ conſueuerunt.* Per hunc etiam modum non ſolùm filium ſuum, ſed etiam ſeipſum aliquis vendere poterat magis quaſi mercenarium, quàm quaſi ſeruum, ſecundùm illud, *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit.* *Leu.* 25. *v.* 39.

Ad 5. R. quòd principatus paternus habet ſolùm admonendi poteſtatem, non autem habet vim coactiuam, per quam rebelles & contumaces comprimi poſſunt. Et ideo in hoc caſu lex mandabat vt filius contumax à principibus ciuitatis puniretur.

Ad 6. R. quòd Dominus alienigenas prohibuit in matrimonium duci, propter periculum ſeductionis, ne inducerentur in idololatriam; & ſpecialiter hoc prohibuit de illis gentibus quæ in vicino habitabant; de quibus erat magis probabile quòd ſuos ritus retinerent: Si quæ verò idololatriæ cultum dimittere vellet, & ad legis cultum ſe transferre, poterat in matrimonium duci, ſicut patet de Ruth, quam duxit Booz in vxorem. Vnde ipſa dixerat ſocrui ſuæ, *Populus tuus, Populus meus, Deus tuus, Deus meus.* *Ruth.* 1. *v.* 16. Et ideo captiua non aliter permittebatur in vxorem duci, niſi priùs raſâ cæſarie, & circunciſis vnguibus, & depoſitâ veſte in qua capta eſt, & fleret patrem & matrem; per quæ ſignificatur idololatriæ perpetua abiectio.

Ad 7 R. quòd quia immitigabile malum erat mors apud Iudæos, qui omnia pro præſenti vita faciebant, ſtatutum fuit, vt defuncto filius naſceretur ex fratre, quod erat quædam mortis mitigatio. Non autem alius quàm frater vel propinquus iubebatur accipere vxorem defuncti, quia non ita crederetur qui ex tali coniunctione erat naſciturus, eſſe eius filius qui obiit. Et iterum extraneus non ita haberet neceſſitatem ſtatuere domum eius qui obierat, ſicut frater; cui etiam ex cognatione hoc facere iuſtum erat. Ex quo patet quòd frater in accipiendo

Digitized by Google

vxorem fratris ſui, perſonâ fratris ſui defuncti fungebatur.

Ad 8. R. quòd lex permiſit repudium vxoris, non quia ſimpliciter iuſtum eſſet, ſed propter Iudæorum duritiam.

Ad 9. R. quòd vxores fidem matrimonii frangunt per adulterium, & de facili propter delectationem, & latenter: non autem eſt ſimilis ratio de filio ad patrem, vel de ſeruo ad dominum; quia talis infidelitas non procedit ex tali concupiſcentia delectationis, ſed magis ex malitia quæ non poteſt ita latere, ſicut infidelitas mulieris adulteræ. 12. *q.* 105. *art.* 4.

Exodi Cap. 21. *v.* 4.

Mulier & liberi eius erunt domini ſui, ipſe verò exibit.

Videtur quòd filii debeant ſequi conditionem patris; quia denominatio fit à digniori: ſed pater in generatione eſt dignior, quàm mater; ergo.

2. Eſſe rei magis dependet à forma quàm à materia: ſed in generatione pater dat formam, mater materiam; ergo.

3. Illud præcipuè debet aliquid ſequi cui magis ſimilatur: ſed filius plus ſimilatur patri quàm matri, ſicut & filia plus matri; ergo ad minus filius deberet ſequi patrem, & filia matrem.

4. In S. Scriptura non computatur genealogia per mulieres, ſed per viros; ergo proles magis ſequitur patrem quàm matrem.

Sed contra, ſi quis ſeminat in terra aliena, fructus ſunt eius cuius eſt terra: ſed venter mulieris reſpectu ſeminis viri eſt ſicut terra reſpectu ſementis; ergo.

Præterea, in aliis animalibus hoc videmus, quæ ex diuerſis ſpeciebus naſcuntur, quòd partus magis ſequitur matrem quàm patrem: vnde muli qui naſcuntur ex equa & aſino, magis ſimilantur equis, quàm illi qui naſcuntur ex aſina & equo; ergo ſimiliter debet eſſe in hominibus.

Dicendum quòd ſecundùm leges ciuiles partus ſequitur ventrem, & hoc rationabiliter, quia proles habet à patre complementum formale, ſed à matre ſubſtantiam corporis. Seruitus autem corporalis conditio eſt, cùm ſeruus ſit quaſi inſtrumentum domini in operando; & ideo proles in libertate & ſeruitute ſequitur matrem.

Sed in his quæ pertinent ad dignitatem, quæ eſt forma rei, ſequitur patrem, ſicut in honoribus & municipiis, & hæreditate & aliis. Et huic etiam concordant Canones, & lex Moyſi; vt patet in textu.

In quibuſdam tamen terris, quæ iure ciuili non reguntur, partus ſequitur deteriorem conditionem; vt ſi pater ſit ſeruus, quamuis mater ſit libera, erunt filii ſerui; non tamen ſi poſt peractũ matrimonium pater ſe in ſeruum dedit nolente vxore; & ſimiliter ſi ſit è conuerſo. Si autem vterque ſit ſeruilis conditionis, & pertineant ad diuerſos dominos, tunc diuidunt filios, ſi plures ſunt; vel ſi vnus tantùm, vnus alteri recompenſabit de pretio, & accipiet prolem natam in ſui ſeruitium.

Tamen non eſt credibile quòd talis conſuetudo poſſit eſſe ita rationabilis, ſicut illud quòd multo-

cundùm quod fecit, propter differentiam voluntarii & inuoluntarii. Qui enim inuoluntariè fecit iniuriam, minùs punitur: ſed voluntarium & inuoluntarium, quæ accipiuntur ex parte noſtra, non diuerſificant medium iuſtitiæ; quod eſt medium rei, & non quoad nos; ergo iuſtum ſimpliciter videtur eſſe idem quod contrapaſſum.

Dicendum quòd hoc quod dicitur contrapaſſum, importat æqualem recompenſationem paſſionis ad actionem præcedentem. Quod quidem propriiſſimè dicitur in paſſionibus & actionibus iniurioſis, quibus aliquis perſonam proximi lædit; putà ſi percutit quòd repercutiatur. Et hoc quidem iuſtum determinatur in lege, vt patet in textu.

Et quia etiam auferre rem alterius, eſt quoddam iniuſtum facere; ideo ſecundariò etiam in his dicitur contrapaſſum, prout ſcilicet aliquis qui damnum intulit, in re ſua etiam ipſe damnificatur. Et hoc etiam iuſtum damnum continetur in lege,

Ex. 22. v. 1. *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet; & quatuor oues pro vna oue.*

Tertiò verò transfertur nomen contrapaſſi ad voluntarias commutationes, in quibus vtrinſque eſt actio & paſſio: ſed voluntarium diminuit de ratione paſſionis.

In omnibus autem his debet fieri ſecundùm rationem iuſtitiæ commutatiuæ recompenſatio ſecundùm æqualitatem, vt ſcilicet paſſio recompenſata ſit æqualis actioni: non autem ſemper eſſet æqualis, ſi idem ſpecie aliquis pateretur quod fecit: nam primò quidem cùm aliquis iniurioſè lædit alterius perſonam maiorem, maior eſt actio quàm paſſio eiuſdem ſpeciei quam ipſe pateretur. Et ideo ille qui percutit principem, non ſolùm repercutitur, ſed multò grauiùs punitur.

Similiter etiam cùm quis aliquem inuoluntarium in re ſua damnificat, maior eſt actio quàm eſſet paſſio, ſi ſibi ſola res illa auferretur; quia ipſe qui damnificauit alium in re ſua, nihil damnificaretur. Et ideo punitur in hoc quòd multipliciùs reſtituat; quia etiam non ſolùm damnificauit perſonam priuatam, ſed rem publicam, eius tutelæ ſecuritatem infringendo.

Similiter etiam nec in commutationibus voluntariis eſſet ſemper æqualis paſſio, ſi quis daret rem ſuam, accipiens rem alterius; quia fortè res alterius eſt multò maior quàm ſua. Et ideo oportet ſecundùm quandam proportionatam commenſurationem adæquare paſſionem actioni in commutationibus, ad quod inuenta ſunt numiſmata. Et ſic contrapaſſum eſt commutatiuum iuſtum. Quod in distributiua iuſtitia locum non habet, quia in diſtributiua non attenditur æqualitas ſecundùm proportionem rei ad rem, vel paſſionis ad actionem: vnde dicitur contrapaſſum, ſed ſecundùm proportionalitatem rerum ad perſonas.

Ad 1. R. quòd illa forma diuini iudicii attenditur ſecundùm rationem commutatiuæ iuſtitiæ, prout ſcilicet recompenſat præmia meritis, & ſupplicia peccatis.

Ad 2. R. quòd ſi alicui qui communitati ſeruiſſet, retribueretur aliquid pro ſeruitio impenſo, non eſſet hoc diſtributiuæ iuſtitiæ, ſed

commutatiuæ. In diſtributiua enim iuſtitia non attenditur æqualitas eius quod quis accipit, ad id quod ipſe impendit: ſed ad id quod alius accipit, ſecundùm modum vtriuſque perſonæ.

Ad 3. R. quòd quando actio iniurioſa eſt voluntaria, excedit iniuria: & ſic accipitur vt maior res; vnde oportet maiorem pœnam ei recompenſari, non ſecundùm differentiam quoad nos, ſed ſecundùm differentiam rei. 22. *quæſt.* 61. *art.* 4.

EXODI Cap. 21. v. 24.

Oculum pro oculo.

Videtur quòd mutilare aliquem membro ſuo, in nullo caſu poſſit eſſe licitum; nam ſicut ſe habet tota anima ad totum corpus, ita ſe habent partes animæ ad partes corporis: ſed non licet aliquem priuare animâ, occidendo ipſum, niſi publicâ poteſtate; ergo etiam non licet aliquem mutilare membro, niſi fortè ſecundùm publicam poteſtatem.

2. Salus animæ præferenda eſt ſaluti corporali: ſed non licet alicui mutilare ſe membro propter ſalutem animæ; puniuntur enim ſecundùm ſtatuta Nicæni Concilii, qui ſe caſtrauerunt propter caſtitatem ſeruandam; ergo propter nullam cauſam aliam licet aliquem membro mutilare.

Dicendum quòd cùm membrum aliquod ſit pars totius humani corporis, eſt propter totum; ſicut imperfectum propter perfectum. Vnde diſponendum eſt de membro humani corporis ſecundùm quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per ſe quidem vtile eſt ad bonum totius corporis: per accidens tamen poteſt contingere quòd ſit nociuum, putà cùm membrum putridum eſt totius corporis corruptiuum.

Si ergo membrum ſanum fuerit, & in ſua naturali diſpoſitione conſiſtens; non poteſt præſcindi abſque totius corporis detrimento. Sed quia ipſe totus homo ordinatur vt ad finem, ad totam communitatem cuius eſt pars; poteſt contingere quòd abſciſſo membri, etſi vergat in detrimentum totius corporis, ordinatur tamen ad bonum communitatis; inquantum alcui infertur in pœnam ad cohibitionem peccatorum.

Et ideo ſicut per publicam poteſtatem aliquis licitè priuatur totaliter vitâ, propter aliquas maiores culpas; ita etiam priuatur membro, propter aliquas culpas minores. Hoc autem non eſt licitum alicui priuatæ perſonæ, etiam volente illo cuius eſt membrum, quia per hoc fit iniuria communitati, cuius eſt ipſe homo, & omnes partes eius.

Si verò membrum propter putredinem ſit totius corporis corruptiuum; tunc licitum eſt de voluntate eius cuius eſt membrum putridum, membrum preſcindere, propter ſalutem totius corporis; quia vnicuique commiſſa eſt cura propriæ ſalutis. Et eadem ratio eſt, ſi fiat voluntate eius ad quem pertinet curare de ſalute eius qui habet membrum corruptiuum: Aliter autem aliquem membro mutilare eſt omnino illicitum.

Nota quòd nihil prohibet id quod eſt contra particularem natu-

ram, eſſe ſecundùm naturam vniuerſalem; ſicut mors & corruptio in rebus naturalibus eſt contra particularem naturam eius quod corrumpitur; cùm tamen ſit ſecundùm naturam vniuerſalem. Et ſimiliter mutilare aliquem membro, etſi ſit contra naturam particularem corporis eius qui mutilatur; eſt tamen ſecundùm naturalem rationem in comparatione ad bonum commune.

Ad 1. R. quòd totius hominis vita non ordinatur ad aliquid proprium ipſius hominis, ſed ad ipſam potiùs omnia quæ ſunt hominis ordinantur. Et ideo priuare aliquem vitâ in nullo caſu pertinet ad aliquem, niſi ad publicam poteſtatem, cui committitur procuratio boni communis. Sed præciſio membri poteſt ordinari ad propriam ſalutem vnius hominis: & ideo in aliquo caſu poteſt ad ipſum pertinere.

Ad 2. R. quòd membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubueniri nõ poteſt. Saluti autem ſpirituali ſemper poteſt aliter ſubueniri, quàm per membri præſciſionem; quia peccatum ſubiacet voluntati. Et ideo in nullo caſu licet membrum præſcindere, propter quodcumque peccatum vitandum. 22. q. 65. art. 1.

Oculum pro oculo. Videtur quòd accuſator qui in probatione defecerit non teneatur ad pœnam talionis; nam ſi pœna talionis ei qui iniuſtè accuſat, ſit iniungenda; hoc erit propter iniuriam in aliquem commiſſam: ſed non propter iniuriam commiſſam in perſonam accuſati; quia ſic princeps non poſſet hanc pœnam remittere: nec etiam propter iniuriam illatam in Rempublicam; quia ſic accuſatus non poſſet eum abſoluere; ergo pœna talionis non debetur ei qui in accuſatione defecerit.

2. Eidem peccato non debetur duplex pœna: ſed ille qui in probatione deficit, incurrit pœnam infamiæ; ergo.

Dicendum quòd accuſator in cauſa accuſationis conſtituitur pars, intendens ad pœnam accuſati. Ad iudicem autem pertinet vt inter eos iuſtitiæ æqualitatem conſtituat: iuſtitiæ autem æqualitas hoc requirit vt nocumentum quod quis alteri intentat, ipſe patiatur, vt patet in textu; & ideo iuſtum eſt vt ille qui per accuſationem aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipſe ſimilem pœnam patiatur.

Ad 1. R. quòd ille qui malè accuſat, peccat, & contra perſonam accuſati, & contra Rempublicam. Vnde propter vtrumque punitur. Et hoc eſt quod dicitur. *Cùm diligentiſſimè perſcrutantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium; reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit*; quod pertinet ad iniuriam perſonæ. Et poſtea quantùm ad iniuriam Reipublicæ, ſubditur, *Et auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri, timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.* *Deut. 19. v. 18.*

Specialiter tamen perſonæ accuſati facit iniuriam, ſi de falſo accuſet: & ideo accuſatus ſi innocens fuerit, poteſt ei iniuriam ſuam remittere, maximè ſi non calumnioſè accuſauerit, ſed ex animi leuitate. Si verò ab accuſatione inno-

centis deſiſtat propter aliquam colluſionem cum aduerſario, facit iniuriam Reipublicæ. Et hoc non poteſt ei remitti ab eo qui accuſatur; ſed poteſt ei remitti per principem, qui curam Reipublicæ gerit.

Ad 2. R. quòd pœnam talionis meretur accuſator in recompenſationem nocumenti, quod proximo inferre intentat. Sed pœna infamiæ ei debetur propter malitiam ex qua calomniose alium accuſauit. 22. *q* 68. *art.* 4. & 12. *q.* 105. *art.* 2. *ad decimum.*

EXODI Cap. 21. *v.* 28.

Si bos cornu percuſſerit virum.

ANimalia bruta mandabantur occidi non propter aliquam ipſorum culpam, ſed in pœnam dominorum; qui talia animalia non cuſtodierunt ab huiuſmodi peccatis. Et ideo magis puniebatur Dominus, ſi bos cornupeta fuerat ab heri & nudius-tertius (in quo caſu poterat occurri periculo) quàm ſi ſubitò cornupeta efficeretur. 12. *quæſt.* 105. *art.* 2. *ad vndecimum.*

EXODI Cap. 21. *v.* 33.

Si quis aperuerit ciſternam.

ARguitur, ille qui aliquem puerum nondum in præceptis exercitatum ad religionem inducit, quodammodo aperit ei ciſternam; quia plerique tales religionem ingredientes egrediuntur, & in deſperationem incidunt, quaſi in quandam ſpiritualem ciſternam; ergo videtur quòd ille qui eum inducit, hoc ei imputetur ad peccatum.

Dicendum quòd conſilia parant viam ad præcepta ſeruanda; quia per conſilia remouetur homo à rebus ſeculi, circa quas occupatus difficile eſt quòd innocentiam ſeruet. Et ideo Dominus dicit quòd *Difficile eſt qui pecunias habent intrare in regnum cælorum.* Et ideo pueri ad hoc quod innocentiam ſeruare poſſint in obſeruantia mandatorum ſunt præparandi & quodammodo præmuniendi in exercitio conſiliorum: nec ſunt repellendi quamuis ineruditi videantur in præceptis. *Matth.* 19. v. 23.

Ad argum. R. quòd duplex eſt occaſio, ſcilicet data & ſumpta. Tunc quidem dat aliquis occaſionem alicui ruendi, vel in ciſternam cadendi; quando facit aliquid vel dicit minùs rectum, ex quo datur proximo occaſio ruinæ: & tunc ruina proximi imputatur danti occaſionem. Aliquando autem non eſt occaſio data, ſed ſumpta; putà cùm aliquis inducit aliquem ad bonum, & ipſe ex hoc fit deterior; & tunc non eſt relinquenda monitio bona, propter hoc quòd ille ſumit inde occaſionem ruinæ. *Quodlib.* 4. *art.* 23. *ad tertium.*

EXODI. Cap. XXII. *v.* 1.

Si quis furatus fuerit ouem.

VIdetur quòd ablatum non ſemper debet reſtitui, fama enim reſtitui non poteſt ſed fama aufertur; ergo non de omni oblato poteſt fieri reſtitutio.

2. Damna in perſonam illata, ſunt maxima: ſed huiuſmodi damna non poſſunt

Digitized by Google

poſſunt reſtitui, vt ablatio virginitatis, abſciſſio membri alicuius; ergo non omne ablatū poteſt reſtitui.

3. Qui impedit aliquem à conſecutione alicuius, videtur hoc ſibi auferre: ſed hoc non debet ei reſtituere, vel recompenſare, ſicut ſi quis impedit aliquem ne præbendam cōſequatur; ergo videtur quòd non omne ablatum debeat reſtitui.

4. Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur: ſed ille qui ſubuertit ſemina in campo proiecta, dat occaſionem damni de toto fructu, qui inde ſequi poſſet, & ſimiliter de illo qui detinet pecuniam creditoris vltra terminum præfixum, ex qua ille poterat lucrari de toto lucro quod accidere potuiſſet; nec tamen videtur quòd teneatur ad reſtitutionem totius lucri quod accidere potuiſſet; vel fructus qui percipiendus eſſet; ergo non oportet quòd ſemper fiat ablatorum reſtitutio.

Sed contra, videtur quòd homo debet plus reſtituere quàm abſtulerit, quia præceptum legis veteris eſt, quòd ouis reddatur in quadruplum, & bos in quintuplum, vt patet in textu. Et hoc præceptum cùm ſit de moribus, videtur eſſe morale; ergo adhuc manet; ergo tenetur homo in quintuplum, vel quadruplum reſtituere.

Præterea, ea quæ in ſcriptura ponuntur nobis in exemplum dantur: ſed dicitur quod Zachæus ſe obtulit ad reſtitutionem in quadruplum eorum quæ acceperat per fraudem; ergo & talis debet eſſe apud nos reſtitutionis modus. *Luca. 19. v. 8.*

Dicendum quod per ſatisfactionem oportet quòd homo ſicut Deo, ita proximo reconcilietur: Reconciliatio autem nihil aliud quàm amicitiæ reparatio. Manente autem causâ diſſolutionis amicitiæ, amicitia reparari non poteſt, quæquidem cauſa fuit inæqualitas ex iniuſta acceptatione vel detenſione cauſata. Et ideo ille ſatisfacere non poteſt, nec Deo reconciliari, qui rem malè ablatam, vel detentam malè non reſtituit. *Reconciliationis deſcriptio.*

Sed ſciendum quòd amicitia non requirit ſemper æquale, ſed quod poſſibile; & ideo ſi aliqua ſunt ablata quæ omnino reſtitui non poſſunt, ſufficit voluntas reſtituendi cum tanta reſtitutione, quanta poſſibilis eſt ſecundùm conditionem vtriuſque ad arbitrium bonorum.

Ad 1. R. quòd ille qui malitiam alicuius manifeſtat ei, qui habet corrigere, vel etiam ſi ſit incorrigibilis in conſpectu Eccleſiæ; vt confuſus à peccato deſiſtat; vel ſaltem vt alij ab eius conſortio corruptiuo diſcedant, ſeruato ordine charitatis fraternæ; non iniuſtè famam aufert: vnde non tenetur ad famæ reſtitutionem.

Si autem intentione diffamandi hoc fecerit, iniuſtè aufert, etiam ſi verum ſit quod dicit: & tunc tenetur ad famæ reſtitutionem, vel dicendo ſe falſum dixiſſe, ſi falſum dixit; vel quocumque alio modo, non mentiendo ſi verum dixit, ſine hoc tamen quod ſe verum dixiſſe dicat; quia non debet alterius famam cum mendacio reſtituere. *Famæ reſtitutio quomodo facienda.*

Ad 2. R. quòd reſtitutio principaliter inuenta eſt in damnis, quæ inferuntur in rebus fortunæ, quæ reſtitui poſſunt. In his autem quæ obiectio tangit, quæ non poſſunt ad ſimile bonum reſtitui, debet fieri reſtitutio qualis poſſibilis eſt, ſci-

Digitized by Google

licet ad arbitrium bonorum.

Ad 3. R. quòd ille qui impedit aliquem ne præbendam conſequatur, ſi hoc faciat quia indignus eſt, vel vt de alio meliùs prouideatur, non iniuſtè facit; vnde non tenetur ad reſtitutionem. Si autem animo lædendi ipſum; tenetur ad reſtitutionem, non quidem tanti quantum valebat præbenda; quia ipſe eam non bene erat conſecutus, ſed penſatis conditionibus vtriuſque ſecundùm arbitrium bonorum.

Ad 4. R. quòd ille qui ſubfodit ſemina, non tenetur ad tantum quantum agri fructus valituri erãt, ſed quantum ager ſic ſeminatus valere cõſueuit; quia multis de cauſis poteſt impediri agrorum fructus.

Et ſimiliter dicendum eſt de eo cui debitum non reſtituitur ſuo tempore, quia non tenetur reſtituere tantum quantum lucrari potuiſſet; ſed ſecundùm æſtimationem lucri, quod accidere conſueuit penſato labore & infortuniis etiam, quæ in lucro accidere alias poſſent; quia lucrum non cauſatur tantùm ex pecunia, ſed ex induſtria & labore.

Ad 5. R. quòd illud præceptum legis quamuis ſit de moribus, non tamen eſt morale, ſed iudiciale. Talia enim præcepta pro loco & tempore populo illi dabantur, vnde nunc non obligant niſi de nouo ſtatuerentur ab aliquo, qui ſtatuendi haberet poteſtatem. Nihilominus tamen inquantum habebant aliquid ſignificationis, per Chriſtum impleta ſunt huiuſmodi præcepta, ſicut & cæremonialia.

Ad 6. R. quòd Zachæus non dixit hoc quaſi neceſſarium, ſed ex abundanti. *Lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 5. ſimile 22. q. 62. art. 3.*

Si quis furatus fuerit bouem, quinque boues pro vno reſtituet. Videtur quòd inconuenienter fuerint tradita præcepta iudicialia quantùm ad popularium conuictum; non enim poſſunt homines pacificè viuere ad inuicem ſi vnus accipiat ea quæ ſunt alterius: ſed hoc videtur eſſe inductum in lege, dicitur enim, *Ingreſſus vineam proximi tui comede vuas, quantùm tibi placuerit*; *Deut. 23. v. 24* ergo lex vetus non conuenienter prouidebat hominum paci.

2 Ex hoc maximè multæ ciuitates & regna deſtruuntur quòd poſſeſſiones ad mulieres perueniunt: ſed hoc fuit introductum in veteri lege, dicitur enim, *Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas*; *Num. 27. v. 8.* ergo non conuenienter prouidit lex ſaluti populi.

3. Societas hominum maximè conſeruatur per hoc quòd homines emendo & vendendo ſibi inuicem res ſuas commutant quibus indigent: ſed lex vetus abſtulit virtutem venditionis; mandauit enim quòd *Poſſeſſio vendita reuerteretur ad venditorem in quinquageſimo anno iubilæi*; *Leu. 25. v. 13.* inconuenienter igitur lex populum illum circa hoc inſtituit.

4. Sicut aliquis mercenarius locat operas ſuas, ita etiam aliqui locant domum, vel quæcumque alia huiuſmodi: ſed non eſt neceſſarium vt ſtatim pretium locatæ domus conductor exhibeat; ergo nimis durum fuit quod præcipitur, *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane.* *Leu. 19. v. 13.*

5. Cùm frequenter immineat iudiciorum neceſſitas, facilis debet eſſe acceſſus ad iudicem; inconuenienter igitur ſtatuit lex, *vt irent ad vnum lo-* *Deut. 17. v. 8.*

Digitized by Google

cum expetituri iudicium de ſuis dubijs.

6. Poſſibile eſt non ſolùm duos, ſed etiam tres vel plures concordare ad mentiendum; inconuenienter igitur dicitur, *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.*

Deut. 19. v. 15.

7. Pœna debet taxari, ſecundùm qualitatem culpæ, vnde dicitur, *Pro menſura peccati erit & plagarum modus*: ſed quibuſdam æqualibus culpis lex ſtatuit inæquales pœnas, dicitur enim quòd, *Reſtituet fur quinque boues pro vno boue; & quatuor oues pro vna oue.* Quædam etiam non multùm grauia peccata, graui pœnâ puniuntur, ſicut lapidatus eſt qui collegerat ligna in ſabbato. Filius etiam proteruus propter parua delicta, quia ſcilicet commeſſationibus vacabat & conuiuiis, mandatur lapidari; igitur inconuenienter in lege ſunt inſtitutæ pœnæ.

Deut. 25. v. 2. Ex. 22. v. 1. Num. 15. v. 32. Deut. 21. v. 18.

Dicendum quòd duplex eſt communicatio hominum ad inuicem: Vna quidem quæ fit auctoritate principum: Alia autem fit propriâ voluntate priuatarum perſonarum. Et quia voluntate vniuſcuiuſque diſponi poteſt, quod eius ſubditur poteſtati; ideo auctoritate principum quibus ſubiecti ſunt homines, oportet quòd iudicia inter homines exerceantur, & pœnæ malefactoribus inferantur. Poteſtati verò priuatarum perſonarum ſubduntur res poſſeſſæ; & ideo propriâ auctoritate in his poſſunt ſibi inuicem communicare, puta emendo, vendendo, & aliis huiuſmodi modis.

Circa vtramque autem communicationem lex ſufficienter ordinauit; ſtatuit enim iudices, & iuſtum iudicii ordinem. Vnde patet quòd lex vetus ſufficienter ordinauit conuictum illius populi.

Deut. 16. v. 18.

Ad 1. R. quòd lex ordinauit vt liceret intrantem in vineam proximi racemos ibi comedere, non autem extra deferre; ne ex hoc daretur occaſio grauis damni inferendi, ex quo pax perturbaretur; quæ inter diſciplinatos non perturbatur ex modicorum acceptione; ſed magis amicitia confirmatur, & aſſueſiunt homines ad aliquid facilè communicandum.

Ad 2. R. quòd lex non ſtatuit quòd mulieres ſuccederent in bonis paternis, niſi ex defectu filiorum maſculorum. Tunc autem neceſſarium erat vt ſucceſſio mulieribus concederetur in conſolationem patris, cui graue fuiſſet ſi eius hæreditas omnino ad extraneos tranſiret. Adhibuit tamen circa hoc lex cautelam debitam præcipiens vt mulieres ſuccedentes in hæreditate paterna nuberent ſuæ tribus hominibus, ad hoc quòd ſortes tribuum non confunderentur vt habetur. Num. 36. v. 6.

Ad 3. R. quòd lex hoc inſtituit, vt ſortes non confunderentur, ſed ſemper remaneret eadem diſtinctio determinata in tribubus. Quia verò domus vrbanæ non erant ſorte diſtinctæ, ideo conceſſit quòd in perpetuum vendi poſſent, ſicut & mobilia bona. Non enim erat ſtatutus numerus domorum ciuitatis, ſicut erat menſura poſſeſſionis, ad quam non addebatur. Poterat autem aliquid addi ad numerum domorum ciuitatis. Domus verò quæ non erat in vrbe, ſed in villa, muros non habente; in perpetuum vendi non poterant; quia huiuſmodi domus non conſtruuntur niſi ad cultum & ad cuſtodiam poſſeſſionum: & ideo lex congruè

Digitized by Google

ſtatuit idem ius circa vtrumque.

Ad 4. R. quòd mercenarii qui locant operas ſuas, pauperes ſunt, de laboribus ſuis victum quærentes quotidianum. Et ideo lex prouidè ordinauit vt ſtatim eis merces ſolueretur, ne victus eis deficeret. Sed illi qui locant alias res diuites eſſe conſueuerunt, nec ita indigent locationis pretio ad ſuum victum quotidianum: & ideo non eſt eadem ratio in vtroque.

Ad 5. R. quòd iudices ad hoc inter homines conſtituuntur, quòd determinent quod ambiguum inter homines circa iuſtitiam eſſe poteſt. Dupliciter autem aliquid poteſt eſſe ambiguum, vno modo apud ſimplices: & ad hoc dubium tollendum, *Mandatur vt iudices & magiſtri conſtituerentur per ſingulas tribus, vt iudicarent populum iuſto iudicio.*

Deut. 16. v. 18.

Alio modo contingit aliquid eſſe dubium etiam apud peritos: & ideo ad hoc dubium tollendum conſtituit lex vt omnes recurrerent ad locum principalem à Deo electum, in quo & ſummus ſacerdos eſſet, qui determinaret dubia circa cæremonias diuini cultus: & ſummus index populi qui determinaret quæ pertinent ad iudicia hominum. Sicut etiam nunc per appellationem vel per conſultationem cauſæ ab inferioribus iudicibus ad ſuperiorem deferuntur.

Deut. 17. v. 8.

Vnde dicitur, *Si difficile & ambiguum apud te iudicium proſpexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, aſcende ad locum quem elegerit Dominus, venieſque ad ſacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit in illo tempore.* Huiuſmodi autem ambigua iudicia non frequenter emergebant, vnde ex hoc populus non grauabatur.

Ad 6. R. quòd licet ſit poſſibile duos aut tres teſtes in mandacium conuenire; non tamen eſt facile quòd conueniant; & præcipuè ſi in ſuo teſtimonio non vacillent, vel aliàs ſuſpecti non fuerint.

Ad 7. R. quòd non ſolùm propter grauitatem culpæ, ſed etiam propter alias cauſas grauis pœna infligitur. Primò quidem propter quantitatem peccati; quia maiori peccato cæteris paribus pœna grauior debetur.

Secundò propter peccati conſuetudinem, quia à peccatis conſuetis non faciliter homines abſtrahuntur, niſi per graues pœnas.

Tertiò propter multam concupiſcentiam vel delectationem in peccato; ab his enim non de facili homines abſtrahuntur, niſi propter graues pœnas.

Quartò propter facilitatem committendi peccatum & iacendi in ipſo: huiuſmodi enim peccata quando manifeſtantur, ſunt magis punienda ad aliorum terrorem.

Circa ipſam etiam quantitatem peccati quadruplex gradus eſt attendendus, etiam circa vnum & idem factum: quorum primus eſt quando inuoluntarius peccatum committit; tunc enim ſi omnino eſt inuoluntarius, totaliter excuſatur à pœna. Dicitur enim quòd *Puella quæ opprimitur in agro, non eſt rea mortis, quia clamauit; & nullus affuit qui liberaret eam.* Deut. 22. v. 25

Si verò aliquo modo fuerit voluntarius, ſed tamen ex infirmitate peccat (putà cùm quis peccat ex paſſione) minuitur peccatum; & pœna ſecundùm veritatem iudicii

diminui debet; niſi fortè propter communem vtilitatem pœna grauetur, ad abſtrahendum homines ab huiuſmodi peccatis.

Secundus gradus eſt quando quis per ignorantiam peccauit, & tunc aliquomodo reus reputabatur propter negligentiam addiſcendi, ſed tamen non puniebatur per iudices; ſed expiabat peccatum ſuum per
Leu. 4. v. 2. ſacrificia. Vnde dicitur, *Anima quæ peccauerit per ignorantiam, &c.* Sed hoc intelligendum eſt de ignorantia facti, non autem de ignorantia præcepti diuini, quod omnes ſcire tenebantur.

Tertius gradus eſt quando aliquis ex ſuperbia peccabat, id eſt, ex certa electione vel ex certa malitia; & tunc puniebatur ſecundùm quantitatem delicti.

Quartus autem gradus eſt quando peccabat per proteruiam & pertinaciam: & tunc quaſi rebellis & deſtructor ordinationis legis omnino occidendus erat.

Secundùm hoc dicendum eſt quòd in pœna furti conſiderabatur ſecundùm legem, id quod frequenter accidere poterat; & ideo pro furto aliarum rerum quæ de facili cuſtodiri poſſunt à furibus, non reddebat fur niſi duplum. Oues autem non de facili poſſunt cuſtodiri à furto, quia paſcuntur in agris; & ideo frequentiùs contingebat quòd oues furto ſubtraherentur. Vnde lex maiorem pœnam appoſuit, vt ſcilicet quatuor oues pro vna oue redderentur.

Adhuc autem boues difficiliùs cuſtodiuntur, quia habentur in agris, & non ita paſcuntur gregatim ſicut oues, & ideo adhuc hîc maiorem pœnam appoſuit; vt ſcilicet quinque boues pro vno boues redderentur. Et hoc dico, niſi fortè idem animal inuentum fuerit viuens apud eum; quia tunc ſolùm *duplum reſtituebat*, Sicut & in cæteris furtis: poterat enim haberi præſumptio quòd cogitaret reſtituere, ex quo viuum ſeruaſſet. Ex. 22. v. 4.

Filius autem contumax, non quia comedebat & bibebat, occidebatur; ſed propter contumaciam & rebellionem, quæ ſemper morte puniebatur. Ille verò qui colligebat ligna in ſabbato lapidatus fuit tanquam legis violator, quæ ſabbatum obſeruari præcipiebat in commemorationem fidei nouitatis mundi; vnde occiſus fuit tanquam infidelis. 12. q. 105. *art.* 2.

Si quis ouem. Arguitur, peccato mortali mortis pœna debetur: ſed pro furto non infligitur in lege pœna mortis, ſed ſolùm pœna damni vt patet in textu; ergo furtum non eſt peccatum mortale.

R. quòd pœnæ præſentis vitæ magis ſunt medicinales quàm retributiuæ: Retributio enim reſeruatur diuino iudicio quod eſt ſecundùm veritatem in peccantes Et ideo ſecundùm iudicium præſentis vitæ, non pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis, ſed ſolùm pro illis quæ inferunt irreparabile nocumentum: vel etiam pro illis quæ habent aliquam horribilem deformitatem. Et ideo pro furto quod irreparabile damnum non infert, non infligitur ſecundùm præſens iudicium pœna mortis; niſi vt furtum aggrauatur per aliquam grauem circunſtantiam: ſicut patet de ſacrilegio, quod eſt furtum rei ſacræ: & de peculatu, quod eſt furtum rei communis: &

Digitized by Google

deplagio, quod eſt furtum hominis, pro quo quis morte punitur. *22. q. 66. art. 6. ad ſecundum.*

Si quis ouem. Cùm aliquis ex ſua iniuſta voluntate ſibi attribuit plus quàm ſibi debeatur, iuſtum eſt vt diminuatur; etiam quantùm ad id quod ſibi debebatur: ſicut cùm furatur quis vnam ouem, reddet quatuor vt patet in textu. Et hoc dicitur mereri, inquantum per hoc quod punitur eius iniqua voluntas. *3. p. q. 49. art. 6 in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra. *Gen. 1. v. 29. & Ex. 21. v. 23.*

Exodi Cap. 22. v. 2.

Si effringens fur domum, accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis.

Videtur quòd nulli liceat occidere aliquem, ſe defendendo; nam homicidium eſt grauius peccatum quàm ſimplex fornicatio vel adulterium ſed nulli licet committere ſimplicem fornicationem, vel adulterium; vel quodcumque aliud peccatum mortale pro conſeruatione propriæ vitæ, quia vita ſpiritualis præferenda eſt corporali; ergo nulli licet defendendo ſe ipſum, alium occidere, vt propriam vitam conſeruet.

Sed contra eſt quod dicitur in textu: ſed multò magis licitum eſt defendere propriam vitam; quàm propriam domum; ergo etiam ſi aliquis occidat aliquem pro defenſione vitæ, non erit reus homicidii.

Dicendum quòd nihil prohibet vnius actus eſſe duos effectus, quorum alter ſolùm ſit in intentione, aliùs verò ſit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt ſpeciem ſecundùm id quod intenditur; non autem ab eo quod eſt præter intentionem, cùm ſit per accidens.

Ex actu ergo alicuius ſeipſum defendentis duplex effectus ſequi poteſt: vnus quidem, conſeruatio propriæ vitæ, alius autem occiſio inuadentis. Actus ergo huiuſmodi, ex hoc quòd intenditur conſeruatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cùm hoc ſit cuilibet naturale quòd ſe conſeruet in eſſe quantùm poteſt. *Homicidium quomodo licitum.*

Poteſt tamen aliquis actus ex bona intentione proueniens, illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini. Et ideo ſi aliquis ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentiâ quàm oporteat, erit illicitum. Si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defenſio. Nam ſecundùm iura, vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem vt homo actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad euitandam occiſionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ ſuæ prouidere, quàm vitæ alienæ.

Sed quia occidere hominem non licet, niſi publicâ auctoritate, propter bonum commune; illicitum eſt quòd homo intendat occidere hominem, vt ſeipſum defendat; niſi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum. Vt patet in milite pugnante contra hoſtes; & in miniſtro iudicis pugnante contra latrones; quamuis etiam & iſti peccent ſi priuatâ libidine moueantur.

Ad argum. R. quòd actus fornicationis vel adulterii non ordinatur

Digitized by Google

ad conſeruationem propriæ vitæ ex neceſſitate, ſicut actus ex quo quandoque ſequitur homicidium. 22. *q.* 64. *art.* 7.

EXODI Cap. 22. v. 16.

Si ſeduxerit quis virginem dormieritque cum ea, dotabit eam.

HIc S. doctor explicat quid ſit dos, & an dari debeat ſponſo vel ſponſæ. *Lib.* 4 *ſent. diſt.* 49. *quæſt.* 4. *art.* 1. *& ſupplem. quæſt.* 95. *art.* 1.

EXODI Cap. 22. v. 18.

Maleficos non patieris viuere.

QVomodo peccatores ſunt ex charitate diligendi. Explicatur infra. *Pſal.* 9. v. 18. *Ex.* 22 *q.* 25. *art.* 6.

Maleficos non patieris viuere. Quomodo licitum eſt occidere peccatores. Explicatur infrà *Pſ.* 48. *v.* 13. *ex.* 22. *q.* 64. *art.* 2.

Idem locus explicatur ſuprà. *Ex.* 20. *v.* 13.

EXODI Cap. 22. v. 20.

Qui immolat dijs, occidetur.

QVia pertinet ad rectam ordinationem mentis in Deum vt mens humana non recognoſcat alium primum auctorem rerum, niſi ſolum Deum; neque in aliquo alio finem ſuum conſtituat; propter hoc prohibebatur in lege offerre ſacrificium alicui alteri, niſi Deo vt patet in textu. 1. *quæſt.* 102. *art.* 3. *in corpore.*

Qui immolat dijs, occidetur. Videtur quòd non ſoli ſummo Deo ſit ſacrificium offerendum; cùm enim ſacrificium Deo offerri debeat, videtur quòd omnibus illis ſit ſacrificium offerendum qui diuinitatis conſortes fiunt: ſed etiam ſancti homines efficiuntur, *Diuinæ naturæ conſortes*, vt dicitur. Vnde & de eis dicitur, *Ego dixi, dij eſtis.* Angeli etiam filii Dei nominantur, vt patet; ergo omnibus his debet ſacrificium offerri. 2. *Pet.* 1. *v.* 4. *Pſ.* 81. *v.* 6. *Iob.* 1 *v.* 6.

2. Quantò aliquis maior eſt, tantò ei maior honor debet exhiberi: ſed Angeli & ſancti ſunt multò maiores quibuſcumque terrenis principibus, quibus tamen eorum ſubditi multò maiorem honorem impendunt (ſe coram eis proſternentes, & munera offerentes) quàm ſit oblatio alicuius animalis vel rei alterius, in ſacrificium, ergo multò magis Angelis & ſanctis poteſt ſacrificium offerri.

3. Templa & altaria inſtituuntur ad ſacrificia offerenda: ſed templa & altaria inſtituuntur Angelis & ſanctis; ergo etiam ſacrificia poſſunt eis offerri.

Dicendum quòd oblatio ſacrificii fit ad aliquid ſignificandum: ſignificat autem ſacrificium quod offertur exteriùs, interius ſpirituale ſacrificium, quo anima ſeipſam offert Deo, ſecundùm illud, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*; quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem ſe offert Deo in ſacrificium, ſicut principio ſuæ creationis, & ſicut fini ſuæ beatificationis. *Pſ.* 50. *v.* 19.

Secundùm autem veram fidem ſolus Deus eſt creator animarum noſtrarum. In ſolo etiam eo animæ noſtræ beatitudo conſiſtit Et ideo ſicut ſoli Deo ſummo debemus ſacrificium ſpirituale offerre; ita

etiam ſoli Deo debemus offerre exteriora ſacrificia. Et ideo in lege diuina ſtatuitur pœna mortis his qui diuinum honorem alijs exhibent.

Ad 1. R. quod nomen diuinitatis communicatur aliquibus non per æqualitatem, ſed per participationem; & ideo nec æqualis honor eis debetur.

Ad 2. R. quòd in oblatione ſacrificii non penſatur pretium occiſi pecoris, ſed ſignificatio, qua hoc fit in honorem ſummi rectoris totius vniuerſi.

Ad 3. R. quòd non conſtituimus martyribus tēpla & ſacrificia; quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Vnde ſacerdos non dicit, offero tibi ſacrificium Petre vel Paule; ſed Deo de illorum victoriis gratias agimus, & nos ad imitationem eorum exhortamur. 22. *quæſt.* 85. *art.* 2.

Idem locus explicatur ſuprà. *Exod.* 12. *v.* 19. *&* *Ex.* 20. *v.* 3.

EXODI Cap. 22. *v.* 21.

Aduenam non contriſtabis.

Explicatur ſuprà. *Exod.* 12. *v.* 48.

EXODI Cap. 22. *v.* 25.

Si pecuniam tuam ad vſuram dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes.

Omne quod eſt contra præceptum legis diuinæ, eſt peccatum mortale: ſed dare pecuniam ad vſuram, eſt contra præceptum legis diuinæ, vt patet in textu, ergo eſt peccatum mortale. Explicatur infra. *Pſ.* 14. *v.* 5. *Ex. quæſt. diſp. q.* 13. *de malo art.* 4. *ſimile* 22. *quæſt.* 78. *art.* 1.

EXODI Cap. 22. *v.* 26.

Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei.

Videtur quòd aliqua alia præcepta contineantur in lege veteri præter moralia, iudicialia, & cæremonialia: nam dicitur, *Ama Dominum Deum tuum, & obſerua eius præcepta, & cæremonias, & iudicia atque mandata*; ergo præter moralia, iudicialia, & cæremonialia, adhuc alia continentur in lege, quæ dicuntur mandata. *Deut.* 11. *v.* 1.

Dicendum quòd in lege ponuntur aliqua tanquam præcepta, aliqua verò tanquam ad præceptorum impletionem ordinata. Præcepta quidem ſunt de his quæ ſunt agenda, ad quorũ impletionem ex duobus homo inducitur, ſcilicet ex auctoritate præcipientis, & ex vtilitate impletionis; quæquidem eſt conſecutio alicuius boni vtilis, delectabilis vel honeſti, aut fuga alicuius mali contrarii.

Oportuit igitur in veteri lege proponi quædam, quæ auctoritatem Dei præcipientis indicarent: ſicut illud; *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt.* Oportuit etiam quòd in lege proponerentur quædam præmia obſeruantium legem & pœnæ tranſgredientium, & patet, *ſi audieris vocem Domini Dei tui, faciet te excelſiorem cunctis gentibus.* Et huiuſmodi dicuntur iuſtificationes, ſecundùm quod Deus aliquos iuſtè punit vel præmiat. Ipſa autem agenda ſub præcepto *Deut.* 6. *v.* 4. *Deut.* 28. *v.* 1.

Digitized by Google

cepto non cadunt, niſi inquantum habent aliquam debiti rationem

Eſt autem duplex debitum, vnum quidem ſecundùm regulam rationis; aliud autem ſecundùm regulam legis determinantis: ſicut Philoſophus diſtinguit duplex iuſtum, ſcilicet morale & legale. Debitum autem morale eſt duplex; dictat enim ratio aliquid faciendum vel tanquam neceſſarium, ſiue quo non poteſt eſſe ordo virtutis: vel tanquam vtile ad hoc quòd ordo virtutis meliùs conſeruetur. Et ſecundùm hoc quædam moralium præcisè præcipiuntur, vel prohibentur in lege, ſicut *Non occides, non furtum facies.* Et hæc propriè dicuntur præcepta.

Quædam verò præcipiuntur, vel prohibentur, non quaſi præcisè debita, ſed propter melius. Et iſta poſſunt dici mandata, quia quandam inductionem habent & perſuaſionem, vt patet in textu.

Debitum autem ex determinatione legis, in rebus quidem humanis pertinet ad iudicialia; in rebus autem diuinis ad cæremonialia; quamuis etiam ea quæ pertinent ad pœnam vel præmia, dici poſſint teſtimonia, inquantum ſunt proteſtationes quædam diuinæ iuſtitiæ.

Omnia verò præcepta legis poſſunt dici iuſtificationes, inquantum ſunt quædam executiones legalis iuſtitiæ.

Poſſunt etiam aliter mandata à præceptis diſtingui, vt præcepta dicantur quæ Deus per ſeipſum iuſſit: mandata autem quæ per alios mandauit, vt ipſum nomen ſonare videtur.

Ex quibus omnibus apparet quòd omnia legis præcepta continentur ſub moralibus, cæremonialibus, & iudicialibus: Alia verò non habent rationem præceptorum, ſed ordinantur ad præceptorum obſeruationem. Et per hoc patet R. ad argumentum. 12. *q.* 99. *art* 5.

EXODI Cap. 22. *v.* 29.

Decimas tuas non tardabis reddere.

VIdetur quod propter conſuetudinem aliqui deobligantur à iure reddendi decimas; magis eſt enim accipere decimas quàm non dare: ſed propter conſuetudinem in aliquibus terris aliqui milites accipiunt decimas, & hoc ab Eccleſia toleratur; ergo multò magis propter conſuetudinem aliqui deobligantur, vt decimas non ſoluant, neque ſoluere teneantur.

Sed contra, ius diuinum non aboletur per diſſuetudinem: ſed decimæ debentur de iure diuino; ergo per diſſuetudinem non aboletur ius reddendi decimas; tenentur ergo homines reddere decimas, contrariâ conſuetudine non obſtante.

Dicendum quòd ea quæ ſunt de iure poſitiuo, per diſſuetudinem abolentur; ea verò quæ ſunt à iure naturali, vel de iure diuino, nullâ diſſuetudine aboleri poſſunt: Nullâ enim diſſuetudine fieri poteſt vt ſit licitum furari, vel Mœchari.

Eſt ergo conſiderandum ad propoſitam quæſtionem, vtrum dare decimas, ſit de iure diuino, vel de iure poſitiuo humano. Ius autem diuinum in nouo & in veteri Teſtamento continetur. Et quidem non apparet in nouo Teſtamento ali- *Decimas dare eſt de iure diuino.*

quod præceptum datum de decimis ſoluendis, in doctrina dico, Euangelica vel apoſtolica. Quod enim dicitur, de ſolutione decimarum, hoc oportuit facere, & illa non omittere. Et quod dicit Phariſæus *Decimas do omnium quæ poſſideo*, magis videtur ad ſtatum veteris Teſtamenti pertinere, quàm obſeruantiæ noui Teſtamenti formam imponere.

Matth. 23. v. 23.

Luca. 18. v. 12.

Præceptorum genus triplex in veteri lege.

In veteri autem Teſtamento triplex genus præceptorum erat. Quædam enim erant præcepta moralia, quædam iudicialia, quædam cæremonialia. Præcepta moralia ſunt quæ ſunt indita naturali rationi, ad quæ homines omni tempore obligantur; vt *Honora patrem & matrem, non Mœchaberis, non furtum facies*, & ſimilia. Præcepta autem iudicialia ſunt, per quæ iudicia exercebantur, putà, ſi quis furatur vnam ouem, redderet quatuor. Et huiuſmodi præcepta non ſunt indita naturali rationi; non enim ratio naturalis habet quòd ille qui furatur ouem, magis reddat quatuor quàm tres vel vnam: ſed tamen per huiuſmodi præcepta determinatur morale præceptum. Habet enim ratio naturalis quòd ille qui furatur debeat puniri; ſed quòd tali pœnâ puniatur, hoc determinatur per præceptum iudiciale. Præcepta autem cæremonialia veteris legis ſunt quæ pertinent ad obſeruantiam diuini cultus; & ſunt ordinata ad figurandum aliquod futurum; ſicut immolatio agni paſchalis figurabat occiſionem Chriſti.

Eſt ergo conſiderandum vtrum præceptum de decimis perſoluendis ſit morale, vel iudiciale, vel cæremoniale: ſi enim morale eſt, ad hoc omnes tenentur, & omni tempore, nullâ obſtante contrariâ conſuetudine. Sed hoc non videtur, quia ratio naturalis non dictat magis quòd homo miniſtris Dei det decimam, quàm vndecimam; vel nonam partem fructuum.

Si autem ſit præceptum iudiciale, non tenetur ad decimas dandas: ſicut non tenentur omnes ad iudicandum ſecundùm iudicia in lege veteri conſcripta; quia illa iudicialia præcepta ſunt ſpecialiter illi populo data, conſideratis conditionibus eius; non enim eadem omnibus expediunt.

Si autem ſit præceptum cæremoniale, non ſolùm non obligaret, ſed etiam obſeruatum induceret in peccatum; peccaret enim ſi quis agnum paſchalem immolaret, quia poſt aduentum veritatis ceſſauerunt figuræ.

Dicendum eſt ergo quòd quædam præcepta legis ſunt purè moralia, vt, *non occides*, *non furtum facies*. Quædam autem purè ſunt cæremonialia, vt immolatio paſchalis agni, & circunciſio; quædam autem ſunt media, ſecundùm aliquid moralia, & ſecundùm aliquid cæremonialia; ſicut præceptum de obſeruatione ſabbati eſt morale, quantùm ad hoc quòd aliquod tempus quieti deputetur ad vacandum diuinis, hoc enim ratio naturalis habet. Sed quòd dies ſeptima ſit deputata, hoc eſt ex determinatione Dei, propter aliquam figuram; vnde hoc eſt cæremoniale.

Sic ergo præceptum de decimis perſoluendis eſt quidem ſecundùm aliquid morale, vt ſcilicet qui pro

toto populo diuino obſequio vacant, ſtipendiis populi ſuſtententur: ſicut & qui in aliis officiis Reipublicæ ſeruiunt, à populo ſuſtentantur. Et ſecundùm hunc modum proponitur hoc præceptum in nouo Teſtamento, *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Et, *qui altari deſeruiunt de altari viuant.*

Matth. 10. v. 10. 1 Cor. 9. v. 13.

Sed quantùm ad determinatum numerum decimæ, non eſt de iure naturali, neque eſt præceptum morale; ſed eſt cæremoniale, inquantum refertur ad figurandum aliquid circa Chriſtum. Vel etiam eſt iudiciale ſecundùm conuenientiam ad illum populum, in quo multitudini miniſtrorum, tali taxatione opus erat ad miniſtrorum Dei ſuſtentationem.

Sic ergo hoc commune, quod eſt prouidere miniſtris Dei in neceſſariis vitæ, eſt de iure diuino quaſi morale præceptum, & de iure naturali exiſtens. Ad quemlibet autem principem, qui poteſt leges condere pertinet ius naturale commune, per ius poſitiuum determinare. Nihil enim eſt aliud ius poſitiuum quàm determinatio iuris naturalis: ſicut ius naturale habet quòd malefactor puniatur; ſed quòd tali pœnâ puniatur, hoc determinatur per ius poſitiuum.

Quia ergo eccleſia habet poteſtatem condendi legem in his quæ pertinent ad cultum Dei, potuit per eccleſiæ ſtatutum taxari quantitas eorum quæ ſunt danda miniſtris Dei à populo. Et vt eſſet quædam conſonantia noui & veteris Teſtamenti, ſtatuit eccleſia vt taxatio veteris Teſtamenti ſeruaretur etiam in nouo. Vnde omnes tenentur ad decimas, velint nolint.

Poſſet autem eccleſia ſtatuere, ſi cauſa ſubeſſet, vel in maiori, vel in minori numero, putà quòd daretur octaua, vel duodecima, ſicut & quòd detur decima.

Patet ergo quòd nulla conſuetudo contraria ſoluit hominem ab obligatione reddendi decimas; quia hæc obligatio fundatur ſupra ius diuinum, & ſupra ius naturale. Vnde ſemper tenentur homines reddere decimas, ſi eccleſia exigat; etiam contrariâ conſuetudine non obſtante.

Et in terris, in quibus eſt conſuetudo quòd decimæ ſoluantur, ipſa conſuetudo quaſi expoſtulat decimas; vnde peccaret qui non redderet. Sed in terris in quibus non eſt conſuetudo communis quòd decimæ dentur, & eccleſia non petit; videtur eccleſia remittere, dum diſſimulat: & ideo homines in terris illis non peccant decimas non dando. Durum enim eſſet dicere quòd omnes homines Italiæ & orientalium partium damnarentur, qui decimas non ſoluunt.

Et huiuſmodi argumentum poſſumus ab Apoſtolo accipere, cui cùm deberentur neceſſaria victus ab his, quibus prædicabat, tamen non accipiebat; nec tamen peccabant qui ei non dabant; alioquin malè cum eis egiſſet non accipiendo; præſertim cùm ipſe dicat, *Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei.* Et ideo Apoſtolus non exigebat quod ſibi debebatur, ne daretur aliquod offendiculum Euangelio, vt ipſe ibi dicit. Vnde non bene facerent rectores eccleſiarum, ſi in terris illis decimas exigerent, in quibus

Act. 20. v. 27.

Digitized by Google

non eſt conſuetudo dari, ſi probabiliter crederent quòd ex hoc ſcandalum naſceretur.

Ad illud ergo quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd milites qui accipiunt decimas in aliquibus terris, non habent ius accipiendi decimas ; hoc enim ius eſt ſpirituale debitum miniſtris Dei; vnde non cadit in laïcam perſonam. Sed res illæ temporales, quæ à iure exiguntur, ex conceſſione Eccleſiæ, datæ ſunt aliquibus militibus propter aliqua ſeruitia quæ fecerunt eccleſiæ: ſicut & Eccleſia poteſt remittere ipſos fructus, qui debentur pro decima : non tamen remittit ius exigendi decimas, nec tollit debitum reddendi. *Quodlib.* 2. *art.* 8.

Exodi. Cap. XXIII. *v.* 2.

Nec in iudicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.

Videtur quòd inconuenienter diſtinguantur alia moralia præcepta legis præter Decalogum; quia dicitur, *In duobus præceptis charitatis pendet omnis lex & Prophetæ* : ſed hæc duo præcepta explicantur per decem præcepta decalogi ; ergo non oportet alia præcepta moralia tradere.

Matth. 22. *v.* 40.

2. Præcepta moralia à iudicialibus & cæremonialibus diſtinguuntur: ſed determinationes communium præceptorum moralium pertinent ad iudicialia & cæremonialia præcepta: cōmunia autem præcepta moralia ſub decalogo continentur, vel etiam decalogo præſupponuntur, ergo inconuenienter traduntur alia præcepta moralia præter decalogum.

Dicendùm quòd præcepta iudicialia & cæremonialia ex ſola inſtitutione vim habent ; quia antequam inſtituerentur, non videbatur referre vtrum ſic vel aliter fieret : ſed præcepta moralia ex ipſo dictamine naturalis rationis efficaciam habent, etiamſi nunquam in lege ſtatuantur.

Horum autem triplex eſt gradus, nam quædam ſunt communiſſima & adeo manifeſta, quòd editione non indigent: ſicut mandata de dilectione Dei & proximi, quæ ſunt quaſi fines præceptorum : vnde in eis nullus poteſt errare ſecundùm iudicium rationis.

Quædam verò ſunt magis determinata, quorum rationem ſtatim quilibet etiam popularis poteſt de facili videre : & tamen quia in paucioribus circa huiuſmodi contingit iudicium humanum peruerti; huiuſmodi editione indigent : & hæc ſunt præcepta decalogi.

Quædam verò ſunt quorum ratio non eſt adeo cuilibet manifeſta, ſed ſolùm ſapientibus : & iſta ſunt præcepta moralia ſuperaddita decalogo, tradito à Deo populo per Moyſen & Aaron.

Sed quia ea quæ ſunt manifeſta, ſunt principia cognoſcendi eorum quæ non ſunt manifeſta ; alia præcepta moralia ſuperaddita decalogo, reducuntur ad præcepta decalogi per modum cuiuſdam additionis ad ipſa vt patet in textu.

Ad 1. R. quòd ad dilectionem Dei & proximi ordinantur quædam præcepta decalogi ſecundùm manifeſtam rationem debiti: Alia ve-

rò ſecundùm rationem magis occultam.

Ad 2. R. quòd præcepta cæremonialia & iudicialia ſunt determinatiua præceptorum decalogi ex vi inſtitutionis, non autem ex vi naturalis inſtinctus, ſicut præcepta moralia ſuperaddita. 12. *quaſt.* 100. *art.* 11.

EXODI Cap. 23. *v.* 3.

Pauperis non miſereberis in iudicio.

VIdetur quòd in iudiciis locum non habeat peccatum acceptionis perſonarum; nam dicitur *In iudicando eſto pupillis miſericors*: ſed videtur eſſe accipere perſonam pauperis; ergo acceptio perſonarum in iudiciis non eſt peccatum. *Eccl. 4. v. 10.*

Sed contra eſt quod dicitur, *Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum.* Dicendum quòd iudicium eſt actus iuſtitiæ prout iudex ad æqualitatem iuſtitiæ reducit ea quæ inæqualitatem oppoſitam facere poſſunt: Perſonarum autem acceptio inæqualitatem quandam habet, inquantum attribuitur alicui aliquid præter proportionem ſuam, in qua conſiſtit inæqualitas iuſtitiæ. Et ideo manifeſtum eſt quòd per perſonarum acceptionem iudicium corrumpitur. *Prou. 18. v. 5.*

Ad argum. R. quòd homo in iudicio debet pauperi ſubuenire quantùm fieri poteſt; tamen ſine læſione iuſtitiæ. 22. *q.* 63. *art.* 4.

EXODI Cap. 23. *v.* 4.

Si occurreris boui inimici tui, &c.

EXplicatur infra. *Leu.* 19. *verſ.* 17.

EXODI Cap. 23. *v.* 5.

Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.

QVando aſinus iacet ſub onere, & non poteſt ei aliter ſubueniri in caſu iſto, niſi per aduenientes ſubueniatur; ideo tenentur iuuare. Non autem tenerentur, ſi poſſet aliunde remedium afferri. 22. *q.* 71. *art.* 1. *ad primum.*

EXODI Cap. 23. *v.* 7.

Inſontem & iuſtum non occides.

VIdetur quòd liceat in aliquo caſu interficere innocentem; nam in genere peccatorum quæ contra proximum committuntur, tantò maius videtur aliquod eſſe peccatum, quantò maius nocumentum infertur ei in quem peccatur: ſed occiſio plus nocet peccatori quàm innocenti, qui de miſeria huius vitæ ad cœleſtem gloriam tranſit per mortem; cùm ergo liceat in aliquo caſu peccatorem occidere; multò magis licet occidere innocentem vel iuſtum

2. Illud quod fit ſecundùm ordinem iuſtitiæ, non eſt peccatum: ſed quandoque cogitur aliquis ſecundùm ordinem iuſtitiæ occidere innocentem, putà cùm iudex qui debet ſecundùm allegata iudicare, condemnat ad mortem eum quem ſcit innocentem, per falſos teſtes conuictum. Et ſimiliter miniſter qui iniuſtè condemnatum occidit, obediens iudici; ergo abſque peccato poteſt aliquis occidere innocentem.

Dicendum quòd aliquis homo

Digitized by Google

dupliciter conſiderari poteſt: vno modo ſecundùm ſe; alio modo per comparationem ad aliud. Secundùm ſe quidem conſiderando hominem, nullum occidere licet; quia in quolibet etiam peccatore, debemus amare naturam quam fecit Deus; quæ per occiſionem corrumpitur. Sed occiſio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur. Vita autem iuſtorum eſt conſeruatiua & promotiua boni communis; quia ipſi ſunt principalior pars multitudinis: & ideo nullo modo licet occidere innocentem.

Ad 1. R. quòd in penſanda grauitate peccati, magis eſt conſiderandum id quod eſt per ſe, quàm id quod eſt per accidens. Vnde ille qui occidit iuſtum, grauiùs peccat quàm ille qui occidit peccatorem: primò quidem quia nocet ei quem plus debet diligere; & ita magis contra charitatem agit. Secundò quia iniuriam infert ei qui eſt minùs dignus, & ita magis contra iuſtitiam agit. Tertiò quia priuat communitatem maiori bono. Quartò quia magis Deum contemnit. Quòd autem iuſtus occiſus ad gloriam perducatur à Deo, per accidens ſe habet ad occiſionem.

Ad 2. R. Quòd iudex ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus conuincitur, debet diligentiùs examinare teſtes, vt inueniat occaſionem liberandi innoxium. Si autem hoc non poteſt, debet eum ſuperiori relinquere iudicandum. Si autem nec hoc poteſt, non peccat ſecundùm allegata ſententiam ferens; quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi qui eum aſſerunt nocentem.

Miniſter autem iudicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire, aliàs excuſarentur carnifices qui martyres occiderunt. Si verò non contineat manifeſtam iniuſtitiam, non peccat præceptum exequendo; quia ipſe non habet diſcutere ſuperioris ſententiam, nec ipſe occidit innocentem; ſed iudex cui miniſterium exhibet. 2. 2. q. 64. *art. 6.*

EXODI Cap. 23. v. 8.

Nec accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes.

PRudentia corrumpitur per paſſiones, vt patet in textu. Et, *ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* 2. 2. q. 47. art. 16. *Dan. 13 v. 56.*

Idem locus explicatur ſuprà *Ex.* 18. *v.* 22. *& infra Prou.* 22. *v.* 7. *Ex.* 22. *q.* 187. *art.* 4. *ad quartum.*

EXODI Cap. 23. v. 9.

Peregrino moleſtus non eris.

EXplicatur ſuprà. *Exod.* 12. *v.* 48.

EXODI Cap. 23. v. 14.

Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.

VIdetur quòd homines non teneantur ad oblationes ex neceſſitate præcepti; non enim homines tempore Euangelii tenentur ad obſeruanda cæremonialia præcepta veteris legis, ſed oblationes offerre ponitur inter præcepta veteris legis vt patet in textu; nam poſtea ſubditur, *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*; ergo ad oblationes non tenentur nunc homi- *Ex. 23. v. 15.*

Digitized by Google

nes ex neceſſitate præcepti.

2. Oblationes antequam fiant, in voluntate hominis conſiſtunt, vt patet, *Si offers munus tuum ad altare*; quaſi hoc arbitrio offerentium relinquatur. Poſtquam autem oblationes ſunt factæ, non reſtat locus iteratò offerendi eas; ergo nullo modo aliquis ex neceſſitate præcepti ad oblationes tenetur.

Matth. 5. v. 23.

Dicendũ quòd nomen oblationis commune eſt ad omnes res quæ in cultum Dei exhibentur; ita quòd ſi aliquid exhibeatur in cultũ diuinũ, quaſi in aliquod ſacrum quod inde fieri debeat, conſumendum; & oblatio eſt, & ſacrificium. Vnde dicitur, *Offeres totum arietem in incenſum ſuper altare. Oblatio eſt Domino, odor ſuauiſſimus victimæ Dei.* Et, *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio.*

Ex. 29. v. 18.

Leu. 2. v. 1.

Si verò ſic exhibeatur vt integrum maneat, diuino cultui deputandum, vel in vſus miniſtrorum expendendum; erit oblatio & non ſacrificium. Huiuſmodi ergo oblationes de ſui ratione habent quòd voluntariè offerantur. Secundùm illud, *Ab homine qui offert vltroneus, accipietis eas.*

Ex. 25. v. 2.

Poteſt tamen contingere quòd aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione. *Primò* quidem ex præcedenti conuentione, ſicut cùm alicui conceditur aliquis fundus eccleſiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat; quod tamen habet rationem cenſus. *Secundò* propter præcedentem deputationem, ſiue promiſſionem; ſicut cùm aliquis offert donationes inter viuos, vel cùm relinquit teſtamento eccleſiæ aliquam rem mobilem vel immobilem, in poſterum ſoluendam. *Tertiò* modo propter eccleſiæ neceſſitatem, putà ſi miniſtri Eccleſiæ non haberent vnde ſuſtentarentur. *Quartò* propter conſuetudinem, tenentur enim fideles in aliquibus ſolemnitatibus ad aliquas oblationes conſuetas. Tamen in in his duobus vltimis caſibus remanet oblatio quodammodo voluntaria; ſcilicet quantùm ad quantitatem, vel ſpeciem rei oblatæ.

Ad 1. R. quòd in noua lege homines non tenentur ad oblationes, causâ ſolemnitatum legalium; ſed ex quibuſdam aliis cauſis, vt dictum eſt.

Ad 2. R. quòd ad oblationes faciendas tenentur aliqui, & antequam fiant (Sicut in primo, & tertio, & quarto modo) & etiam poſtquam eas fecerint per deputationem, ſiue promiſſionem. Tenentur enim realiter exhibere quod eſt eccleſiæ per modum deputationis oblatum.

Nota quòd illi qui oblationes debitas non reddunt, poſſunt puniri per ſubtractionem Sacramentorum; non per ipſum ſacerdotem cui ſunt oblationes faciendæ, ne videatur pro Sacramentorum exhibitione aliquid exigere; ſed per ſuperiorem aliquem. 22. *q.* 86. *art.* 1.

EXODI Cap. 23. *v.* 15.

Non apparebis in conſpectu meo vacuus.

EXplicatur ſupra. *Ex.* 23. *verſ.* 14.

EXODI Cap. 23. *v.* 19.

Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.

ETſi hœdus occiſus non ſentiat qualiter carnes eius coquantur; tamen in animo decoquentis ad quandam crudelitatem pertinere videtur, ſi lac matris quod datum eſt ei pro nutrimento, adhibeatur ad conſumptionem carnium ipſius.

Vel poteſt dici quòd gentiles in ſolemnitatibus idolorum taliter carnes hœdi decoquebant ad immolandum vel ad comedendum; & ideo poſtquam prædictum fuerat de ſolemnitatibus celebrandis in lege, ſubditur textus.

Figuralis autem ratio huius prohibitionis eſt, quia præfigurabatur quòd Chriſtus qui eſt hœdus propter ſimilitudinem carnis peccati, non erat à Iudæis coquendus, id eſt, occidens in lacte matris, id eſt, in tempore infantiæ. Vel ſignificatur quòd hœdus, id eſt, peccator, non eſt coquendus in lacte matris, id eſt, non eſt blanditiis deliniendus. **12. *q.* 102. *art.* 6. *ad quartum.***

EXODI. Cap. 23. *v.* 20.

Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te.

VIdetur quòd Angeli in miniſterium non mittantur; omnis enim miſſio eſt ad aliquem determinatum locum: ſed actiones intellectuales non determinant aliquem locum; quia intellectus abſtrahit ab hîc & nunc: cùm igitur actiones angelicæ ſint intellectuales, videtur quòd Angeli ad ſuas actiones agendas non mittantur.

2. Cœlum empyreum eſt locus pertinens ad dignitatem Angelorum; ſi igitur ad nos mittantur in miniſterium, videtur quòd eorum dignitati aliquid depereat; quod eſt inconueniens.

3. Miniſtrare eſt inferioris, vnde dicitur, *Quis maior eſt qui recumbit, an ille qui miniſtrat, nonne qui recumbit?* Sed Angeli ſunt maiores nobis ordine naturæ; ergo non mittuntur in miniſterium noſtrum. *Lucæ.* 22 *v.* 27

Dicendum quòd ille mitti dicitur, qui aliquo modo ab aliquo procedit, vt incipiat eſſe vbi priùs non erat; vel vbi priùs erat per alium modum. Filius enim, aut Spiritus Sanctus mitti dicitur, vt à patre procedens per originem; & incipit eſſe nouo modo, id eſt, per gratiam vel naturam aſſumptam, vbi priùs erat per Deïtatis præſentiam. Dei enim proprium eſt vbique eſſe; quia cùm ſit vniuerſale agens, eius virtus attingit omnia entia; vnde eſt in omnibus rebus.

Virtus autem Angeli, cùm ſit particulare agens, non attingit totum vniuerſum; ſed ſic attingit vnum, quod non attingit aliud. Et ideo ita eſt hîc quòd non alibi. Manifeſtum eſt autem quòd creatura corporalis per Angelos adminiſtratur: cùm igitur aliquid eſt fiendum per aliquem Angelum circa aliquam creaturam corpoream, de nouo applicatur Angelus illi corpori ſuâ virtute. Et ſic Angelus de nouo incipit ibi eſſe: & hoc totum procedit ex imperio diuino. Vnde ſequitur quòd Angelus à Deo mittatur.

Sed actio quam Angelus miſſus exercet, procedit à Deo ſicut à primo

mo principio, cuius nutu & auctoritate Angeli operantur; & in Deum reducitur ſicut in vltimum finem. Et hoc facit ratione miniſterii: nam miniſter eſt ſicut inſtrumentum intelligens: inſtrumentum autem ab alio monetur, & eius actio ad aliud ordinatur. Vnde actiones Angelorum miniſteria vocantur; & propter hoc dicuntur in miniſterium mitti.

Ad 1. R. quòd aliqua operatio dupliciter dicitur intellectualis: vno modo quaſi in ipſo intellectu conſiſtens, vt contemplatio. Et talis operatio non determinat ſibi locum. Alio modo dicitur aliqua actio intellectualis, quia eſt ab aliquo intellectu regulata & imperata. Et ſic manifeſtum eſt quòd operationes intellectuales interdum determinant ſibi loca.

Ad 2. R. quòd cœlum empyreum pertinet ad dignitatem Angeli ſecundùm congruentiam quandam; quia congruum eſt vt ſupremum corporum, naturæ quæ eſt ſupra omnia corpora attribuatur. Non tamen Angelus aliquid dignitatis accipit à cœlo empyreo: & ideo quando actu non eſt in cœlo empyreo, nihil eius dignitati ſubtrahitur; ſicut nec regi quando non actu ſedet in regali ſolio, quod congruit eius dignitati.

Ad 3. R. quòd Angeli in ſuis actionibus exterioribus miniſtrant principaliter Deo, & ſecundariò nobis; non quia nos ſumus ſuperiores eis ſimpliciter loquendo: ſed quilibet homo vel Angelus ſecundum adhærendo Deo, fit vnus ſpiritus cum Deo, eſt ſuperior omni creaturæ. 1. *p. q.* 112. *art.* 1.

EXODI Cap. XXIV. *v.* 8.

Hic eſt ſanguis fœderis.

SAnguis Chriſti dupliciter eſt hominibus exhibitus; primò quidem in figura, vt patet in textu; ſecundò in rei veritate videlicet in ſacramento altaris. *Explicatur infra Eſaiæ.* 57. *v.* 14. *Ex.* 3. *p. quaſt.* 78. *art.* 3.

EXODI Cap. 24. *v.* 12.

Dabo tibi tabulas lapideas & legem ac mandata quæ ſcripſi.

VIdetur quòd non fuit neceſſarium legem ſcriptam tradi, maximè de decem præceptis; ea enim quæ ſunt naturaliter ſcripta in intellectu ſpeculatiuo, nulla ſcientia in ſcripturam colligit: ſed decem præcepta ſunt naturaliter ſcripta in intellectu practico; ergo.

2. Scriptura videtur eſſe inuenta ad ſuccurrendum labilitati memoriæ: ſed alia præcepta legis, quæ non ſunt ita ſcripta in corde hominis ſicut iudicialia, & cæremonialia, faciliùs poterant tradi obliuioni; ergo ea magis debuerunt in tabulis lapideis ſcribi.

Dicendum quòd neceſſarium fuit ea quæ naturalis ratio dictat, quæ dicuntur ad legem naturæ pertinere, populo in præceptum dari, & in ſcriptum redigi propter quatuor rationes. *Primò* quia per contrariam conſuetudinem, qua multi in peccato præcipitabantur, iam apud multos ratio naturalis in qua ſcripta erant, obtenebrata erat. *Secundò* quia etſi in aliquibus vigebat

Lex ſcripta cur data.

ratio, tamen amor boni in eis deficiebat; vnde per quandam coactionem legis obligatoriæ ad bonum inducendi erant. *Tertiò* vt ad opera virtutis non ſolùm natura inclinaret, ſed etiam reuerentia diuini imperii. *Quartò* vt magis memoriâ renerentur, & frequentiùs in cogitatione verſarentur.

Ad 1. R. quòd paſſiones animæ non corrumpunt exiſtimationem ſpeculatiuam, ſicut corrumpunt exiſtimationem practicam: & ideo magis oportuit præcepta legis naturæ in ſcriptis redigi, quàm principia ſpeculatiua.

Ad 2. R. quòd præcepta iudicialia & cæremonialia erant mutabilia ſecundùm diuerſos ſtatus & conditiones hominum: ſed præcepta iſta legis naturæ immobiliter permanſura erant; in cuius ſignum in tabulis lapideis Deus ea ſcribi voluit.

Nota quòd iſta præcepta omnibus indita erant in naturali cognitione: & ideo in huius ſignum Deus toti populo per ſe ea edidit. Sed propter multos qui ſecundùm paſſiones viuunt, in quibus iudicium rationis obtenebratur; voluit vt per ſapientiores, in quibus iudicium rationis viget, in aliis cognitio horum præceptorum conſeruaretur: & ideo ſcribi ea voluit. *Lib. 3. ſent. diſt. 37. art. 1.*

Dabo tibi duas tabulas. Videtur quòd Chriſtus doctrinam ſuam debuerit ſcripto tradere; ſcriptura enim inuenta eſt ad hoc quòd doctrina commendetur memoriæ in futurum: ſed doctrina Chriſti duratura erat in æternum, ſecundùm illud, *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*; ergo videtur quòd Chriſtus debuerit ſuam doctrinam ſcripto mandare.

Luca 2. v. 33.

2. Lex vetus fuit ſcripta, vt patet in textu; ergo videtur quòd etiam Chriſtus doctrinam ſuam ſcribere debuerit.

Dicendum conueniens fuiſſe Chriſtum doctrinam ſuam non ſcripſiſſe. *Primò* quidem propter dignitatem ipſius, excellentiori enim doctori excellentior modus doctrinæ debetur; & ideo Chriſto tanquam excellentiſſimo doctori hic modus competebat, vt doctrinam ſuam auditorum cordibus imprimeret. *Secundò* propter excellentiam doctrinæ Chriſti, quæ literis comprehendi non poteſt, ſecundùm illud, *Sunt & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.* Quos non ſpatio locorum credendum eſt mundum capere non poſſe, ſed capacitate legentium comprehendi fortè non poſſent. Si autem Chriſtus ſcripto doctrinam ſuam mandaſſet, nihil altius de eius doctrina homines æſtimarent, quàm quod ſcriptura contineret. *Tertiò* vt ordine quodam, ab ipſo doctrina ad omnes perueniret, dum ipſe ſcilicet diſcipulos ſuos immediatè docuit; qui poſtmodum alios verbo & ſcripto docuerunt. Si autem ipſemet ſcripſiſſet, eius doctrina immediatè ad omnes perueniſſet.

Ioan. vlt. v. 45.

Ad 1. R. quòd ſicut Aug. dicit, omnibus diſcipulis ſuis tanquam membris ſui corporis Chriſtus caput eſt. Itaque cùm illi ſcripſerunt quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam dicendum eſt quòd ipſe non ſcripſerit; quandoquidem

Digitized by Google

membra eius id operata ſunt, quod dictante capite cognouerunt. Quicquid enim ille de ſuis factis & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus imperauit.

Ad 2. R. quòd quia lex vetus in ſenſibilibus figuris dabatur, ideo etiam conuenienter ſenſibilibus ſignis ſcripta fuit. Sed doctrina Chriſti quæ eſt lex ſpiritus vitæ, ſcribi debuit non atramento, ſed ſpiritu Dei viui; *Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*, vt dicitur.

2. Cor. 3. v. 3.

Nota quòd illi qui ſcripturæ Apoſtolorum de Chriſto credere noluerunt, nec ipſi Chriſto ſcribenti crediſſent; de quo opinabantur quòd magicis artibus feciſſet miracula. 3. *p. q.* 42. *art.* 4.

Idem locus explicatur ſupra. *Ex.* 20. *v.* 4.

EXODI Cap. 24. *v.* 14.

Si quid natum fuerit quæſtionis inter vos, &c.

Videtur quòd ſacerdos non poſſit ſemper ſuum ſubditum abſoluere; nam quandoque alicui peccato annexus eſt irregularitatis defectus, vel excommunicationis ſententia; à qua ſimplex ſacerdos abſoluere non poteſt.

2. Sacerdotii noſtri iudicium & poteſtas, per iudicium veteris Sacerdotii figuratur; ſed minoribus iudicibus ſecundùm legem non omnia competebat diſcutere, ſed ad ſuperiores recurrebant, vt patet in textu; ergo videtur quòd nec ſacerdos de grauibus peccatis poſſit ſubditum ſuum abſoluere, ſed debeat ad ſuperiorem remittere.

Dicendum quòd poteſtas ordinis quantùm eſt de ſe, extendit ſe ad omnia peccata remittenda: ſed quia ad vſum huiuſmodi poteſtatis requiritur iuriſdictio, quæ à maioribus in inferiores deſcendit; ideo poteſt ſuperior aliqua ſibi reſeruare in quibus iudicium inferiori non committat, aliàs de quolibet poteſt ſimplex ſacerdos habens iuriſdictionem abſoluere.

Sunt autem quinque caſus in quibus oportet quòd ſimplex ſacerdos pœnitentem ad ſuperiorem remittat. Primus eſt quando ſolemnis pœnitentia eſt imponenda, quia eius miniſter proprius eſt epiſcopus. Secundus eſt de excommunicatis, quando inferior ſacerdos non poteſt abſoluere; vt pote quando eſt à ſuperiori excommunicatus. Tertius quando inuenit irregularitatem contractam pro cuius diſpenſatione debet ad ſuperiorem remittere. Quartus de incendiariis. Quintus quando eſt conſuetudo in aliquo Epiſcopatu quòd enormia crimina ad terrorem reſeruentur Epiſcopo; quia conſuetudo dat, vel aufert in talibus poteſtatem.

Nota quòd quando ſacerdos mulierem ſubditam cognouit, nec ſacerdos debet audire confeſſionem mulieris cum qua peccauit, de illo peccato; ſed debet ad alium mittere; nec illa debet ei confiteri: ſed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad ſuperiorem recurrere, ſi ille licentiam denegaret; tum propter periculum, tum quia eſt minor verecundia: ſi tamen abſolueret abſoluta eſſet.

Ad 1. R. quòd pœnitentia ab omnibus defectibus culpæ liberat,

Digitized by Google

non autem ab omnibus defectibus pœnæ; quia adhuc poſt peractam pœnitentiam de homicidio, aliquis remanet irregularis: vnde ſacerdos poteſt de crimine abſoluere, & pro pœna amouenda debet ad ſuperiorem remittere, niſi in excommunicatione, quia abſolutio ab ipſa debet præcedere abſolutionem à peccato; quia quandiu aliquis eſt excommunicatus, non poteſt recipere aliquod Eccleſiæ Sacramentum.

Ad 1. R. quòd ratio illa procedit quantùm ad hæc in quibus ſibi ſuperiores poteſtatem iuriſdictionis reſeruant. *Lib. 4. ſent. diſt. 19. art. 3. & ſupplem. q. 20. art. 2.*

EXODI Cap. 24. v. 18.

Fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

MOyſes ex vi contemplationis diuinæ ieiunauit quadraginta diebus, quibus (vt videtur) conſeruatur corpus à conſumptione ex virtute animæ. Dicendum quòd quamuis Moyſes non affligeretur ex ieiunio quadraginta dierum, quia vires ſenſibiles ſuſpenſæ erant propter contemplationem Dei; tamen calor naturalis agebat & fiebat deperditio, quamuis non tanta; quia quando vires intellectiuæ vehementer contemplantur, etiam vires naturales in ſuis actibus impediuntur. Vel ſi nulla fiebat conſumptio, hoc non fuit niſi virtute diuinâ per miraculum. *Lib. 3. ſent. diſt. 16. art. 3. ad ſextum. V. in quæſt. diſp. quæſt. 26. de veritate art. 10. ad quintum.*

EXODI Cap. XXV. v. 2.

Ab homine qui offert vltraneus accipietis oblationes.

EXplicatur ſupra. *Exod. 23. v. 14.*

EXODI Cap. 25. v. 18.

Duos Cherubim aureos facies.

EXplicatur ſupra *Exod. 20. v. 5.*

EXODI Cap. 25. v. 25.

Facies ſuper coronam auream, alteram aureolam.

VIdetur quòd ille qui ſemper propter inanem gloriam docuit, per pœnitentiam aureolam recuperet; aureola enim doctrinæ debetur fructui, ſcilicet conuerſioni fidelium, ſecundùm illud, *Gaudium meum & corona mea*: ſed potuit contingere quòd ex prædicatione eius, qui propter inanem gloriam principaliter prædicauit, ſecutus eſt fructus conuerſionis fidelium; ergo ſi pœniteat debetur ei aureola. *Philip. 4. v. 1.*

2. Sicut virginitati debetur aureola, ita & doctrinæ: ſed ſi illa, quæ cùm virgo ſit carne, mente tamen eſt corrupta, pœnitentiam agit, recuperat aureolam; ergo pari ratione & doctor, qui propter inanem gloriam prædicauit.

Sed contra eſt quòd opera mortua per pœnitentiam non reuiuiſcunt: ſed opera iſtius doctoris propter inanem gloriam prædicantis, fuerant mortua, id eſt, cum peccato

Digitized by Google

facta; ergo non reuiuiſcunt per pœnitentiam ad præmium conſequendum.

Dicendum quòd cùm aureola importet quandam ſingularem excellentiam præmii, neceſſe eſt quòd præſupponat auream; ſicut comparatiuus præſupponit poſitiuũ; & hoc figuratur in textu. Et ideo qui non meretur auream, id eſt, præmium eſſentiale, non meretur aureolam. Qui autem propter inanem gloriam operantur, non merentur præmium eſſentiale, quia receperunt mercedem ſuam; vnde nec merentur aureolam. Pœnitentia autem reſtituit hominis præmia priùs habita, non autem confert ei ea quæ non habuit, niſi inquantum ipſe motus pœnitentiæ eſt meritorius. Vnde talis non meretur aureolam.

Aureola quibus debeatur.

Ad 1. R. quòd conuerſioni fidelium debetur aureola præſuppoſito merito eſſentialis præmii in eo qui prædicauit.

Ad 2. R. quòd aureola virginitatis debetur integritati carnis, quæ manet poſt pœnitentiam; & ideo debetur virgini pœnitenti aureola: ſed aureola doctrinæ debetur actui doctoris, qui tranſit. Et ideo poſt pœnitentiam non debetur aureola doctori, niſi actus reïteretur. *Quodlib. 5. art. 24.*

Facies ſuper coronam. In beatitudine non inuenitur niſi duplex præmium, ſcilicet eſſentiale & accidentale, quod eſſentiali ſuperadditur: ſed præmium eſſentiali ſuperadditum, dicitur aureola: ſed fructus non eſt præmium eſſentiale, quia ſic deberetur omnibus beatis; ergo eſt idem quòd aureola.

R. quòd quamuis aureola ſit quoddam accidentale præmium eſſentiali ſuperadditum; non tamen omne accidentale præmium eſt aureola, ſed præmium de operibus perfectionis, quibus homo maximè Chriſto conformatur ſecundùm perfectam victoriam. Vnde non eſt inconueniens quòd abſtractioni à carnali vita aliquod aliud accidentale præmium debeatur, quod fructus dicitur. Fructus enim corporalis dulcedinem habet qua reficit. *Supplem. quæſt. 96. art. 2. ad tertium.*

Exodi. Cap. 25. v. 40.

Vade & fac omnia ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.

ARguitur, Liber vitæ videtur importare repræſentationem vitæ, & quandam cauſalitatem ad vitam: ſed hoc totum conuenit Chriſto ſecundùm quod homo; quia etiam in ipſo ſicut in exemplari repræſentatur omnis vita gratiæ & gloriæ vt patet in textu. Similiter ipſe nobis vitam promeruit; ergo ipſe ſecundùm quod homo, poteſt dici liber vitæ.

R. quòd licet Chriſtus ſecundùm quod homo ſit exemplar & cauſa vitæ aliquo modo; non tamen ſecundùm quod homo eſt cauſa vitæ gloriæ per auctoritatem; nec eſt exemplar Deum dirigens ad dandum vitam. Vnde ſecundùm quod homo, non poteſt dici liber vitæ. *In quæſt. diſp. q. 7. de verit. art. 1. ad 16.*

Digitized by Google

Exodi Cap. XXVI. v. 1.

Tabernaculum ita fiet.

Videtur quòd cæremoniarum veteris legis quæ ad ſacta pertinent ſufficiens ratio aſſignari non poſſit; nam diuina lex præcipuè debet homines inducere ad diuinum cultum: ſed ad argumentum diuini cultus pertinet quòd fiant multa altaria & multa templa, ſicut patet in noua lege; ergo videtur quòd etiam in veteri lege non debuit eſſe ſolùm vnum templum, aut vnum tabernaculum, ſed multa.

2. Virtus primi mouentis quæ eſt Deus, primò apparet in parte Orientis; à qua parte incipit primus motus: ſed tabernaculum fuit inſtitutum ad Dei adorationem; ergo debebat eſſe diſpoſitum magis versùs Orientem, quàm versùs Occidentem.

3. In operibus Dei nihil debet eſſe ſuperfluum; quia nec in operibus naturæ aliquid ſuperfluum inuenitur: ſed vni tabernaculo vel domui ſufficit vnum operimentum; inconuenienter igitur tabernaculo fuerunt appoſita multa tegumenta, ſcilicet cortinæ, ſaga cilicina, pelles arietum rubricatæ, & pelles hyacinthinæ.

4. Conſecratio exterior interiorem ſanctitatem ſignificat, cuius ſubiectum eſt anima; inconuenienter igitur tabernaculum & eius vaſa conſecrabantur, cùm eſſent quædam corpora inanimata.

Dicendum quòd totus exterior cultus Dei ad hoc præcipuè ordinatur vt homines Deum in reuerentia habeant. Habet autem hoc humanus affectus vt ea quæ communia ſunt, & non diſtincta ab aliis, minùs reuereatur: ea verò quæ habent aliquam excellentiæ diſcretionem ab aliis, magis admiretur & reuereatur. Et inde etiam hominum conſuetudo inoleuit vt reges & principes, quos oportet in reuerentia haberi à ſubditis, & pretioſioribus veſtibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes poſſideant. Et propter hoc oportuit vt aliqua ſpecialia templa, & ſpeciale tabernaculum, & ſpecialia vaſa, & ſpeciales miniſtri ad cultum Dei ordinarentur; vt per hoc animi hominum ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur.

Similiter etiam ſtatus veteris legis inſtitutus erat ad figurandum myſterium Chriſti. Oportet autem eſſe aliquid determinatum id per quod aliquid figurari debet; vt ſcilicet eius aliquam ſimilitudinem repreſentet; & ideo oportuit aliqua ſpecialia obſeruari in his quæ pertinent ad cultum Dei.

Ad 1. R. quòd ratio vnitatis templi vel tabernaculi poteſt eſſe & literalis & figuralis: literalis quidem eſt ratio ad excluſionem idololatriæ; quia gentiles diuerſis diis diuerſa templa conſtituebant: & ideo vt firmaretur in animis hominum fides vnitatis diuinæ, voluit Deus vt in vno loco tantùm ſibi ſacrificium offerretur: & iterum vt poſt hoc oſtenderet quòd corporalis cultus non propter ſe erat ei acceptus; & ideo compeſcebantur ne paſſim & vbique ſacrificia offerrent.

Digitized by Google

Sed cultus nouæ legis, in cuius ſacrificio ſpiritualis gratia continetur, eſt ſecundùm ſe Deo acceptus: & ideo multiplicatio altarium & templorum acceptatur in noua lege. Quantùm verò ad ea quæ pertinebanr ad ſpiritualem cultum Dei, qui conſiſtit in doctrina legis & prophetarum, erant etiam in veteri lege diuerſa loca deputata, in quibus conueniebant ad laudem Dei, quæ dicebantur ſynagogæ, ſicut & nunc dicuntur Eccleſiæ, in quibus populus Chriſtianus ad laudem Dei congregatur. Et ſic Eccleſia noſtra ſuccedit in locum & templi & ſynagogæ; quia ipſum ſacrificium Eccleſiæ ſpirituale eſt: Vnde non diſtinguitur apud nos locus ſacrificii à loco doctrinæ.

Ratio autem figuralis eſſe poteſt, quia per hoc ſignificabatur vnitas Eccleſiæ vel militantis, vel triumphantis.

Ad 2. R. quòd adoratio ad Occidentem fuit introducta in lege, ad excludendam idololatriam: nam omnes gentiles in reuerentiam ſolis adorabant ad Orientem; vnde dicitur quod quidam *Habebant dorſa contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum ſolis.* Vnde ad hoc excludendum tabernaculum habebat ſancta ſanctorum ad Occidentem, vt versùs Occidentem adorarent.

Cur adoratio ad Occidentē. *Ezech. 8. v. 16. V. ſupra Gen. 2. v. 8.*

Ratio etiam figuralis eſſe poteſt, quia totus ſtatus prioris tabernaculi ordinabatur ad ſignificandum mortem Chriſti, quæ figuratur per occaſum, ſecundùm illud, *Qui aſcendit ſuper occaſum Dominus nomen illi.*

Pſ. 67. v. 5.

Ad 3. R. quod corpus tabernaculi conſtabat ex quibuſdam tabulis in longitudinem erectis, quæ quidem interiùs tegebantur quibuſdam cortinis ex quatuor coloribus variatis, ſcilicet de byſſo retorta, & hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto: ſed huiuſmodi cortinæ tegebant ſolùm latera tabernaculi.

In tecto autem tabernaculi erat operimentum vnum de pellibus Hyacinthinis, & ſuper hoc aliud de pellibus arietum rubricatis, & deſuper tertium de quibuſdam ſagis ciliciniis, quæ non tantùm operiebant textum tabernaculi, ſed etiam deſcendebant vſque ad terram, & tegebant tabulas tabernaculi exteriùs. Horum autem operimentorum ratio literalis in communi, erat ornatus & protectio tabernaculi, vt reuerentia haberetur. In ſpeciali verò ſecundùm quoſdam per cortinas deſignabatur cœlum ſidereum quod eſt diuerſis ſtellis variatum; per ſaga, aquæ quæ ſunt ſupra firmamentum; per pelles rubricatas, cœlum empyreum, in quo ſunt Angeli, per pelles Hyacinthinas, cœlum ſanctæ Trinitatis.

Figuralis autem ratio horum eſt quia per tabulas ex quibus cōſtruebatur tabernaculum, ſignificantur Chriſti fideles, ex quibus conſtruitur Eccleſia. Tegebantur autem interiùs tabulæ cortinis quadricoloribus; quia fideles interiùs ornātur quatuor virtutibus: nam in byſſo retorta ſignificatur caro caſtitate renitens, in Hyacintho mens ſuperna cupiens; in purpura caro paſſionibus ſubiacens; in cocco bis tincto mens inter paſſiones Dei & proximi dilectione præfulgens.

Per operimenta verò tecti deſi-

gnantur prælati & doctores, in quibus debet renitere cœleſtis conuerſatio, quod ſignificatur per pelles Hyacinthinas; promptitudo ad martyrium, quod ſignificant pelles rubricatæ; auſteritas vitæ & tolerantia aduerſorum, quæ ſignificantur per ſaga cilicina, quæ erant expoſita ventis & pluuiis.

Ad 4. R. quòd ſanctificatio tabernaculi & vaſorum eius, habebat cauſam literalem, vt in maiori reuerentia haberetur; quaſi per huiuſmodi conſecrationem diuino cultui deputatum.

Figuralis autem ratio eſt, quia per huiuſmodi ſanctificationem ſignificatur ſpiritualis ſanctificatio viuentis tabernaculi, ſcilicet fidelium, ex quibus conſtituitur Eccleſia Chriſti. 12. *q.* 101. *art.* 4.

Exodi Cap. 26. v. 31.

Facies & velum.

ARguitur, Tabernaculum ſeu templum ad cultum Dei ordinabatur: ſed in Deo præcipuè oportet venerari vnitatem & ſimplicitatem; non videtur igitur fuiſſe conueniens, vt tabernaculum ſeu templum per quædam vela diſtingueretur.

R. quòd ſicut in vnitate templi vel tabernaculi repræſentabatur vnitas Dei vel vnitas Eccleſiæ, ita etiam in diſtinctione tabernaculi vel templi repræſentabatur diſtinctio eorum quæ Deo ſunt ſubiecta, ex quibus in Dei venerationem conſurgimus. Diſtinguebatur autem tabernaculum in duas partes; in vnam quę vocabatur Sancta Sanctorum, quæ erat occidentalis; & aliam, quæ vocabatur Sancta, quæ erat ad orientem. Et iterum ante tabernaculum erat atrium.

Hæc igitur diſtinctio duplicem habet rationem; vnam quidem ſecundùm quod tabernaculum ordinatur ad cultum Dei; ſic enim diuerſæ partes mundi in diſtinctione tabernaculi figurantur. Nam pars illa quæ Sancta Sanctorum dicitur, figurabat ſeculum altius, quod eſt ſpiritualium ſubſtantiarum. Pars verò illa quæ dicitur ſancta, exprimebat mundum corporalem; & ideo Sancta, à Sanctis Sanctorum diſtinguebãtur quodam velo, quod quatuor coloribus erat diſtinctum; per quod quatuor elementa deſignantur, ſcilicet byſſo, per quod deſignatur terra; quia byſſus, id eſt, linum, de terra naſcitur. Purpura, per quam ſignificatur aqua, fiebat enim purpureus color ex quibuſdam conchis, quæ inueniuntur in mari. Hyacintho, per quem ſignificatur aër; quia habet aëreum colorem. Et cocco bis tincto, per quem deſignatur ignis. Et hoc ideo quia materia quatuor elementorum eſt impedimentum, per quod velantur nobis incorporales ſubſtantiæ: ideo in interiùs tabernaculum, id eſt, in Sancta Sanctorum ſolus ſummus Sacerdos, & ſemel in anno introibat; vt deſignaretur quod hæc eſt finalis perfectio hominis, vt ad illud ſeculum introducatur. In tabernaculum verò exteriùs, id eſt, in ſancta introibant ſacerdotes quotidie; non autem populus, qui ſolùm ad atrium accedebat; quia ipſa corporalia populus percipere poteſt; ad interiores autem eorum rationes ſoli ſapientes per conſiderationem attingere poſſunt.

Secundùm

Secundùm verò rationem figuralem, per exterius tabernaculum, quod dicitur Sancta, ſignificatur ſtatus veteris legis, vt Apoſtolus
Hebr 9. *v.* 6. dicit, quia *Illud tabernaculum ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes.* Per interiùs verò tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, ſignificatur vel cœleſtis gloria, vel etiam ſtatus ſpiritualis nouæ legis; qui eſt quædam inchoatio futuræ gloriæ; in quem ſtatum nos Chriſtus introduxit; quod figurabatur per hoc quòd ſummus ſacerdos ſemel in anno ſolus in Sancta Sanctorum introibat.

Velum autem figurabat ſpiritualium occultationem ſacrificiorum in veteribus ſacrificiis; quod velum quatuor coloribus erat ornatum; byſſo quidem, ad deſignandam carnis puritatem; purpura autem ad figurandum paſſiones quas ſancti ſuſtinerunt pro Deo; cocco bis tincto, ad ſignificandam charitatem geminam Dei & proximi; Hyacintho autem ſignificabatur cœleſtis meditatio.

Ad ſtatum autem veteris legis aliter ſe habebat populus, & aliter ſacerdotes; nam populus ipſa corporalia ſacrificia conſiderabat, quæ in atrio offerebantur: ſacerdotes verò rationem ſacrificiorum conſiderabant, habentes fidem magis explicitam de myſteriis Chriſti. Et ideo intrabant in exterius tabernaculum, quod etiam quodam velo diſtinguebatur ab atrio; quia quædam erant velata populo circa myſterium Chriſti, quæ ſacerdotibus erant nota: non tamen erant eis plenè reuelata, ſicut poſtea in nouo teſtamento. 12. *q.* 102. *art.* 4. *ad* 4.

EXODI. Cap. XXVII. *v.* 1.

Facies altare de lignis Sethim.

Explicatur ſupra *Exod.* 20. *verſ.* 24.

EXODI Cap. XXVIII. *v.* 4.

Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient.

Arguitur, dicitur, *Homines vident ea quæ patent, Deus autem intuetur cor:* 1. *Reg.* 16. *v.* 7.
ſed ea quæ exterius patent in homine, eſt corporalis diſpoſitio, & etiam indumenta; inconuenienter igitur ſacerdotibus maioribus & minoribus quædam ſpecialia veſtimenta deputabantur, vt patet in textu. Et ſine ratione videtur quòd prohiberetur aliquis à ſacerdotio propter corporales defectus, ſecundùm quod dicitur, *Homo de* *Lev.* 21.
ſemine tuo per familias qui habuerit *v.* 17.
maculam, non offeret panes Deo ſuo, ſi cæcus fuerit vel claudus.

Ad argum. R. quòd intentio legis erat inducere ad reuerentiam diuini cultus, & hoc dupliciter. Vno modo excludendo à cultu diuino omne id quod poterat eſſe contemptibile: Alio modo apponendo ad cultum diuinum omne illud quod videbatur ad honorificentiam pertinere Et ſi hoc quidem obſeruabatur in tabernaculo & vaſis eius & animalibus immolandis, multò magis hoc obſeruandum erat in ipſis miniſtris.

Et ideo ad remouendum con-

temptum miniſtrorum, præceptum fuit vt non haberent maculam vel defectum corporalem; quia huiuſmodi homines ſolent apud alios in contemptu haberi. Propter quod etiam inſtitutum fuit vt non ſparſim ex quolibet genere ad Dei miniſterium applicarentur; ſed ex certa proſapia ſecundùm generis ſucceſſionem; vt ex hoc clariores & nobiliores haberentur. Ad hoc autem quòd in reuerentia haberentur, adhibebatur eis ſpecialis ornatus veſtium, & ſpecialis conſecratio. Et hæc eſt in communi cauſa ornatus veſtium.

Pontificis antiquæ legis veſtimenta octo.

In ſpeciali autem ſciendum eſt quòd Pontifex habebat octo ornamenta. *Primò* enim habebat veſtem lineam. *Secundò* habebat tunicam Hyacinthinam, in cuius extremitate versùs pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quædam, & mala punica facta ex Hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto. *Tertiò* habebat ſuperhumerale, quod tegebat humeros, & anteriorem partem vſque ad cingulum; quod erat ex auro, & Hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta: & ſuper humeros habebat duos onychinos, in quibus erant ſcripta nomina filiorum Iſraël.

Quartum erat rationale, ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & coniungebatur ſuperhumerali. Et in hoc rationali erant duodecim lapides pretioſi diſtincti per quatuor ordines; in quibus etiam ſculpta erant nomina filiorum Iſraël; quaſi ad deſignandum quòd ferret onus totius populi, per hoc quod habebat nomina eorum in humeris; & quòd iugiter debebat de eorum ſalute cogitare, per hoc quod portabat eos in pectore, quaſi in corde habens. In quo etiam rationali mandauit Dominus poni doctrinam & veritatem; quia quædam pertinentia ad veritatem iuſtitiæ & doctrinæ ſcribebantur in illo rationali. Iudæi tamen fabulantur quòd in rationali erat lapis, qui ſecundùm diuerſos colores mutabatur ſecundùm diuerſa quæ debebant accidere filiis Iſraël; & hoc vocant veritatem & doctrinam.

Quintum erat baltheus, id eſt, cingulus quidam factus ex prædictis quatuor coloribus. *Sextum* erat tiara, id eſt, mitra quædam de byſſo. *Septimum* autem erat lamina aurea, pendens in fronte eius, in qua ſcriptum erat nomen Domini. *Octauum* autem erant femoralia linea, vt operirent carnem turpitudinis ſuæ quando accederet ad ſanctuarium vel ad altare. Ex iſtis autem octo ornamentis, minores ſacerdotes habebant quatuor, ſcilicet tunicam lineam, femoralia, baltheum & tiaram.

Horum ornamentorum quidam rationem literalem aſſignant, dicentes quòd in iſtis ornamentis deſignabatur diſpoſitio orbis terrarum; quaſi Pontifex proteſtaretur ſe eſſe miniſtrum creatoris mundi. Vnde etiam dicitur quòd *In veſte Aaron erat deſcriptus orbis terrarum.* Sap. 18. v. 24. Nam femoralia linea figurabant terram, ex qua linum naſcitur; balthei circumuolutio ſignificabat oceanum qui circumcingit terram. Tunica hyacinthina ſuo colore ſignificabat aërem; per cuius tintinnabula ſignificabantur tonitrua; per mala granata corruſcationes. Superhumerale verò ſignificabat ſua

varietate cœlum ſidereum : duo onychini duo Hemiſpheria, vel ſolem & lunam. Duodecim gemmæ in pectore, duodecim ſigna in zodiaco, quæ dicebantur poſita in rationali; quia in cœleſtibus ſunt rationes terrenorum, ſecundùm illud
Iob 38. v. 33. *Nunquid noſti ordinem cœli, & ponis rationem eius in terra*? Cidaris autem vel tiara, ſignificabat cœlum Empyreum: Lamina aurea Deum omnibus præſidentem.

Figuralis verò ratio manifeſta eſt, nam maculæ vel defectus corporales, à quibus debebant ſacerdotes eſſe immunes, ſignificabant diuerſa vitia & peccata quibus debebant carere. Prohibetur enim eſſe cœcus, id eſt, ne ſit ignorans. Ne ſit claudus; id eſt, inſtabilis, & ad diuerſa ſe inclinans. Ne ſit paruo vel grandi, vel torto naſo, id eſt, ne per defectum diſcretionis, vel in plus, vel in minus excedat; aut etiam aliqua praua exerceat. Per naſum enim diſcretio deſignatur, quia eſt diſcretiuus odoris. Ne ſit fracto pede vel manu, id eſt, ne amittat virtutem bene operandi vel procedendi in virtutibus. Repudiatur etiam ſi habeat gibbum, vel ante vel retro: per quem ſignificatur ſuperfluus amor terrenorum. Si eſt lippus, id eſt, per carnalem affectum eius ingenium obſcuratur; contingit enim lippitudo ex fluxu humoris. Repudiatur etiam ſi habeat albuginem in oculo, id eſt, præſumptionem candoris iuſtitiæ in ſua cogitatione. Repudiatur etiam ſi habeat iugem ſcabiem, id eſt, petulantiam carnis. Et ſi habuerit impetiginem; quæ ſine dolore corpus occupat, & membrorum decorem fœdat; per quam auaritia deſignatur. Et etiam ſi ſit herniosus vel ponderoſus, qui ſcilicet geſtat pondus turpitudinis in corde, licet non exerceat in opere.

Naſus diſcretionis Symbolum.

Per ornamenta verò deſignantur virtutes miniſtrorum Dei. Sunt autem quatuor quæ ſunt neceſſaria omnibus miniſtris, ſcilicet caſtitas quæ ſignificatur per femoralia. Puritas verò vitæ, quæ ſignificatur per lineam tunicam. Moderatio diſcretionis, quæ ſignificatur per cingulum Et rectitudo intentionis, quæ ſignificatur per tiaram protegentem caput.

Sed præ his Pontifices debent quatuor habere: *Primò* quidem iugem Dei memoriam in contemplatione, & hoc ſignificat lamina aurea habens nomen Dei in fronte. *Secundò* quòd ſupportent infirmitates populi, quod ſignificat ſuperhumerale. *Tertiò* quòd habeant populum in corde & in viſceribus per ſolicitudinem charitatis, quod ſignificatur per rationale. *Quartò* quòd habeant conuerſationem cœleſtem per opera perfectionis, quod ſignificatur per tunicam hyacinthinam. Vnde & tunicæ hyacinthinæ adiunguntur in extremitate tintinnabula aurea, per quæ ſignificatur doctrina diuinorum, quæ debet coniungi cœleſti conuerſationi pontificis. Adiunguntur etiam mala punica, per quæ ſignificantur vnitas fidei & concordia in bonis moribus; quia ſic coniuncta debet eſſe eius doctrina, vt per eam fidei & pacis vnitas non rumpatur. 12. *q.* 102. *art.* 5. *ad decimum*.

EXODI Cap. XXIX. *v.* 21.

De ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis aſperges Aaron.

ILla ſanctificatio ſacerdotis, & filiorum eius, & veſtium ipſorum vel quorumcunque aliorum per aſperſionem ſanguinis, nihil aliud erat quàm deputatio ad diuinum cultum, & remotio impedimentorum ad emundationem carnis, non ad remotionem culpæ, 12. *q.* 103. *art.* 2. *ad primum.*

EXODI Cap. XXX. *v.* 1.

Facies altare ad adolendum.

EXplicatur ſupra *Exod.* 20. *verſ.* 24.

EXODI Cap. 30. *v.* 18.

Facies labium æneum ad lauandum.

ARguitur, ſpiritualis immunditia non poteſt per corporalem aquam vel pilorum raſuram emundari; irrationabile igitur videtur quòd Dominus præcipit, vt fieret labium æneum ad lauandum manus & pedes ſacerdotum, qui ingreſſuri erant tabernaculum. Et
Num 8. v. 7 quod præcipitur, quòd *Leuitæ abſtergerentur aqua luſtrationis, & raderent omnes pilos carnis ſuæ.*

Præterea, quòd maius eſt, non poteſt ſanctificari per illud quod minus eſt; inconuenienter igitur per quandam vnctionem corporalem & corporalia ſacrificia, & oblationes corporales fiebat in lege conſecratio maiorum & minorum ſacerdotum, vt habetur, & Leuitarum, vt habetur. Leu. 8. v. 2. Num. 8. v. 12.

Dicendum quòd ſacramenta propriè dicuntur illa quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam conſecrationem, per quam ſcilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali quidem modo pertinebat ad totum populum: ſed ſpeciali modo pertinebat ad Sacerdotes & Leuitas, qui erant miniſtri cultus diuini: & ideo in iſtis ſacramentis veteris legis, quædam pertinebant communiter ad totum populum; quædam autem ſpecialiter ad miniſtros: & circa vtroſque tria erant neceſſaria. Quorum *primum* eſt inſtitutio in ſtatu colendi Deum: & hæc quidem inſtitutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumciſionem, ſine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium: quantùm verò ad Sacerdotes per Sacerdotum conſecrationem.

Secundò requirebatur vſus eorum quæ pertinent ad diuinum cultum: & ſic quantùm ad populum erat eſus paſchalis conuiuii, ad quem nullus incircunciſus admittebatur. Et quantùm ad ſacerdotes, oblatio victimarum, & eſus panum propoſitionis, & aliorum quæ erant Sacerdotum vſibus deputata. *Tertiò*, requirebatur remotio eorum per quæ aliqui impediebantur à cultu diuino, ſcilicet immunditiarum. Et ſic quantùm ad populum erant inſtitutæ quædam purificationes à quibuſdam exteriotibus immunditiis, & etiam expiationes à peccatis. Quantùm verò ad Sacerdotes & Leuitas, erat inſtituta ablutio

Digitized by Google

manuum & pedum & raſio pilorum.

Ad vtrumque argum. R. quòd ſicut populus inſtituebatur ad cultum Dei per circumciſionem, ita miniſter per aliquam ſpecialem purificationem vel conſecrationem. Vnde & ſeparari ab aliis præcipiuntur, quaſi ſpecialiter ad miniſterium cultus diuini præ aliis deputati. Et totum quod circa eos fiebat, in eorum conſecratione vel inſtitutione, ad hoc pertinebat vt oſtenderetur eos habere quandam prærogatiuam puritatis, & virtutis, & dignitatis.

Et ideo in inſtitutione miniſtrorum tria fiebant, *primò* enim purificabantur; *ſecundò* ordinabantur & conſecrabantur; *Tertiò* applicabantur ad vſum miniſterii. Purificabantur quidem communiter omnes per ablutionem aquæ, & per quædam ſacrificia: ſpecialiter autem
Num.8. v. 7. Leuitæ radebant omnes pilos carnis ſuæ, vt habetur.

Conſecratio verò circa pontifices & ſacerdotes hoc ordine fiebat: *Primò* enim poſtquam abluti erant, induebantur quibuſdam veſtimentis ſpecialibus pertinentibus ad deſignandam dignitatem ipſorum. Specialiter autem pontifex oleo vnctionis in capite vngebatur, vt deſignaretur quòd ab ipſo diffundebatur poteſtas conſecrandi ad
Pſ. 132. v. 2. alios; ſicut oleum à capite deriuatur ad inferiora, vt habetur, *Sicut vnguentum in cap. &c.*

Leuitæ verò non habebant aliam conſecrationem, niſi quòd offerebantur Domino à filiis Iſraël per manus pontificis, qui orabat pro eis. Minorum verò ſacerdotum ſolæ manus conſecrabantur, quæ erant applicandæ ad ſacrificia. Et de ſanguine animalis immolatitii tingebatur extremum auriculæ dextræ ipſorum, & pollices pedis aut manus dextræ; vt ſcilicet eſſent obedientes legi Dei in oblatione Sacrificiorum: Quod ſignificatur in intinctione auris dextræ; & quòd eſſent ſoliciti & prompti in executione Sacrificiorum, quod ſignificatur in intinctione pedis & manus dextræ. Aſpergebantur etiam ipſi, & veſtimenta eorum ſanguine animalis immolati, in memoriam ſanguinis agni, per quem fuerunt liberati in Ægypto.

Offerebantur autem in eorum conſecratione huiuſmodi Sacrificia: vitulus pro peccato, in memoriam remiſſionis peccati Aaron circa conflationem vituli: Aries in holocauſtum, in memoriam oblationis Abrahæ, cuius obedientiam Pontifex imitari debebat: Aries etiam conſecrationis qui erat quaſi hoſtia pacifica, in memoriam liberationis de Ægypto per ſanguinem agni: Caniſtrum autem panum, in memoriam mannæ præſtiti populo.

Pertinebat autem ad applicationem miniſterii quòd imponebantur ſuper manus eorum, adeps arietis, & torta panis vnius, & armus dexter; vt oſtenderetur quòd accipiebant poteſtatem huiuſmodi offerendi Domino. Leuitæ verò applicabantur ad miniſterium, per hoc quòd intromittebantur in tabernaculum fœderis, quaſi ad miniſtrandum circa vaſa ſanctuarii.

Figuralis verò horum ratio erat; quia illi qui ſunt conſecrandi ad ſpirituale miniſterium Chriſti, debet primò purificari per aquam baptiſmi & lachrymarum in fide paſſionis

Digitized by Google

Chriſti; quod eſt expiatiuum & purgatiuum ſacrificium. Et debent radere omnes pilos carnis, id eſt, omnes prauas cogitationes; debent etiam ornari virtutibus, & conſecrari oleo Spiritus Sancti, & aſperſione ſanguinis Chriſti. Et ſic debent eſſe intenti ad exequenda ſpiritualia miniſteria. 12. *q.* 102. *art.* 5. *ad octauum. V.* 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *ad primum.*

EXODI Cap. XXXII. *v.* 6.

Sedit populus manducare.

ARguitur, Omne quod corrumpit medium virtutis, corrumpit virtutem quæ in medio conſiſtit: ſed gula corrumpit medium virtutis; ergo eſt peccatum mortale.

2. Peccatum mortale conſiſtit in auerſione à Deo: ſed gula auertit hominem à Deo, quia facit hominem idololatrare, vt patet in textu, ludere ſcilicet in honorem idoli. Facit etiam fornicari, dicitur enim *Comedent & non ſaturabuntur, fornicati ſunt, & non ceſſauerunt*; ergo gula eſt peccatum mortale. *Oſee 4. v. 10.*

Dicendum quòd cùm quæritur de aliquo peccato in generali vtrum ſit mortale, debet intelligi quæſtio vtrum ſit mortale ex ſuo genere; quia in quolibet genere peccati mortalis putà vt homicidii, vel adulterii, poteſt inueniri aliquis motus, qui eſt peccatum veniale. Et ſimiliter in quolibet genere peccati venialis poteſt inueniri aliquis actus qui eſt peccatum mortale, ſicut in genere verbi otioſi cùm refertur ad finem peccati mortalis.

Species autem moralis actus ſumitur ex obiecto: vnde ſi obiectum peccati alicuius contrariatur charitati, in qua vita ſpiritualis conſiſtit; neceſſe eſt quòd illud peccatum ſit mortale ex ſuo genere, vel ex ſua ſpecie: ſicut blaſphemia ex ſuo genere contrariatur charitati quantùm ad dilectionem Dei; & homicidium quantùm ad dilectionem proximi: vnde vtrumque eſt peccatum mortale.

Peccatum autem gulæ conſiſtit in concupiſcentia inordinata delectationis ciborum. Ipſa autem ciborum delectatio ſecundùm ſe conſiderata non contrariatur charitati, neque quantùm ad dilectionem Dei, neque quantùm ad dilectionem proximi: ſed ſecundùm quod additur inordinatio, poteſt quodammodo contrariari & quodammodo non contrariari. Concupiſcentia enim huius delectabilis poteſt eſſe inordinata dupliciter; vno modo ſic quòd excludat ordinem finis vltimi: quodquidem contingit quando talem delectationem homo appetit vt finem vltimum; eo quòd non eſt poſſibile vnius hominis eſſe multos fines vltimos. Et talis inordinatio repugnat charitati quantùm ad dilectionem Dei, qui debet diligi vt finis vltimus. *Gula non eſt peccatũ mortale ex genere ſuo.*

Alio modo concupiſcentia poteſt eſſe inordinata ſecundùm ea quæ ſunt ad finem, ſaluato ordine finis vltimi; putà cùm aliquis concupiſcit nimium cibum vel potum, non tamen ſic concupiſcit vt propter hoc conſequendum vellet tranſgredi diuina præcepta: & talis inordinatio non repugnat charitati. Eſt autem de ratione gulæ inordinatio concupiſcentiæ; non tamen eſt de

Digitized by Google

ratione eius inordinatio tollens ordinem finis vltimi. Et ideo gula ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei non habet quòd ſit peccatum mortale: ſed poteſt quandoque eſſe peccatum mortale, & quandoque veniale; ſecundùm iam dictos duos inordinationis modos.

Ad 1. R. quòd omne peccatum veniale & mortale corrumpit medium virtutis in actu. Non enim eſſet peccatum niſi à medio rationis diſcederetur. Sed habitum virtutis non tollit niſi illud peccatum quod contrariatur charitati, à qua omnes virtutes dependent. Et ſecundùm hoc gula quæ eſt peccatum veniale, non corrumpit medium virtutis in habitu, ſed in actu.

Ad 2. R. quòd gula diſpoſitiuè inducit ad idololatriam & luxuriam. Non autem ita quòd hæc duo ſint de ratione gulæ: vnde non ſequitur quòd peccatum gulæ ſit peccatum mortale; quia etiam peccatum veniale poteſt diſponere ad mortale. *In quæſt. diſp. quæſt.* 14. *de malo art.* 2.

Sedit populus Superfluitas in ludo pertinet ad ineptam lætitiam, quæ dicitur filia gulæ vt patet in textu. 22. *q.* 168. *art.* 3.

EXODI Cap. 32. v. 19.

Proiecit de manu tabulas, & confregit eas.

IVdæi habebant ſpeciales cauſas quare ieiunia obſeruabant. In Iulio enim qui eſt quartus menſis ab Aprili, quem ipſi primum habent, ieiunabant; quia illo menſe ſeptimâ die menſis Moyſes deſcendens de monte legis tabulas confregit propter peccatum vituli conflatilis. Et eodem menſe muri Hieruſalem à Nabuchodonoſor deſtructi ſunt.

In quinto autem menſe, id eſt, in Auguſto, propter peccatum murmuris ex verbis exploratorum Chiottis. Et illo menſe templum incenſum eſt à Nabuchodonoſor; & poſtea etiam à Tito. In ſeptimo autem menſe, propter interfectionem Godoliæ, ſub quo reliquiæ populi conſeruabantur, vt patet. In decimo autem menſe, in memoriam mortuorum quos Dominus in deſerto percuſſerat. *Ieiunia Iudæorum & Chriſtianorum.* *Hierem. 41. v. 1.*

Nos autem præter Ieiunium quadrageſimale, in quo omnium dierum quaſi decimam ſoluimus; in ſingulis quadris anni, tres dies ieiunii inſtituti ſunt, qui quaſi in primitias computentur; & ad expiandum peccata ſingularum quartarum. *Lib. 4. ſent. diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 3. *ad quartum. Simile* 22. *q.* 147. *art.* 5. *ad ſecundum.*

EXODI Cap. 32. v. 27.

Occidat vnuſquiſque fratrem.

ARguitur, iuſtitia nunquam reddit æqualibus niſi æqualia: ſed Deus quandoque æqualibus inæqualia tribuit; ante enim quam Iacob & Eſau nati eſſent, aut aliquid boni vel mali egiſſent, omnino æquales erant: & tamen vni præparauit gloriam & alteri pœnam, vt patet. Similiter cùm Aaron & filii Iſraël peccaſſent æqualiter in idoli adoratione, Aaron non eſt punitus, cùm populus punitus fuerit; ergo videtur quòd non in omnibus iuſtitiam ſeruet. *Rom. 9. v. 11.*

R. quòd omnibus hominibus ex merito proprii peccati debetur pœna æterna: ſed quòd aliqui liberen-

Digitized by Google

tur, hoc eſt ex ſola diuina liberalitate: poſſet enim omnes iuſtè damnare: & ideo nulla eſt iniuſtitia ſi aliquos eligat, & aliquos reprobat, in quibus tamen nulla differentia meritorum præceſſit. Aaron autem punitus fuit, quamuis non pœnâ manifeſtâ, ſicut & populus; in ſignum quòd prælati non debent puniri manifeſtè, ſed occultè; propter ſcandalum vitandum.

Pœna autem Aaron dicitur fuiſſe in ipſo & filiis eius, quòd in ſacrificio vitulæ rufæ immundi efficiebantur, vt habetur. Aug. tamen hoc occulto Dei iudicio aſcribit, qui quibuſdam parcit ad tempus, vt in melius commutentur aliis punitis. *Lib. 4. ſent. diſt. 46. q. 2. art. 2. ad quintum.*

Num. 19. v. 2.

Occidat vnuſquiſque. Videtur quòd ſchiſma grauius peccatum ſit quàm infidelitas: maius enim peccatum grauiori pœnâ punitur, ſecundùm illud, *Pro menſura peccati erit & plagarum modus*: ſed peccatum ſchiſmatis grauius inuenitur punitum quàm etiam peccatum infidelitatis ſiue idololatriæ: nam propter idololatriam ſunt aliqui humanâ manu gladio interfecti, vt patet in textu. De peccato autem ſchiſmatis legitur; *Si nouam rem fecerit Dominus vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes ad infernum; ſcietis quod blaſphemauerunt Dominum Deum.* Decem etiam tribus, quæ vitio ſchiſmatis à regno Dauid receſſerunt, ſunt grauiſſimè punitæ, vt habetur; ergo peccatum Schiſmatis eſt grauius peccato infidelitatis.

Deut. 25. v. 2.

Num. 16. v. 30

4. Reg. 17. v. 25.

2. Bonum multitudinis eſt maius & diuinius, quàm bonum vnius: ſed Schiſma eſt contra bonum multitudinis, id eſt, contra Eccleſiaſticam vnitatem: infidelitas autem eſt contra bonum particulare vnius, quod eſt fides vnius hominis ſingularis; ergo videtur quòd ſchiſma ſit grauius peccatum quàm infidelitas.

3. Maiori malo maius bonum opponitur: ſed ſchiſma opponitur charitati; quæ eſt maior virtus quàm fides, cui opponitur infidelitas; ergo ſchiſma eſt grauius peccatum quàm infidelitas.

Dicendum quòd grauitas peccati dupliciter poteſt conſiderari: vno modo ſecundùm ſuam ſpeciem: Alio modo ſecundùm circunſtantias. Et quia circunſtantiæ particulares ſunt infinitæ, & ita infinitis modis variari poſſunt: cùm quæritur in communi de duobus peccatis quod ſit grauius; intelligenda eſt quæſtio de grauitate quæ attenditur ſecundùm genus peccati. Genus autem ſeu ſpecies peccati attenditur ex obiecto; & ideo illud peccatum quod maiori bono contrariatur, ex ſuo genere eſt grauius: ſicut peccatum in Deum, quàm peccatum in proximum.

Manifeſtum eſt autem quòd infidelitas eſt peccatum contra ipſum Deum, ſecundùm quòd in ſe eſt veritas prima, cui fides innititur: ſchiſma autem eſt contra Eccleſiaſticam vnitatem, quæ eſt quoddam bonum participatum, & minus quàm ſit ipſe Deus. Vnde manifeſtum eſt quòd peccatum infidelitatis ex ſuo genere eſt grauius, quàm peccatum ſchiſmatis. Licet poſſit contingere quòd aliquis ſchiſmaticus grauiùs peccet, quàm quidam infidelis; vel propter maiorem contemptum, vel

Infidelitas grauius peccatũ quàm Schiſma.

propter

propter maius periculum quod inducit, vel propter aliquid huiuſmodi.

Ad 1. R. quòd populo illi manifeſtum erat iam per legem ſuſceptam quòd erat vnus Deus, & quòd non erant alij Dii colendi; & hoc erat apud eos per multiplicia ſigna confirmatum. Et ideo non oportebat quòd peccantes contra hanc fidem per idololatriam, punirentur inuſitatâ aliquâ ſolâ pœnâ, ſed ſolùm in communi. Sed non erat ſic notum apud eos quòd Moyſes deberet eſſe ſemper eorum princeps: & ideo rebellantes eius principatui oportebat miraculoſâ & inconſuetâ pœnâ puniri.

Vel poteſt dici quòd peccatum ſchiſmatis quandoque grauius eſt punitum in populo illo, qui erat ad ſeditiones & ſchiſmata promptus. Dicitur enim *Ciuitas illa à diebus antiquis aduersùm reges rebellat, & ſeditiones & prælia concitantur in ea.* Pœna autem maior quandoque infligitur pro peccato magis conſueto: Nam pœnæ ſunt medicinæ quædam ad arcendum homines à peccato. Vnde vbi eſt maior pronitas ad peccandum, debet ſeuerior pœna adhiberi. Decem autem tribus non ſolùm fuerunt punitæ pro peccato ſchiſmatis, ſed etiam pro peccato idololatriæ, vt ibidem dicitur.

Eſdra.1. c.4.v.15

Ad 2. R. quod ſicut bonum multitudinis eſt maius quàm bonum vnius qui eſt de multitudine: ita etiam minus quàm bonum extrinſecum, ad quod multitudo ordinatur: ſicut bonum ordinis exercitus eſt minus quàm bonum ducis. Et ſimiliter bonum Eccleſiaſticæ vnitatis, cui opponitur ſchiſma eſt minus quàm bonum veritatis diuinæ, cui opponitur infidelitas.

Ad 3. R. quòd charitas habet duo obiecta; vnum principale, ſcilicet bonitatem diuinam: & aliud ſecundarium, ſcilicet bonum proximi. Schiſma autem & alia peccata quæ ſunt in proximum, opponũtur charitati, quantùm ad ſecundarium bonum, quod eſt minus quàm obiectum fidei, quod eſt ipſe Deus Et ideo iſta peccata ſunt minora quàm infidelitas. Sed odium Dei quod opponitur charitati quantùm ad principale obiectum, non eſt minus. Tamen inter peccata quæ ſunt in proximum, peccatum ſchiſmatis videtur eſſe maximum; quia eſt contra ſpirituale bonum multitudinis. 22. q. 39. art. 2.

Occidat vnuſquiſque. Videtur quòd occidere hominem peccatorẽ liceat priuatæ perſonæ; in lege enim diuina nihil illicitum mandatur: ſed præcepit Moyſes, *Occidat vnuſquiſque fratrem ſuum, &c.* Pro peccato vituli conflatilis; ergo priuatis perſonis licet peccatorem occidere.

2. Laudabile eſt quòd homo, etiamſi ſit priuata perſona, operetur quod eſt vtile bono communi: ſed occiſio malefactorum eſt vtilis bono communi; ergo laudabile eſt, etiam ſi priuatæ perſonæ malefactores occidant.

Dicendum quòd occidere malefactorem licitum eſt, inquantum ordinatur ad ſalutem totius communitatis. Et ideo ad illum ſolum pertinet, cui committitur cura communitatis conſeruandæ. Sicut ad medium pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commiſſa fuerit cura ſalutis totius

corporis. Cura autem communis boni commiſſa eſt principibus habentibus publicam auctoritatem: & ideo eis ſolùm licet malefactores occidere, non autem priuatis perſonis.

Ad 1. R. quòd ille aliquid facit, cuius auctoritate fit: & ideo non ipſe occidit qui miniſterium debet iubenti, ſed ſicut adminiculum gladius eſt vtenti. Vnde illi qui occiderunt proximos & amicos ex mandato Domini, non hoc feciſſe ipſi videntur; ſed potiùs ille, cuius auctoritate fecerunt. Sicut & miles interficit hoſtem auctoritate principis, & miniſter latronem auctoritate iudicis.

Ad 2. R. quòd facere aliquid ad vtilitatem communem, quod nulli nocet; hoc eſt licitum cuilibet priuatæ perſonæ: ſed ſi ſit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri niſi ſecundùm iudicium eius ad quem pertinet æſtimare quid ſit ſubtrahendum partibus pro ſalute totius. 22. *q.* 64. *art.* 3.

Occidat vnuſquiſque. Videtur quòd occidere malefactores liceat clericis; nam Moyſes etiam à Leuitis fecit interfici quaſi tria millia hominum propter adorationem vituli, vt patet in textu.

2. Poteſtas ſpiritualis eſt maior quàm temporalis, & Deo coniunctior: ſed poteſtas temporalis licitè malefactores occidit; ergo multò magis clerici.

3. Quicumque licitè ſuſcipit aliquod officium, licitè poteſt ea quæ ad officium illud pertinent, exercere: ſed officium principis terræ eſt malefactores occidere, ergo clerici qui ſunt terrarum principes, licitè poſſunt occidere malefactores.

Dicendum quòd non licet clericis occidere duplici ratione. Primò quidem quia ſunt electi ad altaris miniſterium, in quo repræſentatur Paſſio Chriſti occiſi, qui *Cùm percuteretur non repercutiebat*: & ideo non competit vt clerici ſint percuſſores aut occiſores: Debent enim miniſtri ſuum Dominum imitari. 1. *Pet.* 2. *v.* 23.

Alia ratio eſt quia clericis committitur miniſterium nouæ legis, in qua non determinatur pœna occiſionis vel mutilationis corporalis. Et ideo vt ſint idonei miniſtri noui Teſtamenti, debent à talibus abſtinere.

Ad 1. R. quòd ſacerdotes vel Leuitæ veteris Teſtamenti erant miniſtri veteris legis ſecundùm quam pœnæ corporales infligebantur. Et ideo etiam eis occidere propriâ manu congruebat.

Ad 2. R. quòd miniſterium clericorum eſt in melioribus ordinatum quàm ſint corporales occiſiones, ſcilicet in his quæ pertinent ad ſpiritualem ſalutem. Et ideo non congruit eis quòd minoribus ſe ingerant.

Ad 3. R. quòd prælati Eccleſiarum accipiunt officium principum terræ; non vt ipſi iudicium ſanguinis exerceant per ſeipſos; ſed quòd eorum auctoritate per alios exerceatur. 22. *q.* 64. *art.* 4.

EXODI Cap. 32. *v.* 28.

Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum.

VIdetur quòd tentatio Dei ſit grauius peccatum quàm ſuperſtitio; maior enim pœna pro maiori peccato infertur: ſed grauiùs eſt punitum in Iudæis pecca-

Digitized by Google

tum tentationis Dei quàm peccatum Idololatriæ, quod tamen eſt præcipuum inter ſuperſtitiones, quia pro peccato idololatriæ, interfecti ſunt ex eis tria millia hominum, vt patet in textu: Pro peccato autem tentationis omnes vniuerſaliter in deſerto perierunt, terram promiſſionis non intrantes, ſecundùm illud, *Tentauerunt me patres veſtri*. Et poſtea ſubditur quibus iurayi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam; ergo tentare Deum eſt grauius peccatum quàm ſuperſtitio.

Biblia correcta habent 23. millia.

Pſ. 94. v. 9.

R. quòd peccatum idololatriæ non fuit punitum illâ pœnâ quaſi ſufficienti: ſed in poſterum pro illo peccato grauior pœna reſeruabatur. Dicitur enim *Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* 22. q. 97. art. 4.

Ex. 32. v. 34.

EXODI Cap. 32. v. 29.

Conſecraſtis manus veſtras.

Videtur quòd propter homicidium non debeat aliquis à ſacris ordinibus prohiberi; quia ordines noſtri ſumpſerunt initium à Leuitarum officio: ſed Leuitæ conſecrauerunt manus ſuas in ſanguinis effuſione fratrum ſuorum, vt patet in textu; ergo & in nouo Teſtamento non debent aliqui à ſuſceptione ordinum prohiberi propter ſanguinis effuſionem.

2. Propter actum virtutis nullus debet impediri ab aliquo Sacramento: ſed aliquando ſanguis effunditur per iuſtitiam, ſicut à iudice, & peccaret habens officium ſi non effunderet; ergo non impeditur propter hoc à Sacramenti ſuſceptione.

3. Pœna non debetur niſi culpæ: ſed aliquis ſine culpa quandoque homicidium committit, ſicut ſe defendendo, vel etiam caſualiter; ergo non debet incurrere irregularitatis pœnam.

Dicendum quòd omnes ordines referuntur ad Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt Sacramentum pacis nobis factæ per effuſionē ſanguinis Chriſti. Et quia homicidium maximè contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Chriſtum, quàm ipſi Chriſto occiſo, cui omnes miniſtri prædicti Sacramenti debent conformari: ideo de neceſſitate præcepti eſt quòd non ſit homicida qui ad ordines promouetur, quamuis non ſit de neceſſitate Sacramenti.

Ad 1. R. quòd vetus lex inferebat pœnam ſanguinis, non autem lex noua; & ideo non eſt ſimile de miniſtris veteris & nouæ legis, quæ eſt iugum ſuaue & onus leue.

Ad 2. R. quòd irregularitas non incurritur propter peccatum tantùm, ſed principaliter propter ineptitudinem perſonæ ad Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum: & ideo iudex & omnes qui in cauſa ſanguinis ei participant, ſunt irregulares propter hoc quòd effuſio ſanguinis non decet miniſtros dicti Sacramenti.

Ad 3. R. quòd nullus facit niſi illud cuius cauſa eſt, quod eſt voluntarium in homine. Et ideo ille qui ignorans hominem occidit homicidio caſuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, niſi operam dederit illicitæ rei; vel niſi omiſerit debitam diligentiam; quia iam quodammodo efficitur voluntarium. Non autem hoc eſt propter

Digitized by Google

hoc quod culpâ careat, quia etiam ſine culpa incurritur irregularitas. Et ideo etiam ille qui ſe defendendo in aliquo caſu non peccat homicidium committens, nihilominus irregularis eſt. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 25. *articul.* 2. & *Supplem. quæſt.* 39. *art.* 4.

Exodi. Cap. 32. *v.* 33.

Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.

Arguitur, liber vitæ eſt diuina prædeſtinatio: ſed à prædeſtinatione non dicitur aliquis excidere; ergo nec à libro vitæ deleri.

Dicendum quòd liber vitæ eſt notitia Dei de vita gloriæ alicuius hominis. Res autem aliqua dupliciter habet eſſe, ſcilicet in ſe, & in ſua cauſa. In ſe quidem eſt ſimpliciter; in cauſa autem ſua habet eſſe ſecundùm quid. Cauſa autem gloriæ eſt gratia ſufficiens quantùm in ſe eſt. Vnde qui habet gratiam, habet iam vitam gloriæ ſecundùm quid.

Cognitio ergo de vita gloriæ alicuius habetur in Deo dupliciter: vno modò inquantum Deus ſcit ipſam vitam gloriæ in iſto eſſe, vel futuram eſſe ſimpliciter. Et tunc talis dicitur eſſe ſcriptus in libro vitæ ſimpliciter. Alio modo inquantum Deus ſcit vitam gloriæ ineſſe iſti, vel futuram eſſe in eo in cauſa ſua quæ eſt gratia. Et talis dicitur ſecundùm quid ſcriptus in libro vitæ.

Quia ergo non poteſt eſſe vt ſcientia Dei fallatur; ideo quemcumque ſcit habiturum vitam æternam, habebit eam. Vnde iſte qui ſimpliciter ſcriptus eſt in libro vitæ, non poteſt inde deleri. Sed quia gratia quæ eſt cauſa gloriæ in eo qui habet præſentem iuſtitiam, quando ipſe à iuſtitia per peccatum decidit, deſinit eſſe gloriæ cauſa in eo: Ideo notitia Dei de gratia iſtius, non eſt vt de cauſa gloriæ: vnde iam iſta cognitio gratiæ iſtius quam Deus habet, non pertinet ad librum vitæ gloriæ. Et ſecundùm hoc dicitur deleri de libro vitæ, non aliquâ mutatione in libro factâ, ſed in ipſo; ex parte cuius accidit quòd gratia non eſt iam cauſa gloriæ: & dicitur Deus aliquem de libro vitæ delere, inquantum permittit eum à iuſtitia excidere per peccatum.

Ad argum. R. quòd prædeſtinatio importat directionem in finem, quòd non importat liber vitæ. Et ideo non poteſt dici prædeſtinatus ille qui habet præſentem iuſtitiam tantùm: poteſt autem aliquo modo dici ſcriptus in libro vitæ. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 31. *art.* 2. *q.* 3.

Exodi Cap. 32. *v.* 34.

Ego in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.

Explicatur ſupra *Exod.* 32. *verſ.* 28.

Exodi Cap. XXXIII. *v.* 11.

Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem.

Moyſes non videbat Dei eſſentiam, nec immediatè ab eo inſtruebatur, ſed per Angelum. Quod ergo dicitur quòd *Loquebatur ei facie ad faciem*, ſecundùm opinionem populi

Digitized by Google

loquitur ſcriptura, qui putabat Moyſen ore ad os loqui cum Deo, cùm per ſubiectam creaturam, id eſt, per Angelum & nubem ei loqueretur & appareret. Vel per viſionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio & familiaris infra eſſentiæ diuinæ viſionem. 11. *q.* 98. *art.* 3. *ad ſecundum*. Idem locus explicatur ſupra *Gen.* 32. *v.* 30. *contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 4. & 22. *q.* 174. *art.* 4.

EXODI Cap. 33. v. 19.

Ego oſtendam tibi omne bonum.

CVm vnumquodque appetibile ſit propter finem, boni autem ratio conſiſtat in hoc quod eſt appetibile; oportet quòd vnumquodque dicatur bonum vel quia eſt finis, vel quia ordinatur ad finem. Finis igitur vltimus eſt à quo omnia rationem boni accipiunt: hoc autem Deus eſt. Eſt igitur Deus omnis boni bonum. Hinc eſt quòd Dominus ſuam viſionem Moyſi promittens dicit, *Ego oſtendam tibi omne bonum. Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 40.

Oſtendam tibi omne bonum. Quamuis videntium Deum vnus alio perfectiùs cum videat; quilibet tamen ita perfectè cum videt, quòd impletur tota capacitas naturalis; quinimo ipſa viſio omnem capacitatem naturalem excedit. Oportet igitur quòd quilibet videns diuinam ſubſtantiam, in ipſa diuina ſubſtantia cognoſcat omnia ad quæ ſe extendit ſua capacitas naturalis: capacitas autem naturalis cuiuſlibet intellectus ſe extendit ad cognoſcenda omnia genera, ſpecies, & ordinem rerum. Hæc igitur quilibet Deum videntium in diuina ſubſtantia cognoſcet. Hinc eſt quòd Dominus Moyſi petenti diuinæ ſubſtantiæ viſionem reſpondit. *Ego oſtendam tibi omne bonum. Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 59.

Oſtendam tibi omne bonum. Nihil ſufficienter mouet voluntatem niſi bonum vniuerſale quod eſt Deus. Et hoc bonum ſolus ipſe oſtendit, vt patet in textu. 1. *p. q.* 106. *art.* 2. *in corpore.*

EXODI Cap. 33. v. 20.

Non videbit me homo & viuet.

QVòd in S. Scriptura aliqui Deum vidiſſe dicuntur, oportet intelligi hoc fuiſſe per aliquam imaginariam viſionem, ſeu etiam corporalem; prout ſcilicet per aliquas corporeas ſpecies vel exteriùs apparentes, vel interiùs formatas in imaginatione, diuinæ virtutis præſentia demonſtrabatur. Vel etiam ſecundùm quod aliquæ ſpirituales ſubſtantiæ, aliquam cognitionem de Deo intelligibilem perceperunt. *Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 47. *V. Lib.* 4. *ſent. diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 1. *In queſt. diſp. q.* 10. *de Verit. art.* 11.

Idem locus explicatur ſupra *Gen.* 32. *v.* 30.

EXODI Cap. 33. v. 22.

Cùm tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ.

LVmen Propheticum ineſt animæ Prophetæ per modum cuiuſdam paſſionis vel impreſſionis tranſeuntis. Et hoc ſignificatur per verba textus Explicatur infra 3. *Reg.* 19. *v.* 11. *ex.* 22. *q.* 171. *art.* 2.

Digitized by Google

Exodi Cap. XXXIV. *v.* 28.

Fuit Moyſes cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes; Panem non comedit & aquam non bibit.

MOyſes ex vehementia diuinæ contemplationis non ſenſit afflictionem famis vel ſitis vt patet in textu, ergo multò fortiùs Chriſtus dolorem paſſionis non ſuſtinuit. *Explicatur infra Eſai.* 53. *v.* 4. *Ex Lib.* 3. *ſent. ad Annibald. diſt.* 15 *art.* 4.

Exodi Cap. XXXV. *v.* 21.

Filij Iſrael obtulerunt mente deuotâ primitias Domino.

VIdetur quòd deuotio non ſit ſpecialis actus; illud enim quod pertinet ad modum aliorum actuum, non videtur eſſe ſpecialis actus: ſed deuotio videtur pertinere ad modum aliorum actuum; dicitur enim *obtulit vniuerſa multitudo hoſtias & laudes & holocauſta mente deuotâ*; ergo deuotio non eſt ſpecialis actus. *1. Paralip. 29. v. 31.*

2. Nullus ſpecialis actus inuenitur in diuerſis generibus actuum: ſed deuotio inuenitur in diuerſis generibus actuum, ſcilicet in actibus corporalibus, & etiam ſpiritualibus; dicitur enim aliquis & deuotè meditari, & deuotè genu flectere, ergo deuotio non eſt ſpecialis actus.

Dicendum quòd deuotio dicitur à deuouendo: vnde deuoti dicuntur qui ſe ipſos quodammodo Deo deuouent, vt ei ſe totaliter ſubdant. Vnde deuotio nihil aliud eſſe videtur quàm voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Vnde dicitur, quod *Multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima atque deuota primitias Domino:* manifeſtum eſt autem quòd voluntas promptè faciendi quod ad Dei ſeruitium pertinet, eſt quidam ſpecialis actus; vnde deuotio eſt ſpecialis actus volũtatis. Deuotionis deſcriptio.

Ad 1. R. quòd mouens imponit modum motui mobilis. Voluntas autem mouet alias vires animæ ad ſuos actus; & voluntas ſecundùm quod eſt finis, mouet ſeipſam ad ea quæ ſunt ad finem. Et ideo cùm deuotio ſit actus voluntatis hominis offerentis ſeipſum Deo ad ei ſeruiendum, qui eſt vltimus finis: conſequens eſt quòd deuotio imponat modum humanis actibus, ſiue ſint ipſius voluntatis circa ea quæ ſunt ad finem; ſiue etiam ſint aliarum potentiarum quæ à voluntate mouentur.

Ad 2. R. quòd deuotio inuenitur in diuerſis generibus actuum, non ſicut ſpecies illorum generum, ſed ſicut motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium. 22. *q.* 82. *art.* 1.

Libri Exodi finis.

Digitized by Google

10-0-K-14

LIBER LEVITICI

CAPVT I. *v.* XIV. & XV.

Si de auibus holocauſti oblatio fuerit Domino, de turturibus aut pullis columbæ; offeret eam Sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris.

ARGVITVR, ſi animalia Deo in Sacrificium non offerebantur niſi occiſa, nulla videtur eſſe differentia qualiter occidantur; inconuenienter igitur determinatur modus immolationis, præcipuè in auibus, vt patet in textu.

Ad argum. R. quòd ſpecialis modus occidendi animalia immolata determinabatur in lege, ad excludendum alios modos, quibus idololatræ animalia idolis immolabant. Vel etiam lex elegit genus occiſionis, quo animalia minùs affligebantur occiſa: per quod etiam excludebatur & immiſericordia offerentium, & deterioratio animalium occiſorum. 12. *q.* 102. *art.* 3. *ad ſextum.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi* 12. *v.* 19.

LEVITICI Cap. II. *v.* I.

Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio.

EXplicatur ſupra *Exod.* 23. *verſ.* 14.

LEVITICI Cap. 2. *v.* 11.

Omnis oblatio quæ offertur Domino abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.

MEl non offerebatur in ſacrificiis Dei, tum quia conſueuerat offerri in ſacrificiis idolorum; tum etiam ad excludendum omnem carnalem dulcedinem & voluptatem ab his qui Deo ſacrificare intendunt. Fermentum verò non offerebatur ad excludendam corruptionem. Et fortè etiam in ſacrificiis idolorum ſolitum erat offerri. 12. *q.* 102. *art.* 3. *ad* 14.

LEVITICI Cap. 2. *v.* 13.

In oblatione offeres ſal.

SAl offerebatur, quia impedit corruptionem putredinis: ſacrificia autem Dei debent eſſe incorrupta. Et etiam quia in ſale ſignificatur diſcretio ſapientiæ; vel etiam mortificatio carnis. 12. *q.* 102. *art.* 3. *ad* 14.

Digitized by Google

Levitici Cap. III. *v.* 17.

Nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis.

IN ſacrificiis hoc generaliter obſeruabatur quòd ſanguis & adeps non veniebant neque in vſum Sacerdotum, neque in vſum offerentium: ſed ſanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, adeps verò adurebatur in igne. Cuius ratio vna quidem fuit ad excludendam idololatriam: idololatræ enim bibebant de ſanguine victimarum, & comedebant adipes, vt dicitur. *Deut.* 32 *v.*38.

Secunda ratio eſt ad informationem humanæ vitæ, prohibebatur enim eis vſus ſanguinis ad hoc quòd horrerent humani ſanguinis effuſionem. Eſus verò adipum prohibebatur eis ad vitandam laſciuiam.

Tertia verò ratio eſt propter reuerentiam diuinam; quia ſanguis eſt maximè neceſſarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima eſſe in ſanguine: Adeps autem abundantiam nutrimenti demonſtrat. Et ideo vt oſtenderetur quòd à Deo nobis eſt & vita, & omnis bonorum ſufficientia, ad honorem Dei effundebatur ſanguis, & adurebatur adeps.

Quarta ratio eſt, quia per hoc figurabatur effuſio ſanguinis Chriſti, & pinguedo charitatis eius, per quam ſe obtulit Deo pro nobis. 12. q. 102. *art.* 3. *ad octauum.*

Levitici Cap. IV. *v.* 2.

Anima quæ peccauerit per ignorantiam, &c.

ARguitur, Partes pœnitentiæ ſacramenti ſunt contritio & confeſſio & ſatisfactio: ſed ante Chriſtum tempore legis Moyſi præcipitur contritio, *Scindite corda veſtra.* Et confeſſio, *Ioël* 2. *v.* 13. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur; qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* *Prou.* 28. *v.* 13. Et ſatisfactio in textu, vbi præcipitur quid pro quolibet peccato offerendum ſit; ergo pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum fuit ante Chriſti aduentum.

Confeſſio in lege Moyſi.

R. quod in lege Moyſi erat aliqua confeſſio, quia in generali profitebatur peccatum ſuum oblationem in lege faciens pro peccato ſtatutam. Non autem in ſpeciali, ſicut eſt in noua lege. Nec iterum fiebat ſacerdoti habenti claues, quæ confeſſio eſt ſacramentalis. Nec ſatisfactio erat ſecundùm arbitrium talis Sacerdotis. Nec contritio cum propoſito talis confeſſionis & ſatisfactionis. Et ideo aliqua pœnitentia erat tunc, ſed non quæ nunc eſt Sacramentum. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 4. *q* 2. *ad tertium.*

Anima quæ peccauerit per ignorantiam. Arguitur, in veteri lege maximè immolabatur hircus pro peccato principis, vel capra pro peccato alicuius de populo, vel vitulus pro peccato Sacerdotis, vt patet in textu: ſed Chriſtus nulli horum comparatur, ſed agno, ſecundùm illud *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur*

Hierem. 11. v. 19. illud: *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam*; Ergo videtur quòd eius ſacerdotium non ſit expiatiuum peccatorum.

Num. 28. v. 3. R. quòd licet diuerſa animalia in veteri lege offerrentur, quotidianum tamen ſacrificium quod offerrebatur mane & veſpere, erat agnus, vt habetur. Vnde ſignificabatur quòd oblatio agni veri, id eſt, Chriſti, eſſet ſacrificium conſummatiuum omnium aliorum. Et ideo dicitur ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. *Ioan. 1. v. 29.* 3. *p. q.* 22. *art.* 3. *ad tertium. Et q.* 84. *art.* 7.

Anima quæ peccauerit. Arguitur, per ſacrificia veteris legis homo ſatisfaciebat pro peccatis ſuis, dicitur enim in textu, ſi peccauerit homo, offeret hoc vel illud pro peccato ſuo, & remittetur ei.

R. quòd illa ſacrificia & oblationes non operabantur remiſſionem totius pœnæ, neque quantùm ad quantitatem oblati, neque quantùm ad deuotionem hominis 3. *p. q.* 79. *art.* 5. *ad ſecundum.*

Anima quæ peccauerit. Sacramenta veteris legis erant ſatisfactoria quoad opus operans, non quo ad opus operatum. *Lib.* 4. *ſent ad Annibald. q.* 1. *art.* 5 *ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Ex.* 22 *v.* 1.

Leuitici. Cap. V. *v.* 1.

Si peccauerit anima & audiuerit vocem iurantis, teſtiſque fuerit quòd aut ipſe vidit, aut conſcius eſt; niſi indicauerit portabit iniquitatem ſuã.

Videtur quòd homo non teneatur ad accuſandum; nullus enim excuſatur ab impletione diuini præcepti propter peccatum; quia iam ex ſuo peccato commodum reportaret: ſed aliqui propter peccatum redduntur inhabiles ad accuſandum, ſicut excommunicati, infames, & illi qui ſunt de maioribus criminibus accuſati, priuſquam innoxii demonſtrentur; ergo homo non tenetur ex præcepto diuino ad accuſandum.

2. Omne debitum ex charitate dependet, quæ eſt finis præcepti: inde dicitur, *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis*: ſed illud quod eſt charitatis, homo debet omnibus maioribus & minoribus, ſubditis & prælatis; cùm ergo ſubditi non debeant prælatos accuſare; nec minores ſuos maiores; videtur quòd nullus ex debito teneatur accuſare. *Rom. 13. v. 8.*

3. Nullus tenetur contra fidelitatem agere quam debet amico; quia non debet alteri facere quod ſibi non vult fieri: ſed accuſare aliquem quandoque eſt contra fidelitatem, quam quis debet amico; dicitur enim *Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum*; ergo homo non tenetur ad accuſandum. *Prou. 11. v. 13.*

Dicendum quòd hæc eſt differentia inter denuntiationem & accuſationem, quòd in denuntiatione attenditur emendatio fratris; in accuſatione autem attenditur punitio criminis Pœnæ autem præſentis vitæ non per ſe expetuntur; quia non eſt hic vltimum retributionis tempus; ſed inquantùm ſunt medicinales, conferentes vel ad emendationem perſonæ peccantis, vel ad bonum reipublicæ; cuius quies procuratur per punitionẽ peccantium.

Quorum primum intenditur in denuntiatione, ſecundum autem propriè pertinet ad accuſationem. Et ideo ſi crimen fuerit tale quod vergat in detrimentum reipublicæ; tenetur homo ad accuſationem, dummodo ſufficienter poſſit probare quod pertinet ad officium accuſatoris; putà cùm peccatum alicuius vergit in multitudinis corruptelam corporalem, ſeu ſpiritualem. Si autem non fuerit tale peccatum quod in multitudinem redundet; vel etiam ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit; non tenetur ad intentandum accuſationem; quia ad hoc nullus tenetur quod non poteſt debito modo perficere.

Ad 1. R. quòd nihil prohibet per peccatum reddi aliquem impotentem ad ea quæ homines facere tenentur, ſicut ad merendum vitam æternam, & ad aſſumendum Eccleſiaſtica Sacramenta. Nec tamen ex hoc homo reportat commodum, quinimo deficere ab eis quæ tenetur facere, eſt grauiſſima pœna; quia virtuoſi actus ſunt quædam hominis perfectiones.

Ad 2. R. quòd ſubditi prælatos ſuos accuſare prohibentur, qui non affectione charitatis, ſed ſuâ prauitate vitam eorum diffamare, & reprehendere quærunt. Vel etiam ſi ſubditi accuſare volentes fuerint criminoſi. Alioquìn ſi fuerint aliàs idonei ad accuſandum, licet ſubditis ex charitate ſuos prælatos accuſare.

Ad 3. R. quòd reuelare ſecreta in malum perſonæ, eſt contra fidelitatem; non autem ſi reuelentur propter bonum commune, quod ſemper præferendum eſt bono priuato. Et ideo contra bonum commune nullum ſecretum licet recipere. Nec tamen omnino eſt ſecretum quod per ſufficientes teſtes poteſt probari. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. *V.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *ad Tertium.*

LEVITICI Cap. 5. v. 15.

Offeret pro delicto ſuo.

Videtur quòd ſacerdos legis claues habuerit; clauis enim eſt ſequela ordinis: ſed ipſi habuerunt ordinem, ex quo ſacerdotes dicebantur; ergo habuerunt clauem ſacerdotes legales.

2. Claues ſunt duæ, ſcilicet ſcientia diſcernendi, & potentia iudicandi: ſed ad vtramque auctoritatem ſacerdotes legales habebant; ergo habebant claues.

3. Sacerdos legalis habebat aliquam poteſtatem ſuper reliquum populum, non temporalem; quia ſic poteſtas regia non fuiſſet diſtincta à ſacerdotali; ergo ſpiritualem: & hæc eſt clauis; ergo habuerunt clauem.

Sed contra, claues ordinantur ad aperiendum regnum cœlorum, quod aperiri non potuit ante Chriſti paſſionem; ergo ſacerdos legis clauem non habuit.

Præterea, Sacramenta veteris legis gratiam non conferebant: ſed aditus regni cœleſtis aperiri non poteſt niſi per gratiam; ergo per illa Sacramenta non poterat aperiri; & ſic etiam Sacerdos qui miniſter eorum erat, claues regni cœleſtis non habebat.

Dicendum quòd quidam dixerunt, quòd in veteri lege erant claues apud Sacerdotes; quia erat eis cōmiſſum imponere pœnā pro delicto

vt patet in textu, quod ad claues pertinere videtur; ſed fuerunt tunc incompletæ: nunc autem per Chriſtum in Sacerdotibus nouæ legis perfectæ ſunt. Vnde patet quòd poteſtas illius Sacerdotii non ſe extendebat ad cœleſtia, ſed ad figuras cœleſtium. Et ideo ſecundùm alios dicendum quòd non habebant claues, ſed in eis figura clauium præceſſit.

Ad 1. R. quòd clauis regni cœleſtis conſequitur ad ſacerdotium, quo homo in cœleſtia introducitur; non autem talis erat ordo ſacerdotii Leuitici: & ideo claues cœli non habuerunt, ſed claues terreni tabernaculi.

Ad 2. R. quòd ſacerdotes veteris legis habebant auctoritatem diſcernendi & iudicandi, ſed non vt admitteretur homo ab eis iudicatus in cœleſtia, ſed in figuras cœleſtium.

Ad 3. R. quòd habebant ſpiritualem poteſtatem, qua per Sacramentalia legalia non à culpis, ſed ab irregularitatibus homines purgabant; vt ad manu-factum tabernaculum aditus purgato per eos pateret. *Lib. 4. ſent. diſt. 19. q. 1. art. 1.*

Offeret pro delicto ſuo. Videtur quòd peccatum omiſſionis ſit grauius quàm peccatum tranſgreſſionis; delictum enim videtur idem eſſe quòd derelictum; & ſic per conſequens videtur idem eſſe omiſſioni: ſed delictum eſt grauius quàm peccatum tranſgreſſionis, quia maiori expiatione indigebat, vt patet in textu; ergo peccatum omiſſionis eſt grauius quàm peccatum tranſgreſſionis.

2. Maiori bono maius malum opponitur: Sed facere bonum (cui opponitur omiſſio) eſt nobilior pars iuſtitiæ quàm declinare à malo (cui opponitur tranſgreſſio) ergo omiſſio eſt grauius peccatum quàm tranſgreſſio.

3. Maior pœna eſt pœna damni, ſcilicet carentia viſionis diuinæ, quæ debetur peccato omiſſionis; quàm pœna ſenſus, quæ debetur peccato tranſgreſſionis: ſed pœna proportionatur culpæ; ergo grauius eſt peccatum omiſſionis quàm tranſgreſſionis

Sed contra eſt, quòd faciliùs eſt abſtinere à malo faciendo quàm implere bonum, ergo grauiùs peccat, qui non abſtinet à malo faciendo, quod eſt tranſgredi, quàm qui non implet bonum, quod eſt omittere.

Dicendum quòd peccatum intantum eſt graue, inquantum à virtute diſtat: contrarietas autem eſt maxima diſtantia; vnde contrarium magis diſtat à ſuo contrario, quàm ſimplex eius negatio: ſicut nigrum plus diſtat ab albo, quàm ſimpliciter non album; omne enim nigrum eſt non album, ſed non conuertitur.

Manifeſtum eſt autem quòd tranſgreſſio contrariatur actui virtutis; omiſſio autem importat negationẽ ipſius. Puta peccatum omiſſionis eſt, ſi quis debitam reuerentiam parentibus non exhibeat: Peccatum autem tranſgreſſionis, ſi contumeliam vel quamcumque iniuriam eis inferat.

Vnde manifeſtum eſt quòd ſimpliciter & abſolutè loquendo tranſgreſſio eſt grauius peccatum quàm omiſſio, licet aliqua omiſſio poſſit eſſe grauior aliquâ tranſgreſſione.

Ad 1. R. quòd delictum communiter ſumptum ſignificat quamcun-

Digitized by Google

que omiſſionem. Quandoque tamen ſtrictè accipitur pro eo quod omittitur aliquid de his quæ pertinent ad Deum; vel quando ſcienter & quaſi cum quodam contemptu derelinquit homo id facere quod debet. Et ſic habet quandam grauitatem, ratione cuius maiori expiatione indiget.

Ad 2. R. quòd ei quod bonum eſt facere, opponitur & non facere bonum, quod eſt omittere; & facere malum, quod eſt tranſgredi. Sed primum contradictoriè, ſecundum contrariè quod importat maiorem diſtantiam: & ideo tranſgreſſio eſt grauius peccatum.

Ad 3. R. quòd peccato tranſgreſſionis reſpondet & pœna damni, propter auerſionem à Deo: & pœna ſenſus, propter inordinatam conuerſionem ad bonum commutabile. Similiter etiam omiſſioni, non ſolùm debetur pœna damni, ſed etiam pœna ſenſus, ſecundùm illud, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* (Matth. 7. v. 19.) Et hoc propter radicem ex qua procedit, licet non habeat ex neceſſitate actualem conuerſionem ad aliquod bonum commutabile. 22. *q. 79. art.* 4.

LEVITICI Cap. VII. *v.* 15.

Nec remanebit ex eis quidquam vſque mane.

ARguitur, Omnes hoſtiæ pacificæ vnius generis eſſe videntur; non ergo debuit poni iſta differentia, quod quorundam pacificorum carnes non poſſent veſci incraſtino, quorundam autem poſſent, vt patet in textu. Explicatur ſupra. *Ex.* 12. *v.* 19.

LEVITICI Cap. VIII. *v.* 2.

Vnctionis oleum.

EXplicatur ſupra *Exodi* 30. *verſ.* 18.

LEVITICI Cap. 8. *v.* 31.

Cumque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo.

ARguitur, Sanctificatio non fit niſi per gratiam: ſed per Sacramenta veteris legis homines ſanctificabantur, vt patet in textu; ergo videtur quòd Sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

2. Sacramenta nouæ legis habent efficaciam ex fide paſſionis Chriſti: ſed fides paſſionis Chriſti fuit in veteri lege, ſicut & in noua; ſicut ergo Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, ita etiam Sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

Dicendum quòd Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam iuſtificantem per ſeipſa, id eſt, propriâ virtute; quia ſic non fuiſſet neceſſaria paſſio Chriſti, ſecundùm illud, *ſi ex lege eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt.* (Gal. 2. v. 21.)

Sed nec poteſt dici quòd ex paſſione Chriſti virtutem haberent conferendi gratiam iuſtificandi; nam virtus Paſſionis Chriſti copulatur nobis per fidem & Sacramenta, differenter tamen: Nam continuatio quæ eſt per fidem, fit per actum animæ; continuatio autem

Digitized by Google

quæ eſt per Sacramenta, fit per vſum exteriorum rerum.

Nihil autem prohibet id quod eſt poſterius tempore, antequam ſit, mouere ſecundùm quod præcedit in actu animæ; ſicut finis qui eſt poſterior tempore, mouet agentem ſecundùm quod eſt apprehenſus & deſideratus ab ipſo. Sed illud quod nondum eſt in rerum natura, non mouet ſecundùm vſum exteriorum rerum. Vnde cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in eſſe, ordine durationis ſicut cauſa finalis.

Sic ergo manifeſtum eſt quòd à paſſione Chriſti, quæ eſt cauſa humanæ iuſtificationis, conuenienter deriuatur virtus iuſtificatiua ad Sacramenta nouæ legis, non autem ad Sacramenta veteris legis: & tamen per fidem paſſionis Chriſti iuſtificabantur antiqui patres ſicut & nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam illius fidei proteſtationes, inquantum ſignificabant Paſſionem Chriſti & effectus eius.

Sic ergo patet quòd Sacramenta veteris legis non habebant in ſe aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iuſtificantem, ſed ſolùm ſigna erant fidei, per quam iuſtificabantur.

Ad 1. R. quòd illa ſanctificatio erat figuralis: Per hoc enim ſanctificari dicebantur quòd applicabantur cultui diuino ſecundùm ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum paſſionem Chriſti.

Ad 2. R quòd antiqui patres habebant fidem de paſſione Chriſti futura, quæ ſecundùm quod erat in apprehenſione animæ, poterat iuſtificare. Sed nos habemus fidem de Paſſione Chriſti præcedenti, quæ poteſt iuſtificare etiam ſecundùm realem vſum ſacramentalium rerum. 3. *p. q.* 62. *art.* 6.

Levitici. Cap. X. *v.* 19.

Quomodo potui placere Domino in cæremonijs mente lugubri?

Videtur quòd cæremoniæ veteris legis habebant virtutem iuſtificandi tempore legis; nam per cæremonias aliqui Deo placebant vt patet in textu.

2. Ea quæ ſunt diuini cultus magis pertinebant ad animam quàm ad corpus: ſed per cæremonias veteris legis mundabatur leproſus vt dicitur; ergo multò magis cæremoniæ veteris legis poterant mundare animam iuſtificando. *Leu.* 14. *v.* 2.

Dicendum quòd in veteri lege duplex immunditia obſeruabatur, vna quidem ſpiritualis quæ eſt immunditia culpæ: Alia verò corporalis quæ tollebat idoneitatem ad cultum diuinum; ſicut leproſus dicebatur immundus, vel ille qui tangebat aliquod morticinum: & ſic immunditia nihil aliud erat quàm irregularitas quædam.

Ab hac igitur immunditia cæremoniæ veteris legis habebant virtutem emundandi; quia huiuſmodi cæremoniæ erant quædam remedia adhibita ex ordinatione legis ad tollendas prædictas immunditias ex ſtatuto legis inductas.

Ab immunditia verò mentis quæ eſt immunditia culpæ, non habebant virtutem expiandi. & hoc ideo, quia expiatio à peccatis nunquam fieri potuit niſi per Chriſtum. Et

Digitized by Google

quia myſterium incarnationis & Paſſionis Chriſti nondum erat realiter peractum, veteris legis cæremoniæ non poterant in ſe continere realiter virtutem profluentem à Chriſto incarnato & paſſo, ſicut continent Sacramenta nouæ legis. Et ideo non poterant à peccato mundare.

Gal. 4. *v.* 9. Et hoc eſt quod Apoſt. vocat ea *Egena & infirma elementa*; infirma quidem quia non poſſunt à peccato mundare; ſed hæc infirmitas prouenit ex eo quòd ſunt egena, id eſt, eo quòd non continent in ſe gratiam.

Poterat autem mens fidelium tempore legis per fidem coniungi Chriſto incarnato & paſſo; & ita ex fide Chriſti iuſtificabantur: cuius fidei quædam proteſtatio erat huiuſmodi cæremoniarum obſeruatio, inquantum erat figura Chriſti. Et ideo pro peccatis offerebantur Sacrificia quædam in veteri lege; non quia ipſa ſacrificia à peccato emundarent, ſed quia erant quædam proteſtationes fidei, quæ à peccato mundabat.

Sciendum eſt tamen quòd hoc ipſum quòd veteris legis cæremoniæ à corporalibus immunditiis expiabant, erat in figura expiationis à peccatis, quæ fit per Chriſtum. Sic igitur patet quòd cæremoniæ in ſtatu veteris legis non habebant virtutem iuſtificandi.

Ad 1. R. quòd ſacerdotes placebant Deo in cæremoniis propter obedientiam, & deuotionem, & fidem rei præfiguratæ, non autem propter ipſas res ſecundùm ſe conſideratas.

Ad 2. R. quòd cæremoniæ illæ quæ erant inſtitutæ in emundatione leproſi, non ordinabantur ad tollendam immunditiam infirmitatis lepræ, quod patet ex hoc quòd non adhibebantur huiuſmodi cæremoniæ niſi iam emundato, vt dicitur. Adhibebantur autem huiuſmodi cæremoniæ ad tollendam immunditiam irregularitatis. 12. *q.* 103. *art.* 2. *Leu.* 14. *v.* 3.

LEVITICI Cap. XI. v. 2.

Hæc ſunt animalia quæ comedere debetis.

ARguitur, *Omnis creatura Dei eſt bona, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; inconueniens ter igitur prohibiti ſunt ab eſu quorumdam ciborum tanquam immundorum, vt patet in textu. *1. Tim.* 4. *v.* 4.

Dicendum quòd populus Iudæorum ſpecialiter erat deputatus ad cultum diuinum, & inter eos ſpecialiter ſacerdotes. Et ſicut aliæ res quæ applicantur ad cultum diuinum aliquam ſpecialitatem debent habere, quod pertinet ad honorificientiam diuini cultus: ita etiam & in conuerſatione illius populi & præcipuè ſacerdotum, debuerunt eſſe aliqua ſpecialia congruentia ad cultum diuinum vel ſpiritualem vel corporalem. Cultus autem legis figurabat myſterium Chriſti: vnde omnia eorum geſta figurabant ea quæ ad Chriſtum pertinent. Et ideo rationes harum obſeruantiarum dupliciter aſſignari poſſunt: vno modo ſecundùm congruentiam ad diuinum cultum; Alio modo ſecundùm quod figurant aliquid circa Chriſtianorum vitam.

Digitized by Google

Ad argum. R. quòd duplex pollutio vel immunditia obſeruabatur in lege: vna quidem culpæ, per quam polluebatur anima; alia autem corruptionis cuiuſdam, per quam quodammodo inquinatur corpus. Loquendo igitur de prima immunditia, nulla genera ciborum immunda ſunt, vel hominem inquinare poſſunt ſecundùm ſuam naturam. Vnde dicitur *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quæ procedunt de ore, hæc coinquinant hominem.* Et exponitur hoc de peccatis.

Matth. 15. v. 11.

Poſſunt tamen aliqui cibi per accidens inquinare animam, inquantum ſcilicet contra obedientiam, vel votum, vel ex nimia concupiſcentia comeduntur, vel inquantum præbent fomentum luxuriæ; propter quod aliqui à vino & à carnibus abſtinent.

Secundùm autem corporalem immunditiam, quæ eſt corruptionis cuiuſdam, aliquæ animalium carnes immunditiam habent; vel quia ex rebus immundis nutriuntur, ſicut porcus; aut immundè conuerſantur, ſicut quædam animalia ſub terra habitantia; ſicut talpæ & mures & alia huiuſmodi: Vnde etiam quendam fœtorem contrahunt: vel quia eorum carnes propter ſuperfluam humiditatem vel ſiccitatem corruptos humores in corporibus humanis generant. Et ideo prohibitæ ſunt eis carnes animalium habentium ſoleas, id eſt, vngulam continuam, non fiſſam, propter eorum terreſtreitatem.

Et ſimiliter ſunt eis prohibitæ carnes animalium habentium multas fiſſuras in pedibus; quia ſunt nimis cholerica & aduſta; ſicut carnes leonis & huiuſmodi. Et eadem ratione prohibitæ ſunt eis aues quædam rapaces, quæ ſunt nimiæ ſiccitatis: & quædam aues aquaticæ, propter exceſſum humiditatis. Similiter etiam quidam piſces non habentes pinnulas & ſquamas; vt anguillæ & huiuſmodi, propter exceſſum humiditatis.

Sunt autem eis conceſſæ ad eſum animalia ruminantia & findentia vngulam; quia habent humores bene digeſtos, & ſunt mediæ complexionis; quia nec ſunt nimis humida, quod ſignificant vngulæ, neque ſunt nimis terreſtria, cùm non habeant vngulam continuam ſed fiſſam. In piſcibus etiam conceſſi ſunt eis piſces ſicciores, quod ſignificatur per hoc quòd habent ſquamas & pinnulas; per hoc enim efficitur temperata complexio humida piſcium. In auibus etiam ſunt eis conceſſæ magis temperatæ, ſicut gallinæ, perdices, & aliæ huiuſmodi.

Alia ratio fuit in deteſtationem idololatriæ; nam gentiles & præcipuè Ægyptii, inter quos erant nutriti, huiuſmodi animalia prohibita, idolis immolabant; vel eis ad maleficia vtebantur. Animalia verò quæ Iudæis ſunt conceſſa ad eſum, non comedebant; ſed ea tanquam deos colebant, vel propter aliam cauſam ab eis abſtinebant vt notatur articulo tertio huius quæſt. ad ſecundum.

Tertia ratio eſt ad tollendam nimiam diligentiam circa cibaria; & ideo conceduntur illa animalia quæ de facili & in promptu haberi poſſunt.

Figuralis autem ratio horum eſt, quia per omnia huiuſmodi animalia

prohibita deſignantur aliqua peccata, in quorum figuram illa animalia prohibebantur. Et per hoc patet R. ad argumentum. 12. *q.* 102. *art. 6.*

Levitici Cap. XII. *v.* 6.

Cùm expleti fuerint dies purificationis, pro filio ſiue pro filia, deferet agnum.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 13. *v.* 2.

Levitici Cap. XIV. v. 2.

Hic eſt ritus leproſi.

Arguitur, Illud quod iam eſt mundatum non oportet iterum mundari; inconuenienter igitur mundatâ leprâ hominis vel etiam eius domus, alia purificatio adhibebatur vt patet in textu.

R. quòd per ritum legis leproſus non emundabatur à macula lepræ, ſed emundatus oſtendebatur, & hoc ſignificatur cùm ibidem dicitur de ſacerdote; cùm inuenerit lepram eſſe emundatam, præcipiet ei qui purificatur. Iam ergo lepra mundata erat, ſed purificari dicebatur inquantum iudicio ſacerdotis reſtituebatur conſortio hominum & cultui diuino.

Contingebat tamen quandoque vt diuino miraculo per ritum legis corporalis mundaretur lepra, quando ſacerdos decipiebatur in iudicio. Huiuſmodi autem purificatio leproſi dupliciter fiebat. Nam primò iudicabatur eſſe mundus, ſecundò autem reſtituebatur tanquam mundus conſortio hominum & cultui diuino, ſcilicet poſt ſeptem dies.

In prima autem purificatione offerebat pro ſe leproſus mundandus duos paſſeres viuos, & lignum cedrinum, & vermiculum, & Hyſſopum hoc modo, vt filo coccineo ligaretur paſſer & hyſſopus ſimul cum ligno cedrino; ita ſcilicet quòd lignum cedrinum eſſet quaſi manubrium aſperſorii; hyſſopus verò & paſſer erant id quod de aſperſorio tingebatur in ſanguine alterius paſſeris immolati in aquis viuis.

Hæc tamen quatuor offerebat contra quatuor defectus lepræ: nam contra putredinem offerebatur cedrus, quæ eſt arbor imputribilis: contra fœtorem hyſſopus, quæ eſt herba odorifera: contra inſenſibilitatem paſſer viuus: contra turpitudinem coloris vermiculus qui habet viuum colorem. Paſſer verò viuus aduolare dimittebatur in agrum; quia leproſus reſtituebatur priſtinæ libertati.

In octauo verò die admittebatur ad cultum diuinum, & reſtituebatur conſortio hominum. Primò tamen raſis pilis totius corporis & lotis veſtimentis; eo quòd lepra pilos corrodit, veſtimenta coinquinat & fœtida reddit. Et poſtmodum ſacrificium offerebatur pro delicto eius; quia lepra plerunque inducitur pro peccato. De ſanguine autem ſacrificii tingebatur extremum auriculæ eius qui erat mundandus, & pollices manus dextræ & pedis, quia in iſtis partibus primùm lepra dignoſcitur & ſentitur. Adhibebantur etiam huic ritui tres liquores, ſcilicet ſanguis contra ſanguinis corruptionem; oleum ad

diſignandam

Digitized by Google

deſignandam ſanationem morbi; aqua viua ad emundandam ſpurcitiam.

Figuralis autem ratio erat, quia per duos paſſeres ſignificantur diuinitas & humanitas Chriſti; quorum vnus, ſcilicet humanitas, immolatur in vaſe fictili ſuper aquas viuentes; quia per paſſionem Chriſti aquæ baptiſmi conſecrantur. Alius autem ſcilicet, impaſſibilis diuinitas, viuus remanebat; quia diuinitas mori non poteſt: vnde & euolabat, quia paſſione aſtringi non poterat. Hic autem paſſer viuus ſimul cum ligno cedrino & cocco, vermiculo & hyſſopo, id eſt, fide, ſpe, & charitate mittitur in aquam ad aſpergendum; quia in fide Dei & hominis baptiſamur.

Lauat autem homo per aquam baptiſmi& lachrymarum, veſtimenta ſua, id eſt, opera; & omnes pilos, id eſt, cogitationes. Tingitur autem extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur de ſanguine & de oleo; vt eius auditum muniat contra corrumpentia verba. Pollices autem manus dextræ & pedis tinguntur, vt eius actio fiat ſancta. Alia verò quæ ad hanc purificationem pertinent, vel etiam aliarum immunditiarum, non habent aliquid ſpeciale præter alia ſacrificia pro peccatis, vel pro delictis. 12. *q.* 102. *art.* 5. *ad ſeptimum.*

Idem locus explicatur ſupra *Leu.* 10. *v.* 19.

LEVITICI Cap. XV. *v.* 16.

Vir de quo egreditur ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum, & immundus erit vſque ad veſperum.

EXplicatur *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 9. *art.* 4. & 3. *p. queſt.* 80. *art.* 7.

LEVITICI Cap. XVI. *v.* 17.

Vt roget pro ſe & pro domo ſua.

ARguitur. Sacerdotium veteris legis fuit figura ſacerdotii Chriſti: ſed ſacerdos veteris legis non ſolùm pro aliis, ſed etiam pro ſeipſo Sacrificium offerebat, vt patet in textu; ergo etiam Sacerdotium Chriſti non ſolum in aliis, ſed in ſeipſo effectum habuit.

R. quòd figura non poteſt adæquare veritatem: Vnde ſacerdos ſingularis veteris legis non poterat ad hanc perfectionem pertingere, vt Sacrificio ſatisfactorio non indigeret: ſed Chriſtus non indiguit, vnde non eſt ſimilis ratio de vtroque. 3. *p. q.* 22. *art.* 4. *ad tertium.*

LEVITICI Cap. 16. *v.* 27.

Vitulum & hircum apportabunt foras caſtra.

EXplicatur infra *Pſ.* 73. *v.* 12. Ex 3. *p. q.* 46. *art.* 10.

LEVITICI Cap. 16. v. 34.

ſemel in anno.

VIdetur quòd Sacerdotium Chriſti non permaneat in æternum; Nam Chriſtus eſt ſacerdos non ſecundùm quod Deus, ſed ſecundùm quòd homo: ſed Chriſtus quandoque non fuit homo, ſcilicet in triduo mortis; ergo Sacerdotium Chriſti non eſt in æternum.

Pſ. 109. *v.* 4. Sed contra eſt quod dicitur, *Tu es ſacerdos in æternum.* Dicendum quod in officio ſacerdotis duo poſſunt conſiderari: primò quidem ipſa oblatio ſacrificii. Secundò, ipſa ſacrificii conſummatio; quæ quidem conſiſtit in hoc, quòd illi pro quibus ſacrificium offertur, finem ſacrificii conſequuntur. Finis autem ſacrificii quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona temporalia, ſed æterna quæ per eius mortem adipiſcimur. Vnde dicitur quòd *Chriſtus*
Hebr 9. *v.* 11. *eſt aſſiſtens pontifex futurorum bonorum*, ratione cuius Chriſti ſacerdotium dicitur eſſe æternum.

Et hæc quidem conſummatio Sacrificii Chriſti præfigurabatur in hoc ipſo quòd pontifex legalis ſemel in anno cum ſanguine hirci & vituli intrabat in ſancta ſanctorum, vt patet in textu: cùm tamen hircum & vitulum non immolaret in Sanctis Sanctorum, ſed extra. Et ſimiliter Chriſtus in Sancta Sanctorum, id eſt, in ipſum cœlum intrauit, & nobis viam parauit intrandi per virtutem ſanguinis ſui, quem pro nobis in terra effudit.

Nota quòd licet paſſio & mors Chriſti de cætero non ſit iteranda, tamen virtus illius hoſtiæ ſemel oblatæ permanet in æternum; quia vt dicitur, *V. à oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* Et per hoc *Heb.* 10. *v.* 14.
patet R. ad argumentum. Vnitas autem huius oblationis figurabatur in lege, per hoc quòd ſemel in anno legalis pontifex cum ſolenni oblatione ſanguinis intrabat in Sancta. Sed deficiebat figura à veritate in hoc, quòd illa hoſtia non habebat ſempiternam virtutem: & ideo annuatim illæ hoſtiæ reiterabantur. 3. *p. q.* 22. *art.* 5.

LEVITICI Cap. XVII. v. 11.

Anima carnis in ſanguine eſt.

ARguitur, Anima omnis carnis in ſanguine eſt, vt patet in textu, ſed ſanguis cùm ſemine traducitur, præcipuè cùm ſperma non ſit niſi ſanguis decoctus; ergo & anima cum ſemine traducitur.

R. quòd quia anima eſt propriè actus corporis viuentis; viuere autem eſt per calidum & humidum, quæ in animali per ſanguinem conſeruantur: Ideo dicitur quòd anima eſt in ſanguine, ad deſignandum propriam diſpoſitionem corporis, inquantum eſt materia perfecta per animam. *In quæſt. diſp. q.* 3. *de potentia art.* 9. *ad octauum.*

LEVITICI Cap. XVIII. v. 4.

Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſeruabitis.

VBi præcepta ad moralia referuntur, iudicia verò ad iudi-

cialia & cæremonialia. 12. *quæſt.* 99. *art.* 4. *ad tertium.*

Levitici, Cap. 18. *v.* 4.

Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.

Homo faciens præcepta legis, dicitur viuere in eis, quia non incurrebat pœnam mortis quam lex tranſgreſſoribus infligebat; non verò quia iuſtificabant. 12. q. 100. *art.* 12. *ad ſecundum.*

Levitici Cap. 18. *v.* 6.

Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat.

Matrimonium non debet fieri inter propinquos; quia cùm ea quæ inter virum & vxorem aguntur, quandam naturalem verecundiam habeant, ab his mutuò agendis, illas perſonas prohiberi oportuit, quibus propter coniunctionem ſanguinis reuerentia debetur. Quæ quidem ratio videtur in veteri lege inducta; propter hoc quòd
Leu. 18. v. 9. dicitur, *Turpitudinem ſororis tuæ non diſcooperies.* Et ſimiliter de aliis.

Præterea ad corruptionem bonorum morum pertinet quòd homines ſint nimis dediti voluptatibus coitus; quia cùm hæc voluptas maximè mentem abſorbeat, impediretur ratio ab his quæ rectè agenda eſſent; ſequeretur autem nimius voluptatis vſus, ſi liceret homini per coïtum coniungi illis perſonis quibus commorandi habet neceſſitatem, ſicut ſororibus & aliis propinquis, quia talibus occaſio coitus ſubtrahi non poſſet; conueniens igitur fuit bonis moribus vt talis coniunctio legibus inhiberetur.

Adhuc. Delectatio coitus maximè corrumpit æſtimationem prudentiæ; multiplicatio igitur talis delectationis repugnat bonis moribus: talis autem delectatio augetur per amorem perſonarum quæ coniunguntur; eſſet igitur contrarium bonis moribus, propinquis coniungi; quia in eis coniungeretur amor qui eſt ex communione originis, coniunctione amoris concupiſcentiæ; & multiplicato amore neceſſe eſt magis animam delectationibus ſubdi.

Ampliùs. In ſocietate humana hoc eſt maximè neceſſarium, vt ſit amicitia inter homines, dum perſonæ extraneæ per matrimonia colligantur; conueniens fuit igitur legibus ordinari quòd matrimonia contraherentur cum extraneis perſonis, & non cum propinquis.

Adhuc. Inconueniens eſt vt illis perſonis aliquis ſocialiter coniungatur, quibus naturaliter debet eſſe ſubiectus; naturale autem eſt quòd aliquis parentibus ſit ſubiectus; ergo inconueniens eſſet quòd cum parentibus aliquis matrimonium contraheret, cùm in matrimonio ſit quædam coniunctio ſocialis. *Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 125.

Omnis homo ad proximam &c. Mulier facta eſt in adiutorium viro ad generationem: ſed nimia propinquitas reddit perſonam ad hoc ineptam; vnde perſonæ propinquæ à matrimonio excluduntur, vt patet in textu; ergo mulier non debuit fieri ex viro. *Explicatur ſupra Gen.* 2. *v.* 23.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi* 21. *v.* 1.

LEVITICI Cap. 18. v. 7.

Turpitudinem matris tuæ non diſcooperies.

VIdetur quòd inceſtus non ſit ſpecies determinata luxuriæ; inceſtus enim dicitur per priuationem caſtitatis: ſed caſtitati vniuerſaliter opponitur luxuria; ergo videtur quòd inceſtus non ſit ſpecies luxuriæ, ſed ſit vniuerſaliter ipſa luxuria.

2. Illud quod de ſe non importat aliquam deformitatem, non conſtituit aliquam determinatam ſpeciem vitii: ſed accedere ad conſanguineas vel affines, nòn eſt ſecundùm ſe deforme; alias nullo tempore licuiſſet; ergo inceſtus non eſt determinata ſpecies luxuriæ.

Dicendum quòd ibi neceſſe eſt inueniri determinatam ſpeciem luxuriæ, vbi inuenitur aliquid repugnans vſui debito venereorum. In vſu autem conſanguinearum vel affinium inuenitur aliquid incongruum commiſtioni venereæ, triplici ratione. *Primò* quidem quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt. Manifeſtum eſt autem quòd in actibus venereis maximè conſiſtit quædam turpitudo honorificentiæ contraria; vnde de his homines verecundantur. Et ideo incongruum eſt quòd talis commixtio venerea fiat talium perſonarum ad inuicem.

Secunda ratio eſt, quia perſonas ſanguine coniunctas neceſſe eſt adinuicem ſimul conuerſari; vnde ſi non arcerentur à commiſtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commiſtionis: & ſic animi hominum nimis molleſcerent per luxuriam. Et ideo in veteri lege, illæ perſonæ ſpecialiter videntur prohibitæ eſſe, quas neceſſe eſt ſimul commorari.

Tertia ratio eſt quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum: dum enim homo vxorem extraneam accipit, iunguntur ſibi quadam ſpeciali amicitiâ omnes conſanguinei vxoris, ac ſi eſſent conſanguinei ſui.

Ad 1. R. quòd abuſus coniunctarum perſonarum maximè induceret corruptelam caſtitatis, tum propter opportunitatem, tum etiam propter nimium ardorem amoris, vt dictum eſt: & ideo antonomaſticè abuſus talium perſonarum vocatur inceſtus.

Ad 2. R. quod in commiſtione perſonarum coniunctarum aliquid eſt quod eſt ſecundùm ſe indecens & repugnans naturali rationi; ſicut quòd commiſtio fiat inter parentes, & filios quorum eſt per ſe & immediata cognatio: nam filii naturaliter honorem debent parentibus. Aliæ verò perſonæ quæ non coniunguntur ſecundùm ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ita ex ſeipſis indecentiam. Sed variantur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundùm conſuetudinem & legem humanam vel diuinam: nam vſus venereorum, quia ordinatur ad bonum commune, ſubiacet legi. 22. q. 154. *art.* 9.

Digitized by Google

LEVITICI Cap. 18. *v.* 8.

Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis.

VIdetur quòd affinitas matrimonium non impediat: nihil enim impedit matrimonium, niſi quod eſt illi contrarium: ſed affinitas non contrariatur matrimonio, cùm ſit effectus eius; ergo non impedit matrimonium.

2. Vxor per matrimonium efficitur res quædam viri: ſed conſanguinei defuncti viri ſuccedunt in rebus eius; ergo poſſunt ſuccedere in vxore, ad quam tamen manet affinitas.

Sed contra eſt quod dicitur in textu, nam illa eſt tantùm affinis; ergo affinitas impedit matrimonium.

Dicendum quòd affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum & dirimit contractum eadem ratione qua & conſanguinitas. Sicut enim ineſt neceſſitas quædam cohabitandi conſanguineis adinuicem, ita & affinibus: & ſicut eſt quoddam amicitiæ vinculum inter conſanguineos, ita inter affines: ſed ſi affinitas matrimonio ſuperueniat, non poteſt ipſum dirimere.

Ad 1. R. quòd affinitas non contrariatur matrimonio ex quo cauſatur; ſed contrariatur matrimonio quod cum affine contrahendum eſſet, inquantum impediret multiplicationem amicitiæ, & concupiſcentiæ repreſſionem, quæ per matrimonium quæruntur.

Ad 2. R. quòd res poſſeſſæ à viro non efficiuntur aliquid vnum cum ipſo viro; ſicut vxor efficitur vna caro cum ipſo. Vnde ſicut conſanguinitas impedit matrimonium, vel coniunctionem ad virum ſecundùm carnem, ita & ad vxorem viri. *Lib. 4. ſent. diſt. 41. q. 1. art. 2. Supplem. quæſt. 55. art. 6. & lib. 4. ſent. ad Annibald. diſt. 40. art. 2.*

Turpitudinẽ vxoris, &c. Si infideles Coniuncti inueniantur in gradibus iure diuino prohibitis, non permittuntur cõmanere altero vel vtroque conuerſo ad fidem. Permittuntur autem ſi inueniantur coniuncti in gradibus per Eccleſiam ſolùm prohibitis; quia infideles non ſunt aſtricti ſtatuto Eccleſiæ, ſed iuri diuino, contra quod verum matrimonium inter eos eſſe non poterat. *Lib. 4. ſent ad Annibald. diſt. 39. art. 4. ad ſecundum.*

LEVITICI Cap. 18. *v.* 9.

Turpitudinem ſororis tuæ non reuelabis.

VIdetur quòd conſanguinitas matrimonium non impediat, nihil enim impedit matrimonium niſi quod contrariatur alicui matrimonii bono: ſed conſanguinitas non eſt huiuſmodi, imò magis videtur iuuare; quia inter propinquos eſt melior & firmior coniunctio; ergo conſanguinitas matrimonium non impedit.

R. quòd ſanguinitas impedit bona quæ ſunt matrimonio annexa, nempe fœdus amicitiæ inter homines ampliandum, & alia huiuſmodi. *Lib. 4. ſent. ad Annibald. diſt. 40. art. 1.*

LEVITICI Cap. 18. v. 19.

Ad mulierem quæ patitur menſtruum non accedes.

VIdetur quòd liceat mulieri menſtruatæ debitum petere; ſicut enim in lege mulier menſtruata erat immunda, ita & vir fluxum ſeminis patiens: ſed vir ſeminifluus poteſt debitum petere; ergo pari ratione & mulier menſtruata.

2. Maior infirmitas eſt lepra quàm paſſio menſtruorum, & maiorem vt videtur corruptionem cauſat in prole: ſed leproſa poteſt debitum petere; ergo.

3. Si menſtruatæ non licet petere debitum, hoc non eſt niſi ratione defectus qui tenetur in prole: ſed ſi mulier ſit ſterilis, non timetur talis defectus; ergo videtur quòd ſaltem ſterilis menſtruata poſſit petere.

Dicendum quòd accedere ad menſtruatam in lege prohibitum erat duplici ratione; tum propter immunditiam, tum propter nocumentum quod in prole ex huiuſmodi commiſtione frequenter ſequebatur. Et quo ad primum præceptum, erat cæremoniale; ſed quantùm ad ſecundum, erat morale; quia cùm matrimonium ſit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus eſt omnis matrimonii vſus, quo bonum prolis impenditur: & ideo hoc præceptum obligat etiam in noua lege propter ſecundam rationem, etſi non propter primam.

Fluxus tamen menſtruorum poteſt eſſe naturalis & innaturalis: naturalis quidem, quando ſcilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis quando ſunt ſanæ: innaturalis autem quando inordinatè & quaſi continuè ex aliqua infirmitate fluxum ſanguinis patiuntur. In fluxu ergo menſtruorum innaturali non eſt prohibitum ad mulierem menſtruatam accedere in lege noua, tum propter infirmitatem; quia mulier in tali ſtatu concipere non poteſt; tum quia talis fluxus eſt perpetuus & diuturnus; vnde oporteret quòd vir perpetuò abſtineret.

Sed quando naturaliter mulier patitur fluxus menſtruorum, poteſt concipere; & iterum talis fluxus non durat niſi ad modicum tempus; vnde prohibitum eſt ad talem accedere; & ſimiliter prohibitum eſt mulieri in tali fluxu debitum petere.

Ad 1. R. quòd fluxus ſeminis in viro ex infirmitate procedit, nec ſemen ſic fluens eſt aptum ad generationem. Et præterea talis paſſio eſt diuturna, vel perpetua ſicut lepra; vnde non eſt ſimilis ratio. Et per hoc etiam ſoluitur etiam ſecundum.

Ad 3. R. quòd quandiu mulier menſtrua patitur, non poteſt eſſe certum eam eſſe ſterilem, quædam enim in iuuentute ſunt ſteriles, quæ proceſſu temporis ſunt fœcundæ, & è conuerſo *Lib. 4. ſent. diſt. 32. q. 1. art. 2. q. 2.*

LEVITICI Cap. XIX. v. 2.

Sancti eſtote quoniam ego Sanctus ſum.

VIdetur quòd mali miniſtrantes Sacramenta, non peccent; ſicut enim mini-

Digitized by Google

ſtratur Deo in Sacramentis, ita per opera charitatis: ſed mali non peccant ſi miniſtrent Deo in operibus charitatis, quinimo hoc eſt eis conſulendum, ſecundùm illud, *Conſilium meum tibi placeat, peccata tua eleemoſinis redime*; ergo videtur quòd mali non peccent Sacramenta miniſtrando.

Dan 4. v. 24.

2. Quicunque communicat alicui in peccato, etiam ipſe eſt reus peccati, ſecundùm illud *Digni ſunt morte, non ſolùm qui peccata faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: ſed ſi mali miniſtri peccent Sacramenta miniſtrando; illi qui ab eis Sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant; ergo etiam ipſi peccarent, quod videtur inconueniens.

Rom. 1 v. 32.

3. Si mali peccarent Sacramenta tradendo, eſſent perplexi, quia etiam quandoque peccarent ſi Sacramenta non traderent; putà cùm eis ex officio incumbit neceſſitas: dicitur enim *Væ mihi ſi non euangeliſauero; neceſſitas enim mihi incumbit.* Quandoque etiam propter periculum; ſicut ſi puer in periculo mortis exiſtens offeratur alicui peccatori baptiſandus; ergo videtur quòd mali non peccent Sacramenta miniſtrando.

1. Cor. 9. v. 16.

Dicendum quòd aliquis in agendo peccat ex hoc quòd operatur non ſecundùm quod oportet: conueniens eſt autem vt Sacramentorum miniſtri ſint iuſti; quia miniſtri debent Domino conformari, vt patet in textu. Et ideo non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe miniſtros Dei & eccleſiæ in diſpenſatione Sacramentorum, peccent.

Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei & contaminationem Sacramentorum, quantùm eſt ex parte ipſius (licet Sacramenta ſecundùm ſe ipſa incontaminabilia ſint) conſequens eſt quòd tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.

Ad 1. R. quòd opera charitatis non ſunt aliqua conſecratione ſanctificata, ſed ipſa pertinent ad iuſtitiæ ſanctitatem, ſicut quædam iuſtitiæ partes: & ideo homo qui ſe exhibet Deo miniſtrum in operibus charitatis, ſi ſit iuſtus, ampliùs ſanctificatur: ſi verò ſit peccator, per hoc ad ſanctitatem diſponitur. Sed Sacramenta in ſeipſis ſanctificationem quandam habent per myſticam conſecrationem. Et ideo præexigitur in miniſtro ſanctitas iuſtitiæ, vt congruat ſuo miniſterio. Et ideo incongruè agit & peccat ſi in peccato exiſtens, ad tale miniſterium accedat.

Ad 2. R. quòd ille qui ad Sacramenta accedit, ſuſcipit Sacramenta à miniſtro Eccleſiæ, non in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum eſt miniſter Eccleſiæ. Et ideo quandiu ab eccleſia toleratur in miniſterio, ille qui ab eo ſuſcipit Sacramentum, non communicat peccato eius; ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam miniſtrum exhibet. Si verò ab Eccleſia non toleratur (putà cùm degradatur, vel excommunicatur, vel ſuſpenditur) peccat qui ab eo accipit Sacramentum; quia communicat peccato ipſius.

Ad 3. R. quòd ille qui eſt in peccato mortali, non eſt perplexus ſimpliciter, ſi ex officio ei incumbat Sacramenta diſpenſare; quia poteſt pœnitere de peccato, & licitè miniſtrare. Non eſt autem inconue-

niens quòd ſit perplexus ſuppoſito quodam, ſcilicet quòd velit remanere in peccato In articulo tamen neceſſitatis non peccaret baptiſando, in caſu in quo etiam poſſet laïcus baptiſare; ſic enim patet quòd non exhiberet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubueniret neceſſitatem patienti. Secus eſt autem in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis ſicut baptiſmus. *3. p. q. 64. art. 6.*

Levitici Cap. 19. *v.* 12.

Non periurabis in nomine meo.

Videtur quòd non omne periurium ſit peccatum mortale; nam maius eſt iurare per Deum quàm per Euangelium: ſed non ſemper peccat mortaliter qui per Deum iurat aliquod falſum; putà ſi ex ioco, vel lapſu linguæ aliquis tali iuramento in communi ſermone vtatur; ergo nec etiam ſi aliquis frangat iuramentum quod ſolemniter per Euangelium iurat, ſemper erit peccatum.

Sed contra, Omne peccatum quod contrariatur præcepto diuino, eſt peccatum mortale: ſed periurium contrariatur præcepto diuino, vt patet in textu; ergo eſt peccatum mortale.

Dicendum quòd ea quæ ex ſe ſunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, ſi in contemptum Dei fiant, ſunt peccata mortalia. Vnde multò magis quicquid eſt quod de ſui ratione pertinet ad contemptum Dei, eſt peccatum mortale. Periurium autem de ſui ratione importat contemptum Dei; ex hoc enim habet rationem culpæ, quia ad irreuerentiam Dei pertinet. Vnde manifeſtum eſt quòd periurium, ex ſui ratione, eſt peccatum mortale. Ad argum. R. quòd ille qui iocosè periurat, non euitat diuinam irreuerentiam, ſed quantùm ad aliquid magis auget. Et ideo non excuſatur à peccato mortali. Ille autem qui ex lapſu linguæ falſum iurat, ſi quidem aduertat ſe iurare, & falſum eſſe quod iurat; non excuſatur à peccato mortali, ſicut nec à Dei contemptu: ſi autem hoc non aduertat, non videtur habere intentionem iurandi; & ideo à crimine periurii excuſatur. Eſt ergo grauius peccatum ſi quis ſolemniter iuret per Euangelium, quàm ſi per Deum in communi ſermone iuret; tum propter ſcandalum, tum propter maiorem deliberationem. Quibus æqualiter hinc inde poſitis, grauius eſt ſi quis per Deum iurans, periuret, quàm ſi periuret, iurans per Euangelium. *22. q. 98. art. 3.*

Levitici Cap. 19. *v.* 13.

Non facies calumniam proximo tuo.

Omnis fraus vel dolus commiſſa in his quæ ad iuſtitiam pertinent, poteſt intelligi eſſe prohibita in textu. Explicatur infra *Eccl. 26. v. 28.*

Levitici Cap. 19. *v.* 13.

Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane.

In vita iſta eſt ſtatus merendi vel demerendi, vnde comparatur militiæ, & diebus mercenarii, vt patet, *Militia eſt vita hominis ſuper terram: & ſicut mercenarij dies eius.* *Iob. 7. v. 1.* Sed poſt ſtatum militiæ & laborem mercenarij,

Digitized by Google

mercenarii, ſtatim debetur præmium vel pœna bene vel malè certantibus, vt patet in textu. Dominus etiam dicit, *Citò velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum*. Statim igitur poſt mortem animæ vel præmium conſequuntur vel pœnam. *Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 91.

Ioël. 3. *v.* 4.

Non morabitur opus. Videtur quòd non teneatur aliquis reſtituere ſtatim, ſed licitè poſſit reſtitutionem differre; præcepta enim affirmatiua non obligant ad ſemper: ſed neceſſitas reſtituendi imminet ex præcepto affirmatiuo; ergo non obligatur homo ad ſtatim reſtituendum.

2. Reſtitutio eſt quidam actus virtutis, ſcilicet iuſtitiæ: Tempus autem eſt vna de circunſtantiis quæ requiruntur ad actus virtutum; cùm ergo aliæ circunſtantiæ non ſint determinatæ in actibus virtutum, ſed determinabiles ſecundùm rationem prudentiæ; videtur quòd nec in reſtitutione ſit tempus determinatum vt ſcilicet aliquis teneatur ad ſtatim reſtituendum.

Sed contra eſt, quòd eadem ratio eſſe videtur in omnibus quæ ſunt reſtituenda: ſed ille qui conducit opera mercenarii, non poteſt differre reſtitutionem, vt patet in textu; ergo neque in aliis reſtitutionibus faciendis poteſt fieri dilatio, ſed ſtatim reſtituere oportet.

Reſtitutio ſtatim facienda.

Dicendum quòd ſicut accipere rem alienam, eſt peccatum contra iuſtitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc quòd aliquis detinet rem alienam inuito Domino, impedit eum ab vſu rei ſuæ; & ſic ei facit iniuriam. Manifeſtum eſt autem quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere; & ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt; vel petere dilationem ab eo qui poteſt vſum rei concedere.

Ad 1. R. quòd præceptum de reſtitutione facienda, quamuis ſecundùm formam ſit affirmatiuum, implicat tamen in ſe negatiuum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.

Ad 2. R. quòd cuiuſcumque circunſtantiæ omiſſio quæ contrariatur virtuti, pro determinata eſt habenda; & oportet illam circunſtantiam obſeruare. Et quia per dilationem reſtitutionis, committitur peccatum iniuſtæ detentionis, quod iuſtitiæ opponitur; ideo neceſſe eſt tempus eſſe determinatum, vt ſtatim reſtitutio fiat. 22. *quæſt.* 62. *art.* 8.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi* 22. *v.* 1.

LEVITICI Cap. 19. *v.* 16.

Non eris criminator, nec ſuſurro in populis.

Videtur quòd ſuſurratio non ſit peccatum diſtinctum à detractione; quia criminator idem videtur eſſe quòd detractor.

Dicendum quòd ſuſurro & detractor in materia conueniunt, & etiam in forma, ſiue in modo loquendi; quia vterque malum occultè de proximo dicit, propter quam ſimilitudinem interdum vnum pro alio ponitur. Differunt autem fine; quia detractor intendit denigrare famam proximi: vnde illa mala de proximo præcipuè profert ex quibus proximus infamati-

Yy

Bibliotheca S. M.ª Transpontina ...

Digitized by Google

poſſit, vel ſaltem diminui eius fama; ſuſurro autem intendit amicitiam ſeparare: & ideo ſuſurro talia mala profert de proximo, quæ poſſunt contra ipſum commouere animum audientis, ſecundùm illud

Eccl. 28. v. 11. *Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.*

Ad argum R. quòd criminator differt & à ſuſurrone, & à detractore, quia criminator eſt qui publicè crimina aliis imponit, vel accuſando vel conuitiando; quod non pertinet ad detractorem & ſuſurronem. 22. *q.* 74. *art.* 1.

LEVITICI Cap. 19. v. 17.

Ne oderis fratrem in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.

VIdetur quòd diligere inimicos non ſit de perfectione conſilii; quod enim cadit ſub præcepto, non eſt de perfectione conſilii: ſed diligere inimicum, cadit ſub præcepto

Matth. 5. v. 43. illo videlicet, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; nam nomine proximi intelligitur omnis homo; ergo diligere inimicum, non eſt de perfectione conſilii.

Sed dicendum quòd eſt de perfectione conſilii dilectio inimicorum, quantùm ad exhibitionem familiaritatis & aliorum effectuum charitatis. Sed contra: omnem proximum tenemur ex charitate diligere: ſed dilectio charitatis non eſt tantùm in corde, ſed etiam in ope-

1. Ioan. 3. v. 18. re: dicitur enim *Non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate;* ergo etiam quantùm ad effectus charitatis, dilectio inimicorum cadit ſub præcepto.

2. Dicitur, *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos*; ſi igitur diligere inimicos cadit ſub præcepto, & benefacere eis cadet ſub præcepto, quod pertinet ad effectus charitatis. Matth. 5. v. 44.

3. Ea quæ pertinent ad perfectionem conſiliorum, non fuerunt in veteri lege tradita, quia vt dicitur, *Nihil ad perfectum adducit lex*: ſed Hebr. 7. v. 19.
in veteri lege fuit traditum quòd ad inimicos non ſolùm affectus dilectionis haberetur, ſed etiam effectus dilectionis eis impenderetur: dicitur enim *Si occurreris boui inimici, aut aſino erranti, reduc ad eum.* Ex. 23. v. 4.
Et *ſi gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inueniſſet eum malum: non enim dedi ad peccandum guttur meum.* Et *ſi eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitierit, da ei aquam bibere*; ergo diligere inimicum etiam quantùm ad exhibitionem effectuum charitatis, non eſt de perfectione conſilii. Iob. 31. v. 29. Prou. 25. v. 21.

4. Conſilium non contrariatur legis præcepto, vnde Dominus perfectionem nouæ legis traditurus præmiſit, *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*: diligere autem inimicos videtur contrariari præcepto legis, quia dicitur, *Diliges amicum tuum, & odio &c.* Ergo dilectio inimicorum non cadit ſub perfectione conſilii. Matth. 5. v. 17. Matth. 5. v. 43.

5. Dilectio habet proprium obiectum in quod inclinat: ſed proprium obiectum dilectionis non videtur eſſe inimicus, ſed magis dilectioni repugnans; ergo non eſt de perfectione charitatis quòd aliquis diligat inimicum.

6. Perfectio virtutis non contrariatur inclinationi naturæ, ſed magis per virtutem inclinatio naturæ

Digitized by Google

perficitur: natura autem mouet ad hoc quòd inimicus odio habeatur, quælibet enim res naturalis repudiat ſuum cóntrarum; ergo non eſt de perfectione charitatis quòd aliquis diligat inimicum.

7. Perfectio charitatis & cuiuſlibet virtutis conſiſtit in aſſimilatione ad Deum: ſed Deus amicos diligit, & inimicos odit, ſecundùm illud, *Iacob dilexi, Eſau odio habui*; ergo non eſt de perfectione charitatis quòd aliquis diligat inimicos, ſed magis quòd eos odio habeat.

Malach. 1. v. 3.

8. Dilectio charitatis directè reſpicit bonum vitæ æternæ: ſed aliquibus inimicis noſtris non debemus velle bonum vitæ æternæ; quia vel ſunt damnati in inferno, vel adhuc viuentes ſunt reprobati à Deo; ergo diligere inimicos, non pertinet ad perfectionem charitatis.

9. Amicus & inimicus, ſunt contraria; ergo & diligere amicum; & diligere inimicum ſunt contraria: contraria autem non poſſunt eſſe ſimul; cùm igitur teneamur ex charitate diligere amicos, non poteſt cadere ſub conſilio quòd inimicos diligamus.

10. Conſilium non poteſt eſſe ſub impoſſibili: ſed diligere inimicum videtur impoſſibile, cùm ſit contra inclinationem naturæ; ergo diligere inimicum non cadit ſub conſilio.

Dicendum quod diligere inimicos aliquo modo cadit ſub neceſſitate præcepti, & aliquo modo ſub conſilii perfectione. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quod proprium & per ſe obiectum charitatis eſt Deus, & quicquid ex charitate diligitur eâ ratione diligitur, qua ad Deum pertinet; ſicut ſi diligimus aliquem hominem, diligimus per conſequens omnes ei attinentes, etiam ſi ſint nobis inimici. Conſtat autem quòd omnes homines ad Deum pertinent, inquantum ſunt ab ipſo creati & capaces beatitudinis, quæ in fruitione ipſius conſiſtit. Manifeſtum eſt ergo quòd iſta ratio dilectionis quam reſpicit charitas, in omnibus hominibus inuenitur.

Inimici dilectio

Sic ergo in eo qui contra nos inimicitiam exercet, eſt duo inuenire, vnum quod eſt ratio dilectionis, ſcilicet quod ad Deum pertinet; & aliud quod eſt ratio odii, ſcilicet quod nobis aduerſatur. In quocunque autem inuenitur ratio dilectionis, & ratio odii; ſi prætermiſsâ dilectione in odium conuertamur; manifeſtum eſt quòd id quod eſt ratio odii, præponderat in corde noſtro, eo quod eſt ratio dilectionis. Sic ergo ſi aliquis inimicum ſuum odio habeat, inimicitia illius præponderat in corde ſuo amori diuino. Magis ergo odit amicitiam illius, quàm diligat Deum.

Tantùm autem odimus aliquid, quantùm diligimus bonum quod nobis per inimicum ſubtrahitur. Relinquitur ergo quòd quicunque inimicum odit, aliquod bonum creatum diligit plus quàm Deum; quod eſt contra præceptum charitatis. Habere igitur odio inimicum eſt contrarium charitati: vnde neceſſe eſt quòd ſi ex præcepto charitatis tenemur, quòd dilectio Dei præponderet in nobis dilectioni cuiuſlibet alterius rei; & per conſequens odio contrarii. Sequitur

Digitized by Google

Ad 6. R. quòd ex natura homo omnem hominem diligit: ſed quòd aliquis ſit inimicus, eſt ex aliquo quod naturæ ſuperadditur, ex quo non debet tolli naturæ inclinatio. Charitas ergo dum ad dilectionem inimicorum mouet, perficit naturalem inclinationem. Secus autem eſt de illis quæ habent contrarietatem ex ſua natura, ſicut ignis & aqua, lupus & ouis.

Ad 7. R. quòd Deus non odit in aliquo quod ſuum eſt, ſcilicet bonum naturale vel quodcunque aliud; ſed ſolùm illud quod ſuum non eſt, ſcilicet peccatum. Et ſic etiam nos in hominibus debemus diligere quod Dei eſt, & odiſſe quod eſt alienum à Deo. Et ſecun-
Pſ. 138. v. 22. dùm hoc dicitur, *perfecto odio oderam illos*.

Ad 8. R. quòd præſcitos & damnatos non debemus diligere ad habendum vitam æternam; quia iam ſunt totaliter per diuinam ſententiam ab ea excluſi. Poſſumus tamen eos diligere, vt cætera Dei in quibus diuina iuſtitia manifeſtatur; ſic enim eos Deus diligit, præſcitos enim nondum damnatos debemus diligere, ad vitam æternam habendam; quia hoc nobis non conſtat; & præſcientia diuina ab eis non excludit poſſibilitatem perueniendi ad vitam æternam.

Ad 9. R. quòd diligere amicum, inquantum amicus; & inimicum, inquantum inimicus, eſſet contrarium: ſed diligere amicum & inimicum, inquantum vterque eſt Dei, non eſt contrarium: ſicut nec videre album, & videre nigrum inquantum eſt coloratum.

Ad 10. R. quòd diligere inimicum, inquantum inimicus eſt, eſt difficile vel etiam impoſſibile: ſed diligere inimicum propter aliquid magis amatum, eſt facile Et ſic id quod in ſe videtur impoſſibile, charitas Dei facit facile. *In quæſt. diſp. q. 2. de virtutibus art. 8. & 22. q 25. art. 9.*

Ne oderis fratrem. Videtur quòd non ſufficiant duo præcepta charitatis; nam ſicut ad virtutem pertinet facere bonum, ita & declinare à malo: ſed ad faciendum bonum inducimur per præcepta affirmatiua; ad declinandum à malo per præcepta negatiua; ergo de charitate fuerunt danda præcepta non ſolùm affirmatiua, ſed etiam negatiua. Et ſic prædicta duo præcepta charitatis non ſufficiunt.

Sed contra eſt quod Dominus dicit, *In his duobus mandatis tota lex* Matth. 22. v.
pendet & Prophetæ. Dicendum quòd 40.
charitas eſt amicitia quædam: Amicitia autem ad alterum eſt. Cùm autem dilectio & amor ſit boni: bonum autem ſit, vel finis, vel id quod eſt ad finem; conuenienter de charitate duo præcepta ſufficiunt; vnum quidem quo inducimur ad Deum diligendum ſicut finem; aliud, quo inducimur ad diligendum proximum propter Deum, ſicut propter finem.

Ad argum. R. quòd plus eſt operari bonum, quàm vitare malum. Et ideo in præceptis affirmatiuis virtute includuntur præcepta negatiua. Et tamen explicitè inueniuntur præcepta data contra vitia charitati oppoſita: nam contra odium datur textus; contra acediam dicitur *Ne acedieris in vinculis eius.* Eccl. 6. v. 26.
Contra inuidiam *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Contra Gal. 5. v. 26.

Digitized by Google

1. Cor. 1. v. 10. diſcordiam verò *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Rom. 14 v. 13. Contra ſcandalum autem *Ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.* 22. *q.* 44. *art.* 3.

LEVITICI Cap. 19. *v.* 18.

Non quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum.

SEcundùm hoc tenemur aliquem diligere, ſecundùm quòd nobiſcum aliquam communicationem habet. Inimicus autem noſter habet quandam nobiſcum communicationem in natura, ſecundùm quam eſt poſſibilis ad communicandum nobiſcum in diuina vita. Et ideo in his quæ pertinêt ad naturam ſuam, & ad gratiam habendam debemus eum diligere. Sed inimicitiam ſuam quam aduerſùs nos habet, non debemus diligere, quia ſecundùm eam nobiſcum non communicat, nec etiam ſibi ipſi, ſed magis contrariatur. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 30. *q.* 1. *art* 1.

Non quæres vltionem. Effectus & ſigna charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur: Dilectio autem interior ad inimicum, in communi quidem eſt de neceſſitate præcepti abſolutè; in ſpeciali autem non abſolutè, ſed ſecundùm præparationem animi. Sic ergo dicendum eſt & de affectu & ſigno dilectionis exteriùs exhibendo. Inimici dilectio. Sunt enim quædam ſigna vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi: putà cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cùm aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati. Et talia beneficia vel dilectionis ſigna inimicis exhibere, eſt de neceſſitate præcepti: ſi enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad liuorem vindictæ, contra id quod dicitur in textu.

Alia verò ſunt beneficia vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis Et talia beneficia vel dilectionis ſigna inimicis exhibere, non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundùm præparationem animi, vt ſcilicet ſubueniatur eis in articulo neceſſitatis. Sed quòd præter articulum neceſſitatis huiuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis; per quam aliquis non ſolùm cauet vinci à malo, quod neceſſitatis eſt; ſed etiam vult in bono vincere malum, quod eſt perfectionis; dum ſcilicet non ſolùm cauet propter iniuriam ſibi illatam pertrahi ad odium; ſed etiam per ſua beneficia intendit inimicum pertrahere ad ſuum amorem. 22. *q.* 25. *art.* 9.

LEVITICI Cap. 19. *v.* 18.

Diliges amicum tuum ſicut teipſum.

NOn tantùm propinquitate ſanguinis, ſed ſocietate rationis; ergo ſecundùm quod aliquid habet ſocietatem nobiſcum in natura rationali, ſic eſt diligibile ex charitate. Natura ergo rationalis eſt obiectum charitatis *In quæſt. diſp. q.* 2. *de virtutibus art.* 7.

Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Videtur quòd homo non diligat ſeipſum ex charitate, nam illud quod ad charitatem pertinet, non poteſt eſſe vituperabile, quia *Charitas non agit perperam*: ſed amare 1. Cor. 13. v. 4. ſeipſum eſt vituperabile, dicitur

Digitized by Google

1. Tim. 3. v. 1. enim. *In nouiſsimis diebus inſtabunt temporapericuloſa, & erunt homines amantes ſeipſos*; Ergo homo non poteſt ſeipſum diligere ex charitate.

Sed contra eſt quòd dicitur in textu: nam amicum ex charitate diligimus, ergo nos ipſos ex charitate debemus diligere.

Dicendum quòd cum charitas ſit quædam amicitia, dupliciter poſſumus de charitate loqui: vno modo ſub communi ratione amicitiæ; & ſecundùm hoc dicendum eſt quòd amicitia propriè non habetur ad ſeipſum, ſed aliquid maius amicitiâ; quia amicitia vnionem quandam importat. Vnicuique autem ad ſeipſum eſt vnitas, quæ eſt potior vnione ad alium. Vnde ſicut vnitas eſt principium vnionis, ita amor quo quis diligit ſeipſum, eſt forma & radix amicitiæ. In hoc enim amicitiam habemus ad alios, quòd ad eos nos habemus ſicut ad nos ipſos. Sicut etiam de principiis non habetur ſcientia, ſed aliquid maius ſcilicet intellectus.

Alio modo poſſumus loqui de charitate ſecundùm propriam rationem ipſius, prout ſcilicet eſt amicitia hominis ad Deum principaliter; & ex conſequenti ad ea quæ ſunt Dei: inter quæ etiam eſt ipſe homo qui charitatem habet. Et ſic inter cætera quæ ex charitate diligit quaſi ad Deum pertinentia, etiam ſeipſum ex charitate diligit.

Ad argum. R quòd amantes ſeipſos vituperantur; inquantum amant ſe ſecundùm naturam ſenſibilem, cui obtemperant: Quod non eſt verè amare ſeipſum ſecundùm naturam rationalem, vt ſibi velint ea bona quæ pertinent ad perfectionem rationis. Et hoc modo præcipuè ad charitatem pertinet diligere ſeipſum. 22. *quæſt.* 25. *art.* 4.

Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Videtur quòd homo ex charitate non magis debeat diligere ſeipſum quàm proximum; principale enim obiectum charitatis eſt Deus: ſed quandoque homo habet proximum magis Deo coniunctum quàm ſit ipſe; ergo magis debet aliquis talem diligere, quàm ſeipſum.

2. Detrimentum illius quem magis diligimus, magis vitamus: ſed homo ex charitate ſuſtinet detrimentum pro proximo, ſecundùm illud *Qui negligit damnum propter* Prou. 12
amicum, iuſtus eſt; ergo homo debet v. 26.
ex charitate magis alium diligere, quàm ſeipſum.

3. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt:* 1. Cor. 13
ſed illud maximè amamus, cuius v. 5.
bonum maximè quærimus; ergo per charitatem aliquis non amat ſeipſum, magis quàm proximum.

Dicendum quòd in homine duo ſunt, ſcilicet natura ſpiritualis & natura corporalis. Per hoc autem homo dicitur diligere ſeipſum, quod diligit ſe ſecundùm naturam ſpiritualem. Et ſecundùm hoc debet homo magis ſe diligere poſt Deum, quàm quemcunque alium. Et hoc patet ex ipſa ratione diligendi; nam Deus diligitur vt principium boni, ſuper quo fundatur dilectio charitatis. Homo autem ſeipſum diligit ex charitate ſecundùm rationem, qua eſt particeps prædicti boni: proximus autem diligitur ſecundùm rationem ſocietatis in iſto bono. Conſociatio autem eſt ratio dilectionis ſecundùm quandam vnionem in ordine ad Deum. Vnde ſicut vnitas potior

Digitized by Google

eſt quàm vnio; ita quòd homo ipſe participet bonum diuinum, eſt potior ratio diligendi, quàm quòd alius aſſocietur ſibi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis ſeipſum diligere, quàm proximum. Et huius ſignum eſt quòd homo non debet ſubire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, vt proximum liberet à peccato.

Ad 1. R. quòd dilectio charitatis non ſolùm habet quantitatem ex parte obiecti, quod eſt Deus; ſed ex parte diligentis, qui eſt ipſe homo charitatem habens: ſicut & quantitas cuiuſlibet actionis dependet quodammodo ex ipſo ſubiecto. Et ideo licet proximus melior, ſit Deo propinquior; quia tamen non eſt ita propinquus charitatem habenti, ſicut ipſe ſibi; non ſequitur quod magis debeat aliquis proximum quàm ſeipſum diligere.

Ad 2. R. quòd detrimenta corporalia debet homo ſuſtinere propter amicum; & in hoc ipſo ſeipſum magis diligit ſecundùm ſpiritualem mentem; quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ eſt bonum mentis. Sed in ſpiritualibus non debet homo pati detrimentum, peccando vt proximum liberet à peccato.

Ad 3. R. quòd ſemper commune bonum eſt magis amabile vnicuique quàm proprium: ſicut etiam ipſi parti eſt magis amabile bonum totius quàm bonum partiale ſui ipſius. 22. *q.* 26. *art.* 4.

LEVITICI Cap. 19. *v.* 19.

Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus.

CIrca commixtionem animalium diuerſæ ſpeciei ratio literalis potuit eſſe triplex: vna quidem ad deteſtationem idololatriæ Ægyptiorum qui diuerſis commixtionibus vtebantur in ſeruitium planetarum, qui ſecundùm diuerſas coniunctiones habent diuerſos effectus, ſuper diuerſas ſpecies rerum. Alia ratio eſt ad excludendum concubitus contra naturam. Tertia ratio eſt ad tollendam vniuerſaliter occaſionem concupiſcentiæ: Animalia enim diuerſarum ſpecierum non commiſcentur, de facili adinuicem, niſi hoc per homines procuretur, & in aſpectu coitus animalium excitatur homini concupiſcentiæ motus.

Figuralis autem ratio eſt, quia populares homines qui iumenta dicuntur, non debent coire, id eſt, coniunctionem habere cum alterius generis animantibus, id eſt, cum gentibus, vel Iudæis. 12. *q.* 102. *art.* 6. *ad* 8.

LEVITICI Cap. 19. *v.* 19.

Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine.

ARguitur, inter plantas non fiebat diſcretio mundorum ab immundis; ergo multò minùs circa culturam plantarum debuit aliqua diſcretio adhiberi; vt eſt in textu, &, *Non ſeres vineam tuam altero ſemine.* *Deut. 22. v. 9*

R. quòd illæ commixtiones in agricultura ſunt prohibitæ ad literam

ram in deteſtationem idololatriæ; quia Ægyptii in venerationem ſtellarum diuerſas commixtiones faciebant in ſeminibus & in animalibus, & in veſtibus, repræſentantes diuerſas coniunctiones ſtellarum. Vel omnes huiuſmodi commixtiones variæ prohibentur ad deteſtationem coitus contra naturam.

Habent tamen figuralem rationem; quia quod dicitur, *Non ſeres vineam tuam alieno ſemine*, eſt ſpiritualiter intelligendum; quòd in Eccleſia quæ eſt ſpiritualis vinea, non eſt ſeminanda aliena doctrina. Et ſimiliter ager, id eſt, Eccleſia; non eſt ſeminandus diuerſo ſemine, id eſt, catholicâ doctrinâ & hæreticâ. *12. q. 102. art. 6. ad 9.*

LEVITICI Cap. 19. *v.* 19.

Veſtem quæ ex duobus texta eſt, non indueris.

ARguitur, veſtimentum extra corpus hominis eſt, non igitur debuerunt quædam ſpecialia veſtimenta Iudæis interdici, vt patet in textu. Et *Non induetur mulier veſte virili, & vir non induetur veſte fœminea.* Et infra, non indueris veſtimento quod ex lana linóque contextum eſt.

Deut. 22. v. 5. *Deut. 22. v. 11.*

Eccl. 19. v. 27. R. quòd ſicut dicitur, *amictus corporis enuntiat de homine.* Et ideo voluit Dominus vt populus eius diſtingueretur ab aliis populis, non ſolùm ſigno circunciſionis quod erat in carne; ſed etiam certâ habitus diſtinctione. Et ideo prohibitum fuit eis ne induerentur veſtimento ex lana & lino contexto, & ne mulier indueretur veſte virili, aut è conuerſo: propter duo: Primò quidem ad vitandum idololatriæ cultum; huiuſmodi enim variis veſtibus ex diuerſis contextis gentiles in cultu ſuorum deorum vtebantur: & etiam in cultu Martis mulieres vtebantur armis virorum: in cultu autem veneris è conuerſo viri vtebantur veſtibus mulierum.

Alia ratio eſt, ad declinandum luxuriam; nam per commixtiones varias in veſtimentis, omnis inordinata commixtio coitus excluditur. Quòd autem mulier induatur veſte virili, aut è conuerſo, incentiuum eſt concupiſcentiæ, & occaſionem libidini præſtat.

Figuralis autem ratio eſt quia in veſtimento contexto ex lana & lino interdicitur coniunctio ſimplicitatis & innocentiæ, quæ figuratur per lanam; & ſubtilitates & malitiæ quæ figurantur per linum. Prohibetur etiam quòd mulier non vſurpet ſibi doctrinam, vel alia virorum officia; vel ne vir declinet ad mollities mulierum. *12. q. 102. art. 6. ad ſextum.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 18. *v.* 19.

LEVITICI Cap. 19. *v.* 23.

Cùm ingreſſi fueritis terram, &c.

ARguitur, ea quæ ſunt primitiua in hominibus & animalibus, tanquam perfectiora præcipiuntur Domino offerri; inconuenienter igitur præcipitur in textu quòd auferantur præputia arborum, id eſt, prima germina.

R. quòd gentiles fructus primitiuos, quos fortunatos æſtimabant, diis ſuis offerebant; vel etiam comburebant eos ad quædam magica facienda. Et ideo præceptum eſt eis vt fructus trium primorum an-

norum immundos reputarent: in tribus enim annis ferè omnes arbores terræ illius fructum producunt; quæ ſcilicet vel ſeminando, vel inhærendo vel plantando, coluntur. Rarò autem contingit quòd oſſa fructuum arboris vel ſemina latentia ſeminentur; hæc enim tardiùs facerent fructum: ſed lex reſpexit ad id quod frequentiùs fit. Poma autem quarti anni tanquam primitiæ mundorum fructuum, Deo offerebantur: quinto autem anno & deinceps comedebantur.

Figuralis autem ratio eſt, quia per hoc præfiguratur poſt tres ſtatus legis (quorum vnus eſt ab Abraham vſque ad Dauid: ſecundus vſque ad tranſmigrationem Babylonis: Tertius vſque ad Chriſtum) erat Chriſtus Deo offerendus; qui eſt fructus legis: vel quia primordia noſtrorum operum debent eſſe nobis ſuſpecta propter imperfectionem. 12. *q.* 102. *art.* 6. *ad quintum.*

LEVITICI Cap. 19. v. 31.

Non declinetis ad magos.

EXplicatur infra *Malach.* 1. v. 11. *ex* 3. *p. q.* 36. *art.* 3. *ad ſecundum.*

LEVITICI Cap. 19. v. 32.

Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.

ARguitur, hoc videtur ad acceptionem perſonarum pertinere; quia quandoque ſenes non ſunt virtuoſi. R. quòd ſenes ſunt honorandi propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus; licet hoc ſignum quandoque deficiat. 22. *quæſt.* 63. *art.* 3.

Coram cano capite. Videtur quòd ſobrietas magis requiratur in maioribus perſonis; ſenectus enim excellentiam quandam homini præſtat, vnde & ſenibus honor & reuerentia debetur, vt patet in textu: ſed Apoſt. ſpecialiter ſenes dicit eſſe ad ſobrietatem exhortandos, ſecundùm illud, *Senes vt ſobrij ſint;* ergo ſobrietas maximè requiritur in excellentioribus perſonis. *Ad Tit.* 2. *v.* 2.

2. Epiſcopus in Eccleſia excellentiſſimum gradum habet; cui per Apoſt. indicitur ſobrietas: ſecundùm illud, *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem &c. ergo.* 1. *Tim.* 3. *v.* 2.

3. Sobrietas importat abſtinentiam à vino: ſed vinum interdicitur regibus, qui tenent ſummum locum in humanis rebus. Conceditur autem his qui ſunt in ſtatu deſolationis, ſecundùm illud *Noli regibus dare vinum.* Et poſtea ſubdit, date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo; ergo ſobrietas magis requiritur in excellentibus perſonis. *Prou.* 31. *v.* 4.

Sed contra eſt quòd Apoſt. dicit, *Mulieres ſimiliter pudicas, ſobrias.* Et, *iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint.* 1. *Tim.* 3. *v.* 11. *Ad Tit.* 2. *v.* 6

Dicendum quòd virtus habet habitudinem ad duo: vno quidem modo ad contraria vitia quæ excludit, & concupiſcentias quas refrenat: Alio modo ad finem in quem perducit. Sic ergo aliqua virtus magis requiritur in aliquibus, duplici ratione: vno modo quia in eis eſt maior pronitas ad concupiſcentias, quas oportet per virtutem refrenari: & ad vitia quæ per virtutem tolluntur.

Et ſecundùm hoc ſobrietas maxi-

Digitized by Google

mè requiritur in iuuenibus & mulieribus; quia in iuuenibus viget concupiſcentia delectabilis propter feruorem ætatis. In mulieribus autem non eſt ſufficiens robur mentis ad hoc quòd concupiſcentiis reſiſtant.

Alio verò modo ſobrietas magis requiritur in aliquibus, vt pote magis neceſſaria ad propriam operationem ipſorum. Vinum autem immoderatè ſumptum præcipuè impedit vſum rationis: & ideo ſenibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, & Epiſcopis ſeu quibuſlibet Eccleſiæ miniſtris; qui mente deuotâ debent ſpiritualibus officiis inſiſtere; & regibus qui per ſapientiam debent populum ſubditum gubernare, ſpecialiter ſobrietas indicitur. *Et per hoc patet R. ad obiecta. 22. q. 149. art. 4.*

LEVITICI Cap. XX. *v.* 8.

Ego Dominus qui ſanctifico vos.

QVædam opera in ſcripturis S. ita Deo propriè attribuuntur, quòd alteri conuenire non poſſunt; ſicut ſanctificatio animarum, & remiſſio
Eſaia. 43. v. 25 peccatorum, vt patet in textu. Et, *Ego ſum qui deleo iniquitates veſtras*
Hebr. 2. v. 11. *propter me*: Vtrumque autem horum Chriſto ſcriptura attribuit; dicitur enim *Qui ſanctificat, & qui*
Hebr. vlt. v. 12. *ſanctificantur, ex vno omnes*. Et, *Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Ipſe etiam Dominus de ſe proteſtatus eſt quòd haberet poteſtatem remittendi peccata; & miraculo confir-
Matth. mauit. Et hoc etiam Angelus de ipſo prænuntiauit. Ipſe, inquiens, *9. v. 6.*
ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Matth. 1. v. 21.*

Non igitur Chriſtus & ſanctificans & peccata remittens ſic dicitur Deus, ſicut dicuntur dii hi qui ſanctificantur, & quorum peccata remittuntur: ſed ſicut virtutem & naturam diuinitatis habens. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 4.*

Sanctifico vos. Spiritus Sanctus eſt Deus: nulli enim templum conſecratur niſi Deo. Vnde dicitur *Deus in templo ſancto ſuo*: deputatur autem templum Spiritui Sancto, *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?* Spiritus ergo Sanctus Deus eſt; & præcipuè cùm membra noſtra, quæ templum Spiritus Sancti eſſe dicit, ſint membra Chriſti. Nam ſupra præmiſerat, *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Inconueniens autem eſſet, cùm Chriſtus ſit verus Deus, quòd membra Chriſti templum Spiritus Sancti eſſent, niſi Spiritus Sanctus Deus eſſet. *Pſ. 10. v. 5.* *1. Cor. 6. v. 15.* *1 Cor 6. v. 15.* Spiritus Sãctus eſt Deꝰ.

Item, ſanctificare homines, proprium Dei opus eſt, vt patet in textu: eſt autem Spiritus Sanctus qui ſanctificat: dicitur enim *Abluti & ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Et *Elegit nos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus, & fide veritatis*; oportet igitur Spiritum Sanctum eſſe Deum. *1 Cor. 6. v. 11.* *2. Theſſ. 2. v. 12.*

Adhuc, ſicut vita naturæ corporis eſt per animam, ita vita iuſtitiæ ipſius animæ eſt per Deum. Vnde Dominus dicit, *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me & ipſe viuet propter me*: huiuſmodi autem *Ioan. 6. v. 64.*

vita eſt per Spiritum Sanctum.
Vnde ibidem ſubditur, *Spiritus eſt*
Rom 8. *qui viuificat.* Et, *Si ſpiritu facta car-*
v. 13. *nis mortificaueritis, viuetis*; Spiritus
ergo Sanctus diuinæ naturæ eſt.

Ampliùs, Dominus in augmen-
tum ſuæ diuinitatis contra Iudæos
qui ſuſtinere non poterant vt ſe
æqualem Deo faceret, aſſerit in ſe
Ioan 5. eſſe reſuſcitandi virtutẽ dicens, *ſicut*
v. 21. *pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic &*
filius quos vult viuificat: virtus au-
tem reſuſcitatiua ad Spiritum San-
Rom 8. ctum pertinet, dicitur enim. *Si ſpi-*
v. 11. *ritus eius qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum*
à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſci-
tauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viui-
ficabit & mortalia corpora veſtra
propter inhabitantem Spiritum eius in
vobis: Spiritus ergo Sanctus eſt di-
uinæ naturæ.

Præterea, Creatio ſolius Dei
opus eſt: pertinet autem creatio ad
Spiritum Sanctum, dicitur enim
Pſ. 103. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur.*
v. 30. Et, *Spiritus Dei fecit me.* Et *ipſe crea-*
Iob 33. *uit illam* (Scilicet ſapientiam) *Spiri-*
v. 4. Eccli. 1. *tu ſancto*; eſt ergo Spiritus Sanctus
v. 9. diuinæ naturæ.

1 Cor. 2. Item, dicitur *Spiritus omnia ſcru-*
v. 10. *tatur etiam profunda Dei, quis enim*
ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus
hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ
Dei ſunt, non cognouit niſi Spiritus Dei:
Comprehendere autem omnia pro-
funda Dei, non eſt alicuius creatu-
ræ; quod patet ex hoc quod Domi-
Matth. nus dicit, *Nemo nouit filium niſi*
11. v. 27. *pater; neque patrem quis nouit niſi fi-*
Eſaia. *lius?* Et, ex perſona Dei dicitur
24. v. 16 *ſecretum meum mihi*; ergo Spiritus
Sanctus non eſt creatura.

Adhuc, ſecundùm prædictam
Apoſtoli comparationem, Spiritus
Sanctus ſe habet ad Deum ſicut
ſpiritus hominis ad hominem: ſpi-
ritus autem hominis intrinſecus eſt
homini, & non eſt extraneæ natu-
ræ ab ipſo, ſed eſt aliquid eius; igi-
tur & Spiritus Sanctus non eſt na-
turæ extraneæ à Deo.

Præterea dicitur, *Audiui vocem* Eſaia.
Dei dicentis, quem mittam, & quis 6. v. 8.
ibit ex nobis? & dixi, ecce ego, mitte
me; & dixit, vade, & dices populo
huic, audite audientes, & nolite in-
telligere. Hæc autem verba Paulus
Spiritui Sancto attribuit: vnde di-
citur quòd Paulus dixit Iudæis, *Be-*
ne Spiritus Sanctus locutus eſt per Act.
Eſaiam Prophetam dicens, Vade ad vlt. v.
populum iſtum, & dic ad eos, aure 26.
audiens, & non intelligetis; mani-
feſtum eſt ergo Spiritum Sanctum
Deum eſſe.

Ampliùs, Reuelatio myſteriorum
proprium opus Dei oſtenditur, *Eſt* Dan. 2.
Deus in cœlo reuelans myſteria: my- v. 28.
ſteriorũ autem reuelatio opus Spi-
ritus Sancti oſtenditur, dicitur enim
Nobis reuelauit per ſpiritum ſuum. Et, 1. Cor. 2.
ſpiritus loquitur myſteria; Spiritus er- v. 10.
go Sanctus Deus eſt. 1. Cor.

Item, interiùs docere, proprium 14. v. 2.
opus Dei eſt, dicitur enim de Deo
Qui docet hominem ſcientiam: hoc Pſ. 93.
autem proprium opus Spiritus San- v. 10.
cti eſſe, manifeſtum eſt; dicit enim
Dominus *Paracletus Spiritus Sanctus* Ioan.
quem mittet pater in nomine meo, ille 14. v. 26
vos docebit omnia; Spiritus ergo
Sanctus eſt diuinæ naturæ.

Præterea, Quorum eſt eadem
operatio, oportet eſſe eandem na-
turam: eſt autem eadem operatio
filii & Spiritus Sancti; quòd enim
Chriſtus in ſanctis loquatur, Apo-
ſtolus oſtendit dicens, *An experi-* 2. Cor.
mentum quæritis eius qui in me loquitur vlt. v. 3.
Chriſtus? Hoc etiam opus Spiritus

Digitized by Google

Sanctí eſſe manifeſtè apparet, dici-
Matth. 10.v.20 tur enim *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*; eſt ergo eadem natura Filii & Spiritus Sancti, & per conſequens Deus eſt.

Adhuc, eſſe vbique proprium
Hiere. 23.v.24 Dei eſt, qui dicit *Cælum & terram ego impleo*: & hoc Spiritui Sancto
Sap. 1. v. 7. conuenit, dicitur enim *Spiritus Domini repleuit orbem terrarū*. Et, quo
Pſ. 138 v. 8. ibo à ſpiritu tuo? *Si aſcendero in cælum tu illic es, &c.* Ex quo patet quòd Spiritus Sanctus vbique eſt; ergo eſt Deus.

Act. 5. v. 3. Præterea, dicitur *Anania cur tentauit ſatanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto*? Et poſtea ſubdit, *Non es mentitus hominibus ſed Deo*; Spiritus ergo Sanctus eſt Deus.

Item, ſi Spiritus Sanctus non eſt Deus, oportet quòd ſit aliqua creatura: planum eſt autem quod non eſt creatura corporalis, nec etiam ſpiritualis; nulla enim creatura ſpirituali creaturæ infunditur, cum creatura non ſit participabilis, ſed magis participans: Spiritus autem Sanctus infunditur ſanctorum mentibus, quaſi ab eis participatus; legitur enim & Chriſtus plenus fuiſſe, & etiam Apoſtoli: non eſt ergo Spiritus Sanctus creatura, ſed Deus.

Si quis autem dicat prædicta opera quæ ſunt Dei, Spiritui Sancto attribui, non per auctoritatem vt Deo, ſed per miniſterium, quaſi creaturæ; expreſsè hoc eſſe falſum apparet ex his quæ Apoſtolus dicit,
1. Cor. 12.v.4. *Diuiſiones operationum ſunt: Idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus*. Et poſtea connumeratis diuerſis donis Dei, ſubdit, *Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult*. Vbi manifeſtè expreſſit Spiritum Sanctum Deum eſſe, tum ex eo quòd Spiritum Sanctum operari dicit, quæ ſupra dixerat Deum operari: tum ex hoc quòd eum pro ſuæ voluntatis arbitrio operari confitetur; manifeſtum eſt igitur Spiritum Sanctum Deum eſſe. *Lib. 4. contra Gentiles cap. 17.*

LEVITICI Cap. 20. v. 9.

Qui maledixerit patri aut matri morte moriatur.

QVoſdam proximorum debemus magis diligere quàm alios: nam tantò vnuſquiſque magis debet diligi, quantò grauiùs peccat qui contra eius dilectionem operatur: ſed grauius peccat qui agit contra dilectionem patris & matris, nam propter hoc peccatum debet mori, vt patet in textu; quod non præcipitur de his qui alios homines maledicunt. 22. *quæſt.* 16. *art.* 6.

Qui maled. patri. Maledicere eſt peccatum mortale, quia excludit à regno Dei, ſecundùm illud *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt*. 22. 1. Cor. 6.v.10.
q. 76. *art.* 3.

LEVITICI Cap. 20. v. 16.

Mulier quæ ſuccubuerit iumento, ſimul interficiatur cum eo.

LIcet pœna non debeatur niſi culpæ, & bruta animalia non poſſint habere culpam; tamen occidebantur in deteſtationem peccati, & ne ex eorum aſpectu aliquis horror hominibus incuteretur. 12. q. 105. *art.* 2. *ad vndecimum.*

Digitized by Google

LEVITICI Cap. 20. v. 18.

Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, interficientur ambo.

HOc intelligendum eſt quando vterque voluntariè conſentit, non autem ſi mulier inuoluntaria & quaſi coacta debitum reddat. *Lib. 4. ſent. diſt. 32. q. 1. art. 2. ad primum.*

LEVITICI Cap. XXI. v. 1.

Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium ſuorum.

ARguitur, pietas maximè in Sacerdotibus requiritur: ſed ad pietatem pertinere videtur quòd aliquis funeribus amicorum interſit; vnde etiam de hoc Tobias laudatur. Similiter etiam quandoque ad pietatem pertinet quòd aliquis in vxorem accipiat meretricem; quia per hoc eam à peccato & infamia liberat, ergo videtur quòd hæc inconuenienter prohibeantur Sacerdotibus. *Leu. 21. v. 7.*

Ad argum. R. quòd malefici & Sacerdotes idolorum vtebantur in ſuis ritibus, oſſibus vel carnibus hominum mortuorum; & ideo ad extirpandum idololatriæ cultum præcipit Dominus, vt Sacerdotes minores, qui per tempora certa miniſtrabant in ſanctuario, non inquinarentur in mortibus, niſi valde propinquorum, ſcilicet patris, matris, & huiuſmodi coniunctarum perſonarum.

Pontifex autem ſemper debebat eſſe paratus ad miniſterium ſanctuarii; & ideo totaliter prohibitus erat ei acceſſus ad mortuos quantumcunque propinquos. Præceptum etiam eſt eis ne ducerent vxorem meretricem ac repudiatam, ſed virginem; tum propter reuerentiam Sacerdotum, quorum dignitas quodammodo ex tali coniugio diminui videretur. Tum etiam propter filios quibus eſſet ad ignominiam turpitudo matris, quod maximè tunc erat vitandum quando Sacerdotii dignitas ſecundùm ſucceſſionem generis conferebatur.

Spiritualis autem ratio horum eſt quia Sacerdotes omnino debent eſſe immunes ab operibus mortuis, quæ ſunt opera peccati. 12. q. 102. *art. 6. ad vndecimum.*

LEVITICI Cap. 21. v. 5.

Non radent caput nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.

PRæceptum erat Sacerdotibus vt non raderent caput neo barbam, nec in carnibus ſuis facerent inciſuram, ad remouendum idololatriæ ritum; nam Sacerdotes gentilium radebant caput & barbam. Vnde dicitur, *Sacerdotes ſedent habentes tunicas ſciſſas, & capita & barbam raſam.* Et etiam in cultu idolorum *inciderant ſe cultris & lanceolis.* Vnde contraria præcepta ſunt ſacerdotibus veteris legis. *Baruch 6. v. 30.* *3. Reg. 18. v. 28.*

Spiritualis autem horum ratio eſt quia Sacerdotes non debent radere caput, id eſt, deponere ſapientiam; neque deponere barbam, id eſt, ſapientiæ perfectionem; neque etiam ſcindere veſtimenta, aut incidere carnes; vt ſcilicet vitium ſchiſmatis non incurrant. 12. q. 102. *art. 6. ad vndecimum.*

Digitized by Google

LEVITICI Cap. 21. v. 7.

Scortum & vile proſtibulum non ducent vxorem Sacerdotes.

EXplicatur ſupra *Leuit.* 21. v. 1.

LEVITICI Cap. 21. v. 17.

Homo de ſemine Aaron qui habuerit maculam, non offeret panes coram Domino, nec accedet ad miniſterium eius.

VIdetur quòd in ſuſcipientibus ordines non requiratur bonitas vitæ; quia per ordinem aliquis ordinatur ad diſpenſationem Sacramentorum; ſed Sacramenta poſſunt diſpenſari à bonis & malis; ergo non requiritur bona vita.

Sed contrarium patet in textu, nam per maculam omne vitium intelligitur. Dicendùm quod cum in quolibet ordine aliquis conſtituatur dux aliis in rebus diuinis, quaſi præſumptuoſus mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis ad ordines accedit; & ideo Sanctitas vitæ requiritur ad ordinem de neceſſitate præcepti, ſed non de neceſſitate Sacramenti: Vnde ſi malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato. Et ſic patet ſolutio ad argumentum. *Lib. 4. ſent. diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *& ſupplem. q.* 36. *art.* 1.

Homo de ſemine Aaron. Arguitur, ſi deſit aliquid horum quæ debitum eſt eſſe in Sacramentis, non perficitur Sacramentum, ſicut ſi deſit debita forma, vel debita materia: ſed debitus miniſter Sacramenti eſt ille qui caret maculâ peccati vt patet in textu; ergo videtur quòd ſi miniſter ſit malus nihil efficiatur in Sacramento.

R. quòd aliquid eſt debitum eſſe in Sacramento dupliciter. Vno modo ſicut exiſtens de neceſſitate Sacramenti, quod quidem ſi deſit, non perficitur Sacramentum; ſicut ſi deſit debita forma, vel debita materia. Alio modo eſt aliquid debitum eſſe in Sacramento ſecundùm quandam decentiam: & hoc modo debitum eſt vt miniſtri Sacramentorum ſint boni. 3. *p. q.* 64. *art.* 5. *ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra. *Leu.* 21. *v.* 17.

LEVITICI Cap. XXII. v. 27.

Bos, ouis, & capra cùm genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ; die autem octauo & deinceps offerri poterunt Domino.

OCtauus dies determinabatur Circuncisioni, tum propter myſterium; quia in octaua ætate (quæ erit ætas reſurgentiùm) quaſi in octauo die perficietur per Chriſtum ſpiritualis circuncisio, quando auferet ab electis non ſolùm culpam, ſed etiam omnem pœnalitatem. Tum etiam propter teneritudinem infantis ante octauum diem. Vnde etiam de aliis animalibus præcipitur vt non offerantur Domino ante octauum diem vt patet in textu.

Erat autem octauus dies de neceſſitate præcepti, ita ſcilicet quòd octauum diem prætermittentes, peccabant; etiam ſi eſſet Sabbatum; Secundùm illud, *Circuncisionem accipit homo in ſabbato, vt non ſolua-* *Ioan.* 7. *v.* 23.

tur lex Moyſi. Non tamen erat de neceſſitate Sacramenti; quia ſi aliqui omittebant octauum diem, poſtea poterant circuncidi. 3. *p. q.* 70. *art.* 3. *ad tertium.*

LEVITICI Cap. XXIII. v. 7.

Omne opus ſeruile non facietis in eo.

Explicatur ſupra, *Exodi* 20. v. 8.

LEVITICI. Cap. 23. v. 32.

A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra.

Videtur quòd hora nona non conuenienter taxetur ad comedendum his qui ieiunant; ſtatus enim noui Teſtamenti eſt perfectior quàm ſtatus veteris Teſtamenti: ſed in veteri Teſtamento ieiunabant vſque ad veſperam vt patet in textu; ergo multò magis in nouo Teſtamento ieiunium debet induci vſque ad veſperam.

2. Ieiunium ab Eccleſia inſtitutum omnibus imponitur: ſed non omnes poſſunt determinatè cognoſcere horam nonam; ergo videtur quòd taxatio horæ nonæ non debeat cadere ſub ſtatuto ieiunii.

3. Ieiunium eſt actus virtutis abſtinentiæ: ſed virtus moralis non eodem modo accipit medium quoad omnes; quia quod eſt multùm vni, eſt parum alteri; ergo non debet ieiunantibus taxari hora nona.

Dicendum quòd ieiunium ordinantur ad deletionem & cohibitionem culpæ: vnde oportet quòd aliquid addat ſupra communem conſuetudinem, ita tamen quòd per hoc non multùm natura grauetur. Eſt autem debita & communis conſuetudo comedendi hominibus circa horam ſextam; tum quia iam videtur eſſe completa digeſtio, nocturno tempore naturali calore interiùs reuocato propter frigus noctis circumſtans, & diffuſio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei vſque ad ſummum ſolis aſcenſum. Ieiunij hora nona.

Tum etiam quia tunc præcipuè natura corporis humani indiget iuuari contra exteriorem aëris calorem, ne humores interiùs adurantur. Et ideo vt ieiunans aliquam afflictionem ſentiat pro culpæ ſatiſfactione, conueniens hora comedendi taxatur ieiunantibus circa horam nonam. Conuenit etiam iſta hora myſterio paſſionis Chriſti, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit ſpiritum: ieiunantes enim dum ſuam carnem affligunt, Paſſioni Chriſti conformantur ſecundùm illud, *Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Gal. 5. v. 24.

Ad 1. R. quòd ſtatus veteris Teſtamenti comparatur nocti, ſtatus verò noui Teſtamenti, diei, ſecundùm illud *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Et ideo in veteri Teſtamento ieiunabant vſque ad noctem; non autem in nouo Teſtamento. Rom. 13 v. 12.

Ad 2. R. quòd ad ieiunium requiritur hora determinata, non ſecundùm ſubtilem examinationem; ſed ſecundùm groſſam æſtimationem: ſufficit enim quòd ſit circa horam nonam. Et hoc de facili quilibet cognoſcere poteſt.

Ad 3. R. quòd modicum augmentum

tum, vel etiam modicus defectus non multùm poteſt nocere. Non eſt autem magnum temporis ſpatium quod eſt ab hora ſexta, in qua cõmuniter homines comedere conſueuerunt vſque ad horam nonam quæ ieiunantibus determinatur. Et ideo talis taxatio temporis non multùm poteſt alicui nocere, cuiuſcunque conditionis exiſtat. Vnde ſi fortè propter infirmitatem vel ætatem, aut aliquid huiuſmodi, hoc eis in magnum grauamen cederet; eſſet cum eis in ieiunio diſpenſandum; vel vt aliquantulum præuenirent horam. 22. q. 147. art 7.

Levitici Cap. XXIV. v. 2.

Præcipe filijs Iſraël vt afferant tibi oleum de oliuis puriſſimis.

Dicunt quidam quòd præcepta cæremonialia dicuntur illa quæ pertinent ad ſolemnitates, quaſi dicerentur à cæreis quæ in ſolemnitatibus accenduntur. Sed illa expoſitio nominis non videtur eſſe multùm conueniens; præſertim cùm non multùm inueniatur in lege quòd in ſolemnitatibus cærei accenderentur; ſed in candelabro lucernæ cum oleo oliuarum præparabantur, vt patet in textu. 12. q. 101. art. 1. ad ſecundum.

Levitici. Cap. 24. v. 12.

Miſerunt eum in carcerem.

Videtur quòd non liceat aliquem hominem incarcerare; actus enim eſt malus ex genere qui cadit ſupra indebitam materiam: ſed homo habens naturalem arbitrii libertatem, eſt indebita materia incarcerationis, quæ libertati repugnat; ergo illicitum eſt aliquem incarcerare.

2. Humana iuſtitia regulari debet ex diuina: ſed dicitur; *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui*; ergo videtur quòd non eſt aliquis coërcendus vinculis vel carcere. *Eccl. 15. v. 14.*

3. Nullus eſt coërcendus niſi ab opere malo, à quo quilibet poteſt alium licitè impedire; ſi ergo incarcerare aliquem eſſet licitum, ad hoc quòd cohiberetur à malo, cuilibet eſſet licitum aliquem incarcerare; quod patet eſſe falſum, ergo & primum.

Sed contra eſt quòd legitur quendam miſſum fuiſſe in carcerem propter peccatum blaſphemiæ, vt patet in textu.

Dicendum quòd in bonis corporis tria per ordinem conſiderantur: *Primò* quidem integritas corporalis ſubſtantiæ, cui detrimentum affertur per occiſionem vel mutilationem. *Secundò* delectatio vel quies ſenſus, cui opponitur verberatio vel quodlibet ſenſum dolore afficiens. *Tertiò* motus & vſus membrorum qui impeditur per ligationem vel incarcerationem, ſeu quamcunque detentionem.

Et ideo incarcerare aliquem vel qualitercumque detinere, eſt illicitum; niſi fiat ſecundùm ordinem iuſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi.

Ad 1. R. quòd homo qui abutitur poteſtate ſibi datâ, meretur eam amittere: & ideo homini qui peccando abuſus eſt libero vſu ſuorum membrorum, conueniens eſt incarcerationis materia.

AAa

Ad 2. R. quòd Deus quandoque ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ, peccatores cohibet, ne poſſint peccata implere, ſecundùm illud *Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſsint implere manus eorum quod cœperant.* Quandoque verò eos permittit quod voluerint agere. Et ſimiliter ſecundùm humanam iuſtitiam, non pro qualibet culpa homines incarcerantur, ſed pro aliquibus.

Iob. 5. v. 12.

Ad 3. R. quòd detinere hominem ad horam, ab aliquo opere illicito ſtatim perpetrando cuilibet licet: ſicut cùm aliquis detinet aliquem ne ſe præcipitet, vel ne alium feriat Sed ſimpliciter aliquem includere vel ligare, ad eum ſolùm pertinet qui habet diſponere vniuerſaliter de actibus & vita alterius; quia per hoc impeditur non ſolùm à malis faciendis, ſed etiam à bonis agendis. 22. q. 65. art. 3.

Levitici Cap. 24. v. 18.

Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

POena mortis non infertur niſi pro peccato mortali; ergo blaſphemia eſt peccatum mortale. Item, peccatum mortale eſt per quod homo ſeparatur à primo principio ſpiritualis vitæ, quod eſt charitas Dei. Vnde quæcunque charitati repugnant, ex ſuo genere, ſunt peccata mortalia: Blaſphemia autem ſecundùm genus ſuum repugnat charitati diuinæ, quia derogat diuinæ bonitati, quæ eſt obiectum charitatis; & ideo eſt peccatum mortale ex ſuo genere.

Blaſphemia eſt peccatum mortale.

Nota quòd blaſphemia poteſt abſque deliberatione ex ſurreptione procedere dupliciter: vno modo quòd aliquis non aduertat hoc quod dicit eſſe blaſphemiam; quod poteſt contingere cùm aliquis ſubitò ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat; & tunc eſt peccatum veniale, & non habet propriè rationem blaſphemiæ.

Alio modo quando aduertit hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum; & tunc non excuſatur à peccato mortali: ſicut nec ille qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit iuxta ſe ſedentem. 22. q. 13. art. 2.

Levitici Cap. XXV. v. 13.

Anno Iubilei redient omnes ad poſſeſſiones ſuas.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 21. v. 1.*

Levitici Cap. 25. v. 23.

Terra non vendetur in perpetuum.

REgulatio poſſeſſionum multùm confert ad conſeruationem ciuitatis vel gentis; vnde apud quaſdam gentilium ciuitates ſtatutum fuit vt nullus poſſeſſionem vendere poſſet niſi pro manifeſto detrimento: ſi enim paſſim poſſeſſiones vendantur, poteſt contingere quod omnes poſſeſſiones ad paucos deueniant, & ita neceſſe erit ciuitatem vel regionem habitatoribus euacuari.

Et ideo lex vetus ad huiuſmodi periculum remouendum, ſic ordinauit quòd & neceſſitatibus hominum ſubueniretur, concedens poſ-

Digitized by Google

feſſionum venditionem vſque ad certum tempus; & tamen periculum remouit, præcipiens vt certo tempore poſſeſſio vendita ad vendentem rediret. Et hoc inſtituit vt ſortes non confunderentur, ſed ſemper remaneret eadem diſtinctio determinata in tribubus.

Quia verò domus vrbanæ non erant ſorte diſtinctæ; ideo conceſſit quòd in perpetuum vendi poſſent, ſicut & mobilia bona. Non enim erat ſtatutus numerus domorum ciuitatis, ſicut erat menſura poſſeſſionis, ad quam non addebatur. Poterat autem aliquid addi ad numerum domorum ciuitatis.

Domus verò quæ non erant in vrbe, ſed in villa, muros non habente; in perpetuum vendi non poterant; quia huiuſmodi domus non conſtruuntur niſi ad cultum & ad cuſtodiam poſſeſſionum. Et ideo lex congruè ſtatuit idem ius circa vtrumque. 12. *quaſt.* 105. *art.* 2. *ad tertium.*

LEVITICI Cap. 25. v. 39.

Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 21. *v.* 2.

LEVITICI Cap. XXVI. *v.* 10.

Vetera nouis ſuperuenientibus proijcietis.

IN his verbis innuit Dominus quadruplicem vetuſtatem. *Prima* vetuſtas eſt erroris, de qua, *Vetus error abijt.* Et hæc remota eſt per nouitatem doctrinæ Chriſti. *Secunda* vetuſtas eſt figuræ, de qua *Conſummabo ſuper domum Dauid & ſuper Iuda Teſtamentum nouum, non ſecundùm Teſtamentum quod feci patribus eorum.* Vbi oſtenditur primum Teſtamentum eſſe vetuſtum, & hoc renouari per nouitatem gratiæ, ſeu veritatis præſentiæ Chriſti. *Tertia* eſt vetuſtas culpæ, de qua, *Quoniam tacui* (non confitendo ſcilicet peccata mea) *inueterauerunt, &c.* Et hæc renouatur per nouitatem iuſtitiæ, *In nouitate vitæ ambulemus.* *Quarta* eſt vetuſtas pœnæ, *Vetuſtam fecit pellem meam.* Et hæc renouabitur per nouitatem gloriæ: de qua nouitate, *Ecce ego creo cælum nouum.* Et dixit qui ſedebat in throno, *Ecce noua facio omnia. In prologo Epiſt. ad Galatas.*

Eſaia 6. v. 3. *Hebr. 8. v. 8.* Quadruplex vetuſtas & nouitas. *Pſ. 31. v. 3.* *Rom. 6. v. 4.* *Thren. 3. v. 4.* *Eſaia vlt. v. 17* *Apo. 21. v. 5*

LEVITICI Cap. XXVII. *v.* 9.

Animal quod immolari poteſt Domino, ſi quis vouerit, ſanctum erit, & mutari non poterit, id eſt, nec melius malo, nec peius bono.

VIdetur quòd nullum votum poſſit commutari per verba textus, ſi ſit votum licitum. Dicendum quòd inter commutationem voti & diſpenſationem hoc intereſt quòd quando votum commutatur, vouens abſoluitur ab vno, & ligatur ad aliud: ſed quando in voto diſpenſatur, ſimpliciter à voto abſoluitur, ſine hoc quod ad aliud ligetur. Vnde minus importat voti commutatio quàm diſpenſatio: & ideo cùm ex cauſa rationabili in voto diſpenſari poſſit, poteſt etiam votum com-

Voti cõmutatio.

mutari; vel quia illud in quod fiet commutatio, eſt melius, vel quia eſt minùs periculoſum.

Ad argum. R. quòd animal immolatitium ex ipſo voto deſtinabatur ad cultum Dei; & ideo iam quodammodo ſanctum erat: & propter hoc non potetat ad communes vſus deduci. Et ſimiliter etiam nunc, ſi aliquis vouet religionem intrare, non poteſt alium ponere loco ſui in religionem. Similiter etiam ſi vouet ire in terram Sanctam, non poteſt alium loco ſui mittere, niſi per diſpenſationem ſuperioris. Secus autem eſt in aliis votis in quibus perſona determinata non deſtinatur ad ſpecialem cultum Dei. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 3. *P.* 22. *q.* 88. *art.* 10.

LEVITICI Cap. 27. *v.* 28.

Quicquid fuerit ſemel conſecratum, ſanctum Sanctorum erit Domino.

Videtur quòd in voto ſolemni continentiæ poſſit fieri diſpenſatio; Vna enim ratio diſpenſandi in voto, eſt ſi ſit impeditiuum melioris boni: ſed votum continentiæ, etiamſi ſi ſit ſolemne, poteſt eſſe impeditiuum melioris boni. Nam bonum commune eſt diuinius quàm bonum vnius: poteſt autem per continentiam alicuius impediri bonum totius multitudinis; puta ſi quando per contractum matrimonii aliquarum perſonarum quæ continentiam vouerunt, poſſet pax patriæ procurari; ergo videtur quòd etiam in ſolemni voto continentiæ poſſit diſpenſari.

2. Latria eſt nobilior virtus quàm caſtitas: ſed ſi quis vouerit aliquem actum latriæ, puta offerre Deo ſacrificium, poteſt in illo voto diſpenſari; ergo multò magis poteſt diſpenſari in voto continentiæ, quod eſt de actu caſtitatis.

3. Sicut votum abſtinentiæ obſeruatum poteſt vergere in periculum perſonæ, ita etiam obſeruatio voti continentiæ: ſed votum abſtinentiæ, ſi vergat in corporale periculum vouentis, poteſt fieri diſpenſatio; ergo etiam pari ratione in voto continentiæ poteſt diſpenſari.

4. Sicut ſub profeſſione religionis ex qua votum ſolemnizatur, continetur votum continentiæ, ita etiam votum paupertatis & obedientiæ: ſed in voto paupertatis & obedientiæ poteſt diſpenſari; ſicut patet in illis qui poſt profeſſionem ad Epiſcopatum aſſumuntur; ergo videtur quòd in ſolemni voto continentiæ poſſit diſpenſari.

Dicendũ quòd in voto ſolemni cõtinentiæ non poteſt fieri diſpẽſatio, quia quod ſemel ſanctificatũ eſt Domino, non poteſt in alios vſus commutari, vt patet in textu. Non autem poteſt facere aliquis Eccleſiæ prælatus vt id quod eſt ſanctificatum, ſanctificationẽ amittat, etiam in rebus inanimatis, putà quòd calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer. Vnde multò minùs poteſt hoc facere aliquis prælatus, vt homo Deo conſecratus quandiu viuit, conſecratus eſſe deſiſtat. Solemnitas autem voti conſiſtit in quadam conſecratione ſeu benedictione vouentis; & attenditur ſecundùm aliquid ſpirituale quod ad Deum pertineat, id eſt, ſecundùm aliquam ſpiritualem benedictionem vel conſecrationem, quæ ex inſtitutione Apoſtolorum adhibetur in profeſſione certæ regulæ, ſecundo

gradu poſt ſacri ordinis ſuſceptionem vt dicit Dionyſ.

Et huius ratio eſt, quia ſolemnitates non conſueuerunt adhiberi, niſi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Non enim ſolemnitas nuptialis adhibetur niſi in celebratione matrimonii, quando vterque coniugum ſui corporis poteſtatem alteri tradit. Et ſimiliter voti ſolemnitas adhibetur quando aliquis per ſuſceptionem ſacri ordinis diuino myſterio applicatur; & in profeſſione certæ regulæ quando per abrenunciationem ſeculi & propriæ voluntatis, aliquis ſtatum perfectionis aſſumit.

Et ideo non poteſt fieri per aliquem prælatum Eccleſiæ, quòd ille qui votum ſolemne emiſit, deſiſtat ab eo ad quod eſt conſecratus: putà quòd ille qui eſt Sacerdos, non ſit Sacerdos; licet poſſit prælatus ob aliquam cauſam executionem ordinis inhibere. Et ſimili ratione Papa non poteſt facere quòd ille qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus; licet quidam Iuriſtæ ignoranter contrarium dicant.

Eſt ergo conſiderandum vtrum continentia ſit eſſentialiter annexa ei ad quod votum ſolemnizatur. Non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ ordini ſacro; ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Vnde videtur quòd per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri ordinis.

Eſt autem debitum continentiæ eſſentiale ſtatui religionis, per quem homo abrenuntiat ſæculo, totaliter Dei ſeruitio mancipatus. Quod non poteſt ſimul ſtare cum matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & rerum quæ ad hoc requiruntur. Vnde nomen monachi ab vnitate ſumitur per oppoſitum ad diuiſionem prædictam. Et ideo in voto ſolemniſato per profeſſionem religionis, non poteſt per Eccleſiam diſpenſari; & rationem aſſignat decretalis, quia caſtitas eſt annexa regulæ monachali.

Ad 1. R. quòd periculis rerum humanarum eſt obuiandum per res humanas, non autem per hoc quòd res diuinæ conuertantur in vſum humanum. Profeſſi autem religionem mortui ſunt mundo, & viuunt Deo: Vnde non ſunt reuocandi ad vitam humanam occaſione cuiuſcumque euentus.

Ad 2. R. quòd in voto temporalis continentiæ diſpenſari poteſt, ſicut & in voto temporalis orationis, vel temporalis abſtinentiæ: ſed quòd in voto continentiæ per profeſſionem ſolemnizato non poſſit diſpenſari, hoc non eſt inquantum eſt actus caſtitatis, ſed inquantum incipit ad latriam pertinere per profeſſionem religionis.

Ad 3. R. quòd cibus directè ordinatur ad conſeruationem perſonæ; & ideo abſtinentia cibi directè poteſt vergere in periculum perſonæ: Vnde ex hac ratione recipit votum abſtinentiæ diſpenſationem. Sed coitus non ordinatur directè ad conſeruationem perſonæ, ſed ad conſeruationem ſpeciei: vnde nec directè abſtinentia coitus per continentiam, vergit in periculum perſonæ. Sed ſi per accidens ex ea aliquod periculum

perſonale accidat, poteſt aliter ſubueniri, ſcilicet per abſtinentiam, vel alia corporalia remedia.

Ad 4. R. quòd religioſus qui fit Epiſcopus, ſicut non abſoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis; quia nihil debet habere tanquam proprium, ſed ſicut diſpenſator communium bonorum Eccleſiæ. Similiter etiam non abſoluitur à voto obedientiæ; ſed per accidens obedire non tenetur, ſi ſuperiorem non habet; ſicut nec Albas monaſterii, qui tamen non eſt à voto obedientiæ abſolutus. 22. *q.* 88. *art.* 7. & 11.

LEVITICI. Cap. 27. *v.* 30.

Omnes decimæ Domini ſunt.

Explicatur ſupra *Gen. cap.* 14. *v.* 20. & *Gen.* 28. *v.* 22.

Libri Leuitici Finis.

LIBER NVMERORVM

CAPVT IV. *v.* 12.

Omnia vaſa, quibus miniſtratur in Sanctuario, inuoluent.

VIDETVR quòd Chriſtus non omnia publicè docere debuerit, legitur enim multa ſeorſum diſcipulis dixiſſe, ſicut patet in ſermone cœnæ. Vnde & dixit, *Quod in aure audiſtis in cubilibus, prædicabitur in tectis*; non ergo omnia publicè docuit. *Matth. 10. v. 17*

2. Profunda ſapientiæ non ſunt niſi perfectis exponenda, ſecundùm illud, *Sapientiam loquimur inter perfectos*: ſed doctrina Chriſti continebat profundiſſimam ſapientiam; non ergo erat imperfectæ multitudini communicanda. *1. Cor. 2. v. 6.*

3. Idem eſt veritatem aliquam occultare ſilentio, & obſcuritate verborum: ſed Chriſtus veritatem quam prædicabat, occultabat turbis obſcuritate verborum; quia *ſine parabolis non loquebatur ad eos*, vt dicitur; ergo pari ratione poterat occultare ſilentio. *Matth. 13. v. 3.*

Sed contra eſt quod ipſe dicit, *In occulto locutus ſum nihil*. Dicendum quòd doctrina alicuius poteſt eſſe in occulto dupliciter: vno modo quantùm ad intentionem docentis, qui intendit ſuam doctrinam non manifeſtare multis, ſed magis occultare. Quod quidem contingit dupliciter, quandoque ex inuidia docentis, qui vult per ſuam ſcientiam excellere; & ideo ſcientiam ſuam non vult aliis communicare. Quod in Chriſto locum non habuit, ex cuius perſona dicitur, *Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* *Ioan. 18. v. 20.* *Sap. 7. v. 13.*

Quandoque verò hoc contingit propter inhoneſtatem eorum quæ docentur; nam quædam ſunt mala quæ portare non poteſt qualiſcunque pudor humanus. Vnde de doctrina hæreticorum dicitur, *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt*. Doctrina autem Chriſti non eſt neque de errore, neque de immunditia; & ideo Dominus dicit, *Nunquid venit lucerna*, id eſt, vera & honeſta doctrina, vt ſub modio ponatur. *Mar. 4. v. 21.*

Alio modo aliqua doctrina eſt in occulto quia paucis proponitur: Et ſic Chriſtus etiam nihil docuit in occulto; quia Chriſtus omnem doctrinam ſuam, vel turbæ toti propoſuit, vel omnibus ſuis diſcipulis in communi. Vnde Aug. di- *Chriſti doctrina non fuit occulta.*

cit, quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur, præſertim ſi hoc loquitur paucis, quod per eos vult innoteſcere multis?

Tertio modo aliqua doctrina eſt in occulto, quantùm ad modum docendi: & ſic Chriſtus quædam turbis loquebatur in occulto, parabolis vtens ad annuntianda ſpiritualia myſteria, ad quæ capienda non erant idonei vel digni: & tamen melius erat eis vel ſic ſub tegumento parabolarum, ſpiritualium doctrinam audire, quàm omnino eâ priuari.

Harum tamen parabolarum apertam & nudam veritatem Dominus diſcipulis exponebat, per quos deueniret ad alios qui eſſent idonei, ſecundùm illud, *Quæ audiſti à me*
2. Tim. 2. v. 2. *per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Et hoc ſignatum eſt in textu, vbi mandatur quòd filii Aaron inuoluerent vaſa ſanctuarii, quæ Leuitæ inuoluta portarent.

Ad 1. R. quòd non legimus Dominum ſolitum fuiſſe noctibus ſermocinari, & doctrinâ tradidiſſe in tenebris: ſed hoc dicit, quia omnis ſermo eius carnalibus tenebræ ſunt, & verbum eius infidelibus nox eſt. Vel comparatiuè loquitur, quia videlicet erudiebat eos in paruo Iudææ loco reſpectu totius mundi, in quo erat per Apoſtolorum prædicationem doctrina Chriſti publicanda.

Ad 2. R. quòd Dominus non omnia profunda ſuæ ſapientiæ ſuâ doctrinâ manifeſtauit non ſolùm turbis, ſed nec etiam diſcipulis, quibus dixit *Adhuc multa habeo vobis*
Ioan 16. v. 12. *dicere, quæ non poteſtis portare modò.* Sed tamen quodcunque dignum duxit aliis tradere de ſua ſapientia, non in occulto, ſed palam propoſuit, licet non ab omnibus intelligeretur.

Ad 3. R. quòd turbis Dominus in parabolis loquebatur; quia non erant digni nec idonei nudam veritatem accipere, quam diſcipulis exponebat. Quod autem dicitur quòd ſine parabolis non loquebatur eis, hoc dicitur non quia nihil propriè locutus eſt: ſed quia nullum ferè ſermonem explicauit, vbi non per parabolam aliquid ſignificauerit, quamuis in eo aliqua propriè dixerit. 3. *p. q.* 42. *art.* 3.

NVMERORVM Cap. V. v. 15.

Non imponet thus, quia ſacrificium zelotypiæ eſt.

Thus offerebatur Deo, ad deſignandam deuotionem mentis, quæ eſt neceſſaria offerentibus; & etiam ad deſignandum odorem bonæ famæ. Nam thus & pingue eſt, & odoriferum. Et quia ſacrificium Zelotypiæ non procedebat ex deuotione, ſed magis ex ſuſpicione, ideo in eo non offerebatur thus. 12. *q.* 102. *art.* 3. ad 14.

NVMERVM. Cap. 5. v. 21.

Putreſcere faciat femur tuum.

Videtur quòd ea quæ præter rationes ſeminales fiunt, non omnia miracula ſint; in opus enim creationis virtus ſeminalis naturæ non poteſt: nec tamen opus creationis miraculoſum dicitur; quia miracula ſunt ad manifeſtationem gratiæ,

gratiæ, ad quod creatio non eſt ordinata, ſed magis ad inſtitutionem naturæ; ergo videtur quòd non ſit ratio miraculi in hoc, quòd præter cauſas ſeminales aliquid fiat.

Miraculi deſcriptio.

2. Creatio animarum & iuſtificatio impiorum, cùm frequenter fiat, miraculoſa non eſt; quia miraculum eſt aliquod arduum & inſolitum, vt Aug. dicit: & tamen iſti effectus præter rationes ſeminales producuntur; ergo idem quod priùs.

3. Reſurrectio mortuorum cùm in ſpe fidelium ſit, miraculoſa non eſt; quia miraculum eſt præter ſpem admirantis apparens vt Aug. dicit: & tamen reſurrectio mortuorum per naturam fieri non poteſt; ergo non omnia quæ propter virtutem naturæ fiunt, miracula dicuntur.

4. Quædam quandoque fiunt præter rationes ſeminales, quæ facultatem naturæ non excedunt; ſicut quòd aqua conuertatur in vinum, vt factum legitur: ſed miraculum eſt ſupra facultatem naturæ apparens, vt Aug. dicit; ergo videtur quòd non omnia quæ præter rationes ſeminales fiunt, miracula ſint.

Ioan. 2. *v.* 9.

Admiratio ex duobus cauſatur.

Dicendum quòd admiratio ex duobus cauſatur, ſcilicet ex hoc quòd alicuius effectus cauſa occulta eſt; & ex eo quòd aliquid in re videtur, per quod aliter eſſe deberet. Contingit ergo aliquid eſſe admirabile ſimpliciter, & aliquid admirabile quo ad hunc. Admirabile huic eſt eſſe id, cuius cauſa occulta eſt ſibi, & cui videtur ſecundùm ſuam æſtimationem aliquid obuiare, quare non ita eſſe deberet; quamuis in re nihil ſit repugnans, nec cauſa in ſe ſit nimis occulta; & hoc poteſt dici mirum illi. Admirabile autem in ſe id eſt, cuius cauſa ſimpliciter occulta eſt, ita etiam quòd in re eſt aliqua virtus ſecundùm rei veritatem, per quam aliter debeat contingere. Huiuſmodi autem ſunt quæ immediatè à virtute diuina cauſantur, quæ eſt cauſa occultiſſima, alio modo quàm ſe habeat ordo cauſarum naturalium: ſicut quòd cæcus iterum videat, & quòd mortuus reſurgat, & huiuſmodi. Et hæc propriè miracula dicuntur quaſi in ſeipſis & ſimpliciter mira.

Hæc autem quandoque ſunt ſupra naturam, quandoque præter naturam, quandoque contra naturam. Supra naturam dicitur eſſe miraculum, quando natura non poteſt in ipſam ſubſtantiam facti; ſicut diuiſio maris rubri, ſuſcitatio mortui & huiuſmodi. Illa verò dicuntur præter naturam fieri, in quo quidem natura poteſt quantùm ad ſubſtantiam facti, ſed tamen præter operationem naturæ fiunt iuſſu diuino. Et quòd hæc dicantur miracula contingit ex tribus; *primò* propter exceſſum & ſingularem quendam modum, ſicut ranæ productæ in Ægypto in tanta multitudine ſicut antea viſum non fuerat. *Secundò* propter hoc quòd horâ determinatâ contingunt ad inuocationem diuini nominis; ſicut quòd manus Ieroboam extenſa contra Prophetam arefacta fuit, & ara eius diuiſa. *Tertiò* quando aliquid vniuerſaliter contingit, ſicut in veteri lege de aqua Zelotypiæ, quòd poſt potum illius venter adulteræ diuino miraculo putreſcebat, vt patet in textu.

Miraculi cõditiones.

3 *Reg.* 13. *v.* 4.

Contra naturam autem dicitur fieri, quando in re eſt aliquid con-

Digitized by Google

trarium ei quod fit: ſicut ſi graue ſurſum moueretur, & quòd virgo peperit, vel aliquid huiuſmodi; ita quòd miraculosè ſequatur actus manente contrariâ naturâ, quæ ſcilicet eſt principium contrarii actus.

Ad 1. R. quòd creatio propriè loquendo non eſt opus miraculoſum, quia deficit vna conditio miraculi; quamuis enim cauſam occultam habeat, tamen non eſt in re; vnde aliter eſſe deberet, imò eſſe rerum naturali quodam ordine à primo ente producitur; quamuis non per neceſſitatem naturæ.

Ad 2. R. quòd nec etiam creatio animarum, vel iuſtificatio impiorum propriè miracula debent dici; quia quamuis ſint præter rationes ſeminales, agentes ad perfectionem effectus; non tamen eſt præter eas diſpoſitiones; diſpoſitio enim corporis ad receptionem animæ, & præparatio voluntatis ad ſuſceptionem gratiæ, eſt per virtutem creaturæ collatam.

Si tamen ſine tali præcedente præparatione, vel anima infunderetur, vel gratia conferretur, & vtrumque miraculum dici poſſet, vt patet in formatione primi hominis, in conuerſione Pauli. Nec tamen ſequitur ex vi rationis inductæ; quia inſolitum quod in deffinitione mi[illegible] ponitur, non dicit rarit[illegible] ſed excludit ſolitum cur[illegible]æ. Vnde ſi quotidie cæc[illegible]minarentur, nihilominus miraculum eſſet; quia præter curſum nat[illegible], qui nobis eſt conſuetus, contingeret.

Ad 3. R. quòd reſurrectio miraculoſa erit; quamuis enim ſit ſecundùm ſpem gratiæ, eſt tamen ſupra ſpem naturæ.

Ad 4. R. quòd quamuis conuerſio aquæ in vinum non fuerit ſupra facultatem naturæ quantùm ad ſubſtantiam facti; tamen fuit ſupra eius facultatem quantùm ad modum faciendi; non enim poteſt natura aquam in vaſe exiſtentem, ſubitò in vinum conuertere, ſed per digeſtionem & maturationem vuæ. *Lib.* 2. *ſent. diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3.

Putreſcere faciat femur tuum. Miraculosè mulieris adulteræ computreſcebat femur bibitis aquis, in quibus ſacerdos maledicta congeſſerat. 12. *q.* 103 *art.* 2. *ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi* 21. *v.* 2.

NVMERORVM Cap. VI. v. 2.

Vir ſiue mulier cùm fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino Conſecrare, à vino abſtinebunt.

Videtur quòd non requiratur ad perfectionem religionis quòd paupertas, continentia, & obedientia cadant ſub voto; diſciplina enim perfectionis aſſumendæ ex traditione Domini eſt accepta: ſed Dominus dans formam perfectionis dicit, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, nullâ mentione factâ de voto; ergo videtur quòd votum non requiratur ad diſciplinam religionis. *Matth.* 19. *v.* 21.

2. Votum conſiſtit in quadam promiſſione Deo facta, vnde cùm dixiſſet ſapiens, *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere*; ſtatim ſubdit, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta *Eccle.* 5. *v.* 3.

Digitized by Google

promiſſio: ſed vbi eſt exhibitio rei, non requiritur promiſſio; ergo ſufficit ad perfectionem religionis quòd aliquis ſeruet paupertatem, continentiam, & obedientiam abſque voto.

Votum requiritur ad perfectioné religionis.

Sed contra eſt quòd in veteri lege Nazaræi cum voto ſanctificabantur, vt patet in textu. Per eos autem ſignificantur illi qui ad perfectionis ſummam pertingunt; ergo votum requiritur ad ſtatum perfectionis.

Dicendum quòd ad religioſos pertinet quòd ſint in ſtatu perfectionis: nam ad ſtatum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea quæ ſunt perfectionis cum aliqua ſolemnitate. Vtrumque autem horum competit religioſis; religioſi enim ſe voto aſtringunt ad hoc quòd à rebus ſecularibus ſe abſtineant, quibus licitè vti poterant, ad hoc quòd liberiùs Deo vacent, in quo conſentit perfectio præſentis vitæ.

Horum autem obligatio fit cum quadam ſolemnitate profeſſionis: ſed ad perfectionem Chriſtianæ vitæ pertinet paupertas, continentia & obedientia: nam per primum aliquis affectum ſuum abſtrahit à rebus mundanis: per ſecundum autem retrahitur ab his per quæ homo impeditur ne feratur totaliter in Dei ſeruitium, quod eſt carnalis copula. Per tertium verò inſtruitur & exercitatur homo vt perueniat ad finem perfectionis quaſi diſcipulus ſub magiſtro. Et ideo religionis ſtatus requirit vt ad hæc tria aliquis voto obligetur.

Ad 1. R. quòd ad perfectionem vitæ Dominus pertinere dixit quòd aliquis eum ſequatur, non qualitercumque, ſed vt vlteriùs retrò non abiret. Vnde & ipſe dicit *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Hæc autem immobilitas ſequelæ Chriſti firmatur per votum Et ideo votum requiritur ad perfectionem religionis. *Luca 9. v. 62.*

Ad 2. R. quòd perfectio religionis requirit vt aliquis omne quod vouit Deo, exhibeat. Sed homo non poteſt totam vitam ſuam Deo actu exhibere; quia non eſt tota ſimul, ſed ſucceſſiuè agitur. Vnde non aliter homo poteſt totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem. 22. *q.* 186. *art.* 6.

NVMERORVM Cap. 6. v. 23.

Sic benedicetis filijs Iſrael, &c.

Videtur quòd in ſignificatione ſacramentorum non requirantur verba, dicit enim Aug. quid ſunt aliud quæque corporalia Sacramenta, niſi quaſi quædam verba viſibilia? & ſic videtur quòd addere verba rebus ſenſibilibus in Sacramentis, ſit addere verba verbis: ſed hoc eſt ſuperfluum; non ergo requiruntur verba cum rebus ſenſibilibus in Sacramentis.

2. Sacramentum eſt aliquid vnum: ex his autem quæ ſunt diuerſorum generum non videtur poſſe aliquid vnum fieri; cùm igitur res ſenſibiles & verba ſint diuerſorum generum (quia res ſenſibiles ſunt à natura, verba autem à ratione) videtur quòd in Sacramentis non requirantur verba cum rebus ſenſibilibus.

3. Sacramenta nouæ legis ſucceſſerunt Sacramentis veteris legis, quia illis ablatis iſta ſunt inſtituta:

NVMERORVM Cap. 6. v. 27.

Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.

VIdetur quòd votum non ſolemnizetur per ſuſceptionem ſacri ordinis, & per profeſſionem ad certam regulam; votum enim eſt promiſſio Deo facta: ea verò quæ exteriùs aguntur ad ſolemnitatem pertinentia, non videntur ordinari ad Deum, ſed ad homines; ergo per accidens ſe habet ad votum; non ergo ſolemnitas eſt propria conditio voti.

Votum ſolemne & ſimplex.

R. quòd huiuſmodi ſolemnitas pertinet non ſolùm ad homines, ſed ad Deum, inquantum habet aliquam ſpiritualem conſecrationem ſeu benedictionem; cuius Deus eſt auctor, etſi homo ſit miniſter, vt patet in textu. Et ideo votum ſolemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum ſimplex, & grauiùs peccat qui illud tranſgreditur. Quod autem dicitur quòd votum ſimplex non minùs obligat apud Deum, quàm ſolemne; intelligendum eſt quantùm ad hoc quòd vtriuſque tranſgreſſor peccat mortaliter. 22. *quæſt.* 88. *art.* 7. *ad primum.*

NVMERORVM Cap. VIII. v. 7.

Leuitæ aſpergantur aquâ luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ.

EXplicatur ſupra *Exod. cap.* 28. *verſ.* 4. *& cap.* 30. *verſ.* 18.

NVMERORVM Cap. 8. v. 1.

Leuitæ ponent manus ſuas ſuper capita boum.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 30. *v.* 18.

NVMERORVM Cap. XI. v. 16.

Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael quos tu noſti, quòd ſenes populi ſunt.

ARguitur, dicitur *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem*: ſed ſacerdotes & principes Iudæorum erant illius populi ſeniores; ergo videtur quòd non fuerint à Chriſto duris increpationibus arguendi. 1. *Tim.* 5. *v.* 1.

Ad argum. R. quòd illud verbum Apoſtoli eſt intelligendum de illis ſenioribus, qui non ſolùm ætate vel auctoritate, ſed etiam honeſtate ſunt ſenes, vt patet in textu. Si autem auctoritatem ſenectutis in inſtrumentum malitiæ vertant, publicè peccando; ſunt manifeſtè & acriter arguendi; ſicut & Daniel dixit, *Inueterate dierum malorum, &c.* Dan. 13. v. 52.
3. *p. q.* 42. *art.* 2. *ad tertium.*

Congrega mihi Septuaginta. Videtur quòd non debeant plures ordines diſtingui; quantò enim aliqua virtus eſt maior, tantò minùs eſt multiplicata: ſed Sacramentum Ordinis eſt dignius aliis Sacramentis, inquantum conſtituit ſuſcipientes in aliquo gradu ſuper alios; cùm ergo alia Sacramenta non diſtinguantur in plura, quæ recipiant prædicationem totius; nec hoc Sacramentum debet in plures ordines diſtingui.

Digitized by Google

2. Si diuiditur, aut eſt diuiſio totius in partes integrales, aut in partes ſubiectiuas: non autem in partes integrales, quia ſic non reciperent prædicationem totius; ergo eſt diuiſio in partes ſubiectiuas. Sed partes ſubiectiuæ recipiunt in plurali prædicationem generis remoti, ſicut generis proximi; ſicut homo & aſinus ſunt plura animalia, & plura corpora animata; ergo & ſacerdotium, & diaconatus, ſicut ſunt plures ordines, ita ſunt plura Sacramenta; cùm Sacramentum ſit quaſi genus ad ordines.

3. Regimen quo vnus tantùm principatur, eſt nobilius regimen communitatis, quàm Ariſtocratia qua diuerſi in diuerſis officiis conſtituuntur: ſed regimen eccleſiæ debet eſſe nobiliſſimum; ergo non deberet eſſe in eccleſia diſtinctio ordinum ad diuerſos actus; ſed tota poteſtas deberet apud vnum reſidere; & ſic deberet eſſe tantùm vnus ordo.

Sed contra, miniſterium noui Teſtamenti eſt dignius quàm veteris: ſed in veteri Teſtamento non ſolùm ſacerdotes, ſed etiam miniſtri eorum Leuitæ ſanctificabantur; ergo & in nouo Teſtamento debent conſecrari per Ordinis Sacramentum, non ſolùm ſacerdotes, ſed miniſtri eorum; & ita oportet quòd ſint plures ordines.

Dicendum quòd Ordinum multitudo eſt inducta in eccleſia propter tria: *Primò* quidem propter Dei ſapientiam commendandam, quæ in diſtinctione rerum ordinata maximè relucet, tam in naturalibus quàm in ſpiritualibus. *Secundò* ad ſubueniendum humanæ infirmitati; quia per vnum non poterant omnia, quæ ad diuina myſteria pertinebant, expleri, ſine magno grauamine: & ideo diſtinguuntur ordines diuerſi ad diuerſa officia: & hoc patet in textu. *Tertiò* vt via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diuerſis officiis diſtribuuntur, vt omnes ſint Dei cooperatores, quo nihil eſt diuinius.

Ad 1. R. quòd alia Sacramenta dantur ad effectus aliquos percipiendos: ſed hoc Sacramentum datur principaliter ad actus aliquos agendos. Et ideo ſecundùm diuerſitatem actuum, oportet quòd Ordinis Sacramentum diſtinguatur, ſicut potentiæ diſtinguuntur per actus.

Ad 2. R. quòd diuiſio Ordinis non eſt totius integralis in ſuas partes, neque totius vniuerſalis; ſed totius poteſtatiui, cuius hæc eſt natura, quòd totum ſecundùm completam rationem eſt in vno, in aliis autem eſt aliqua participatio ipſius. Et ita eſt hîc; tota enim plenitudo Sacramẽti huius eſt in vno Ordine, ſcilicet ſacerdotio; ſed in aliis eſt quædam participatio ordinis; & hoc ſignificatum eſt in hoc quòd Dominus dixit Moyſi, *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi*; & ideo omnes ordines ſunt vnum Sacramentum. *Num. 11. v. 17.*

Ad 3. R. quòd in regno quamuis tota poteſtatis plenitudo reſideat penes regem; non tamen excluduntur miniſtrorum poteſtates, quæ ſunt participationes quædam regiæ poteſtatis: & ſimiliter eſt in ordine. In Ariſtocratia autem apud nullum reſidet plenitudo poteſtatis, ſed apud omnes. *Supplem. q. 37. art. 1.*

Digitized by Google

Idem locus explicatur ſupra *Ex.* 18. *v.* 22.

NVMERORVM Cap. 11. *v.* 17.

Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis.

Videtur quòd gratia non ſit accidens, accidens enim non tranſit de ſubiecto in ſubiectum: ſed gratia de ſubiecto in ſubiectum 4. Reg. 2. v. 15. tranſit, vt patet in textu. Et *Spiritus Eliæ requieuit ſuper Eliſeum*; ergo.

R. quòd gratia eadem numero non tranſit de ſubiecto in ſubiectum: ſed talis modus loquendi intelligitur in ſcripturis propter ſimilitudinem gratiæ ad ſimiles actus in ſpecie. *Lib.* 2. *ſent diſt.* 26. *q.* 1. *art.* 2. *ad primum.*

Auferam de ſpiritu tuo. Videtur quòd non debeant plures ordines diſtingui; quantò enim aliqua virtus eſt maior, tantò minùs eſt multiplicata: ſed hoc Sacramentum eſt dignius aliis Sacramentis, inquantum conſtituit ſuſcipientes in aliquo gradu ſuper alios; cùm ergo alia Sacramenta non diſtinguantur in plura quæ recipiant prædicationem totius, nec hoc Sacramentum debet diſtingui in plures ordines.

Dicendum quòd Ordinum multitudo ducta eſt in eccleſia propter tria, *Primò* propter ſapientiam Dei commendandam, quæ in diſtinctione ordinata rerum maximè relucet tam in naturalibus quàm in
3. Reg. 10. v. 5. ſpiritualibus, quod ſignificatur in hoc quòd *Regina Saba videns ordinem miniſtrantium Salomoni, non habebat vltra ſpiritum*, deficiens in admiratione ſapientiæ ipſius. *Secundò* ad ſubueniendum humanæ infirmitati; quia per vnum non poterant omnia quæ ad diuina myſteria pertinebant expleri ſine magno grauamine: & ideo diſtinguntur ordines diuerſi ad diuerſa officia. Et hoc patet per hoc quòd Dominus dedit Moyſi *Septuaginta Senes populi in adiutorium.* Num. 11. v. 25. Tertiò vt via proficiendi hominibus amplior detur, cum plures in diuerſis officiis diſtribuuntur; vt omnes ſint Dei cooperatores, quo nihil eſt diuinius.

Ad argum. R. quòd illa Sacramenta dantur ad effectus aliquos percipiendos; ſed hoc Sacramentum datur principaliter ad actus aliquos agendos. Et ideo ſecundùm diuerſitatem actuum oportet quòd ordinis Sacramentum diſtinguatur, ſicut potentiæ diſtinguuntur per actus.

Nota quòd tota plenitudo huius Sacramenti eſt in vno ordine, ſcilicet ſacerdotio: ſed in aliis eſt quædam participatio ordinis. Et hoc ſignificatum eſt in hoc quòd Dominus dicit Moyſi in textu, & ideo omnes ordines ſunt vnum Sacramentum. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 1.

Idem locus explicatur ſupra *Numerorum cap.* 11. *v.* 16.

Auferam de ſpiritu tuo. Videtur quòd hoc nomen Spiritus-Sanctus, non ſit proprium nomen alicuius diuinæ perſonæ; nullum enim nomen commune tribus perſonis eſt proprium alicuius perſonæ: ſed hoc nomen Spiritus-Sanctus eſt commune tribus perſonis; ergo non eſt proprium alicuius diuinæ perſonæ.

2. Nomina diuinarum perſonarum ad aliquid dicuntur: ſed hoc nomen Spiritus-Sanctus non dicitur

prout importat quandam vim motiuam. Nulli autem creaturæ competit eſſe principium reſpectu alicuius diuinæ perſonæ, ſed è conuerſo: & ideo poteſt dici pater noſter, & Spiritus noſter; & non tamen poteſt dici filius noſter. 1. *p q 36. art. 1.*

NVMERORVM. Cap. 12. *v. 6.*

Si quis fuerit inter vos Propheta.

Videtur quòd in viſione prophetica nullæ ſpecies in mente Prophetæ ſunt; quia à ſola viſione intellectuali dicitur aliquis Propheta: ſed viſio intellectualis non eſt de rebus per rerum ſimilitudines, ſed per ipſas rerum eſſentias; ergo in viſione Prophetica nullæ ſpecies in mente Prophetæ ſunt.

2. Intellectus abſtrahit à materia & materialibus conditionibus; ſi igitur in viſione intellectuali quæ facit Prophetiam fiant aliquæ ſimilitudines, illæ ſimilitudines non erunt admixtæ materiæ vel conditionibus materialibus, ergo per eas Propheta non poterit cognoſcere particularia, ſed vniuerſalia ſolùm, quod eſt falſum.

3. Earum rerum de quibus fit Prophetæ reuelatio, habent Prophetæ aliquas ſpecies in mente ſua. Et ſicut Hieremias qui prophetabat combuſtionem Hieruſalem, in anima ſua habebat ſpeciem ciuitatis illius à ſenſu acceptam; & ſimiliter ignis comburentis quem frequenter videbat. Si igitur aliæ ſpecies earumdem rerum menti Prophetæ diuinitus imprimantur; ſequitur quòd ſint duæ formæ eiuſdem rationis in eodem ſubiecto, quod eſt inconueniens.

4. Viſio qua videtur diuina eſſentia, eſt potior quàm illa qua videntur quæcumque rerum ſpecies: ſed viſio qua videtur eſſentia diuina non ſufficit ad accipiendam cognitionem de rebus quibuſcumque; aliàs videntes diuinam eſſentiam omnia viderent; ergo nec ſpecies quæcumque menti Prophetæ imprimantur, poterunt Prophetam ducere in rerum cognitionem.

5. Illud quod quis poteſt propriâ virtute efficere, non oportet quòd in Propheta diuinâ operatione fiat: ſed quilibet poteſt rerum quarumlibet in mente ſua ſpecies formare per virtutem imaginatiuam, quæ componit & diuidit imagines à rebus acceptas; ergo non oportet quòd aliquæ rerum ſpecies in anima Prophetæ imprimantur.

6. Natura operatur breuiori viâ qua poteſt, & multò magis Deus qui ordinatiùs operatur: ſed breuior via eſt, vt à ſpeciebus quæ in anima Prophetæ ſunt, ducatur in rerum aliqualem cognitionem, quàm ex aliis ſpeciebus de nouo impreſſis; ergo non videtur quòd aliquæ ſpecies de nouo imprimantur.

7. Prophetæ vtuntur ſimilitudinibus rerum in quibus conuerſati ſunt: hoc autem non eſſet ſi eorum viſiones fierent per ſpecies de nouo impreſſas; ergo non imprimuntur aliquæ ſpecies de nouo in animam Prophetæ, ſed ſolùm lumen Propheticum.

Sed contra, viſio imaginaria & intellectualis ſunt excellentiores corporali: ſed quando fit viſio corporalis ſupernaturaliter, tunc noua ſpecies corporalis videntis oculis exhibetur, ſicut patet *De manu ſcribentis in pariete oſtenſa Balthaſari*; *Dan. 5. v. 5.*

ergo multò ampliùs oportet quòd in viſione imaginaria & intellectuali ſupernaturaliter factis, nouæ ſpecies imprimantur.

Pro-phetiæ deſcri-tio. Dicendum quòd Prophetia eſt quædam ſupernaturalis cognitio: Ad cognitionem autem duo requiruntur, ſcilicet acceptio cognitorum, & iudicium de acceptis. Quandoque igitur cognitio eſt ſupernaturalis ſecundùm acceptionem tantùm quandoque ſecundùm iudicium tantùm: quandoque ſecundùm vtrumque.

Si autem ſit ſecundùm acceptionem tantùm ſupernaturalis, non dicetur ex hoc aliquis Propheta; ſicut Pharao non eſt dicendus Propheta, qui ſupernaturaliter accepit futuræ fertilitatis & ſterilitatis iudicium, ſub boum, & ſpicarum figuris. Si verò habeat ſupernaturale iudicium, vel ſimul iudicium & acceptionem, ex hoc dicitur eſſe Propheta.

Acceptio autem ſupernaturalis non poteſt eſſe, niſi ſecundùm tria genera viſionis, ſcilicet ſecundùm viſionem corporalem, quando aliqua corporalibus oculis diuinitus demonſtrantur, vt manus ſcribentis Balthaſari: & ſecundùm imaginariam viſionem, quando diuinitus aliquæ rerum figuræ Prophetis oſtenduntur, vt olla ſuccenſa Hieremiæ; & equi, & montes Zachariæ: & ſecundùm intellectualem, quando aliqua intellectui oſtenduntur ſupra naturalem facultatem.

Cùm autem intellectus humanus ſit in potentia naturali ad omnes formas intelligibiles ſenſibilium rerum, non erit ſupernaturalis acceptio, quæcunque ſpecies intelligibiles in intellectu fiant; ſicut erat ſupernaturalis acceptio in viſione corporali, quando inſpiciuntur res quæ non ſunt ſecundùm naturam formatæ; ſed ſolummodo diuinitus ad aliquid oſtendendum; & ſicut erat ſupernaturalis acceptio in viſione imaginaria, quando videntur aliquæ ſimilitudines non à ſenſibus acceptæ, ſed per aliquam vim animæ formatæ. Sed tunc ſolùm intellectus ſupernaturaliter accipit, quando videt ipſas ſubſtantias intelligibiles per eſſentiam ſuam, vtpote Deum & Angelos; ad quod pertingere non poteſt ſecundùm virtutem naturæ ſuæ.

Inter has autem tres ſupernaturales acceptiones, hæc vltima excedit modum Prophetiæ, vnde dicitur in textu, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in ſomnio aut viſione loquar ad eum: at non talis ſeruus meus Moyſes, qui palam, & non per figuras & ænigmata videt Deum.*

Videre Deum in eſſentia ſua, ſicut videtur in raptu, vel ſicut videtur à beatis, aut videre alias ſubſtantias intelligibiles per eſſentiam ſuam, modum Propheticæ viſionis excedit. Sed prima ſupernaturalis acceptio, quæ eſt ſecundùm corporalem viſionem, eſt infra Propheticam acceptionem; quia per hanc acceptionem non præfertur Propheta aliis quibuſcunque; cùm ſpeciem diuinitus formatam ad videndum, omnes æqualiter videre poſſunt.

Supernaturalis ergo acceptio quæ eſt propria Prophetæ, eſt acceptio imaginariæ viſionis. Sic ergo omnis Propheta vel habet tantùm iudicium ſupernaturale de his quæ ab

Digitized by Google

alio videntur, ſicut Ioſeph, de viſis à Pharaone: vel habet acceptionem ſimul cum iudicio, ſecundùm imaginariam viſionem.

Iudicium igitur ſupernaturale Prophetæ datur ſecundùm lumen infuſum ex quo intellectus robboratur ad iudicandum. Et quantùm ad hoc nullæ ſpecies præexiguntur; ſed quantùm ad acceptionem requiritur noua formatio ſpecierum; ſiue vt fiant in mente ſpecies, quæ priùs non fuerunt, vt pote, ſi alicui cæco nato imprimerentur ſpecies colorum; ſiue vt ſpecies præexiſtentes ordinentur, & imponantur diuinitus tali modo, qui competat ſignificationi rerum, quæ debent Prophetæ oſtendi. Et per hunc modum concedendum eſt quòd Prophetæ reuelatio non ſolùm fit ſecundùm lumen, ſed ſecundùm ſpecies; quandoque verò ſecundùm lumen tantùm.

Ad 1. R. quòd quamuis Propheta non dicatur niſi qui habet intellectualem viſionem; non tamen ſola viſio intellectualis ad Prophetiam pertinet, ſed imaginaria in qua ſpecies formari poſſunt conuenientes etiam ad ſingularium repræſentationem. Vnde patet ſolutio ad ſecundum.

Ad 3. R. quòd illarum rerum quas Propheta vidit, non oportet vt ei denuò ſpecies infundantur; ſed ex ſpeciebus reſeruatis in theſauro virtutis imaginatiuæ fiat quædam aggregatio ordinata conueniens deſignationi rei prophetandæ.

Ad 4. R. quòd diuina eſſentia quantùm in ſe eſt, expreſſiùs repræſentat res quaſlibet, quàm quælibet ſpecies vel figura. Sed ex hoc quòd aſpectus intuentis vincitur ab eminentia illius eſſentiæ, contingit quòd eſſentiam videns, non omnia videt quæ repræſentat. Species verò in imaginatione impreſſæ, ſunt nobis proportionatæ; vnde ex eis in rerum cognitionem poſſumus peruenire.

Ad 5. R. quòd ſicut in eo qui ex ſignis ſcientiam accipit, ſignorum cognitio eſt via ducens ad res ipſas; ita è conuerſo in eo qui ſignificat aliquid, cognitio rei ſignificandæ præſupponitur ad formationem ſignorum; non enim poteſt aliquis rei quam ignorat congrua ſigna adhibere.

Quamuis igitur homo quilibet poſſit quaſlibet imagines formare naturali virtute, tamen quòd formentur conuenienter rei figuræ ſignificandæ, non poteſt fieri, niſi ab eo qui rerum illarum cognitionem habet. Et ſecundùm hoc formatio imaginariæ viſionis in Propheta, ſupernaturalis exiſtit.

Ad 6. R. quòd ſpecies illæ quæ præexiſtunt in vi imaginatiua Prophetæ prout ibi exiſtunt, non ſufficiunt ad ſignificationem rerum futurarum; & ideo oportet quòd diuinitus aliter transformentur.

Ad 7. R. quòd ſpecies præexiſtentes in imaginatione Prophetæ, ſunt quaſi elementa illius viſionis imaginariæ quæ diuinitus oſtenduntur, cùm ex eis quodammodo componatur. Et exinde contingit quòd Propheta vtitur ſimilitudinibus eorum in quibus conuerſatur: ſed quia non ſemper per aliquas ſpecies fit reuelatio Prophetica, ideo ad rationem in contrarium adductam reſpondere oportet.

Ad argum. ergo R. quòd ex hoc ipſo quòd viſio intellectualis &

imaginaria dignior eſt corporali, ſecundùm eas cognoſcimus non ſolùm præſentia ſed abſentia, cùm viſione corporali ſolummodo præſentia cernantur: & ideo in imaginatione & intellectu reſeruantur ſpecies rerum, non autem in ſenſu. Ad hoc ergo quòd viſio corporalis ſit ſupernaturalis, ſemper oportet quòd formentur nouæ ſpecies corporales: non autem hoc requiritur ad hoc quòd viſio imaginaria vel intellectualis ſit ſupernaturalis. *In quæſt. Diſp. De verit. quæſt. 12. art. 7.*

Si quis fuerit inter vos Propheta. Videtur quòd in Chriſto non fuerit Prophetia; Prophetia enim importat quandam obſcuram & imperfectam notitiam, vt patet in textu: ſed Chriſtus habuit plenam & apertam notitiam multò magis quàm Moyſes de quo ibi ſubditur quòd *Palam, & non per ænigmata vidit Deum*; non ergo in Chriſto debet poni Prophetia.

2. Sicut fides eſt eorum quæ non videntur, & ſpes eorum quæ non habentur; ita Prophetia eſt eorum quæ non ſunt præſentia, ſed diſtant: nam Propheta dicitur quaſi procul fans: ſed in Chriſto non ponitur fides nec ſpes; ergo etiam Prophetia non debet poni in Chriſto.

3. Propheta eſt inferioris ordinis quàm Angelus: vnde & de Moyſe qui fuit ſupremus Prophetarum dicitur quòd *Locutus eſt cum Angelo in ſolitudine*: ſed Chriſtus non eſt minoratus ab Angelis ſecundùm notitiam animæ, ſed ſolùm *ſecundùm corporis paſſionem* vt habetur; ergo videtur quòd Chriſtus non fuit Propheta. *Act. 7. v. 38.* *Hebr. 2. v. 9.*

Sed contra eſt quòd de eo prædicitur, *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris.* Dicendum quòd Propheta dicitur quaſi procul fans, vel procul videns, inquantum ſcilicet cognoſcit, & loquitur ea quæ ſunt procul ab hominum ſenſibus. Eſt autem conſiderandum quòd non poteſt dici aliquis Propheta ex hoc quòd cognoſcit & annuntiat ea quæ ſunt aliis procul, cum quibus ipſe non eſt. Et hoc manifeſtum eſt ſecundùm locum & ſecundùm tempus; ſi enim aliquis in Gallia exiſtens cognoſceret & annuntiaret aliis in Gallia exiſtentibus ea quæ tunc in Syria agerentur, Propheticum eſſet; ſicut Eliſeus ad Gieſi dicit, *Quomodo vir deſcendebat de curru, & occurrebat ei.* Si verò aliquis in Syria exiſtens, ea quæ ſunt ibi annuntiaret, non eſſet Propheticum. *Deut. 18. v. 18.* *Chriſtus fuit Propheta.* *4. Reg. 5 v. 26.*

Et idem apparet ſecundùm tempus, Propheticum enim fuit quòd Eſaias prænuntiauit quòd Rex perſarum Templum Dei eſſet reædificaturus, vt patet. Non autem fuit Propheticum quòd Eſdras hoc ſcripſit, cuius tempore factum eſt. *Eſaiæ. 44. v. 28.*

Si igitur Deus aut Angeli, vel etiam beati cognoſcunt & annuntiant ea quæ ſunt procul à noſtra notitia; hoc non pertinet ad Prophetiam; quia in nullo noſtrum ſtatum attingũt: Chriſtus autem ante paſſionem noſtrum ſtatum attingebat, inquantum non ſolùm erat comprehenſor, ſed etiam viator. Et ideo Propheticum erat quòd ea quæ erant procul ab aliorum viatorum notitia, & cognoſcebat & annuntiabat. Et hac ratione dicitur in eo fuiſſe Prophetia.

Ad 1. R. quòd per illa verba, non

Digitized by Google

oſtenditur eſſe de ratione Prophetiæ ænigmatica cognitio, quæ ſcilicet eſt per ſomnium & in viſione; ſed oſtenditur comparatio aliorum Prophetarum, qui per ſomnium & in viſione perceperunt diuina, ad Moyſen, qui palam & non per ænigmata Deum vidit; qui Propheta eſt dictus, ſecundùm illud *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſraël ſicut Moyſes.*

Num. 12. v. 8.

Deut. vlt. v. 10.

Poteſt tamen dici quòd etſi Chriſtus habuit plenam & apertam notitiam, quantùm ad partem intellectiuam; habuit tamen in parte imaginatiua quaſdam ſimilitudines, in quibus etiam poterat ſpeculari diuina; inquantum non ſolùm erat comprehenſor, ſed etiam viator.

Ad 2. R. quòd fides eſt eorum quæ non videntur ab ipſo credente; & ſimiliter ſpes eſt eorum quæ non habentur ab ipſo ſperante: ſed Prophetia eſt eorum quæ ſunt procul à communi hominum ſenſu; cum quibus Propheta conuerſatur, & communicat in ſtatu viæ. Et ideo fides & ſpes repugnant perfectioni beatitudinis Chriſti, non autem Prophetia.

Ad 3. R. quòd Angelus cùm ſit comprehenſor, eſt ſupra Prophetam qui eſt purus viator; non autem ſupra Chriſtum qui fuit ſimul viator & comprehenſor. 3. *p. q.* 7. *art.* 8.

NVMERORVM. Cap. 12. *v.* 8.

At non talis ſeruus meus Moyſes: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.

Videtur quòd Moyſes non fuerit excellentior aliis Prophetis; quia maiora miracula facta ſunt per Ioſue, qui *Fecit ſtare ſolem & lunam*, quàm per Moyſen. Et ſimiliter per Eſaiam, qui *fecit ſolem retrocedere*, ergo Moyſes non fuit Prophetarum maximus.

Ioſue. 10. v. 13.

Eſaia 38. v. 8.

2. Dicitur de Elia, *Quis poterit tui ſimiliter gloriari, qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis?* &c. Et ſic idem quod prius.

Eccl. 48 v. 4.

3. Dicitur de Ioanne, *Inter natos mulierum, non ſurrexit maior, &c.* Ergo nec Moyſes fuit eo maior, & ſic idem quod prius.

Matth. 11. v. 11.

Sed contra eſt quod dicitur in textu, & *Non ſurrexit Propheta vltra in Iſraël ſicut Moyſes.* Dicendum quòd inter Prophetas aliqui ſecundùm aliquid diuerſimodè poſſunt maiores reputari; ſimpliciter autem loquendo omnium maximus Moyſes fuit. In eo enim quatuor quæ ad Prophetiam requiruntur, excellentiſſimè ſunt inuenta.

Deut. vlt. v. 10.

Primò quidem viſio intellectualis in eo excellentiſſima fuit, ſecundùm quam tantùm meruit eleuari, vt ipſam Dei eſſentiam videret, vt patet in textu. Et hæc quidem eius viſio non eſt facta Angelo mediante, ſicut aliæ viſiones Prophetales, vnde ibidem dicitur, *Ore ad os loquor ei.*

Secundò imaginaria viſio fuit in eo perfectiſſima; quia eam quaſi ad nutum habebat. Vnde dicitur quòd *Loquebatur ei Dominus facie ad faciem, ſicut homo ſolet loqui ad amicum ſuum.* In quo etiam alia eius eminentia quantùm ad imaginariam viſionem poteſt notari, quòd ipſe ſcilicet non ſolùm audiuit verba reuelantis; ſed vidit, non in figura hominis vel Angeli, ſed quaſi ipſum Deum; non in ſomnio, ſed

Exodi 33. v. 11.

Digitized by Google

in vigilia; quod de nullo aliorum legitur.

Tertiò eius denuntiatio fuit excellentiſſima, quia omnes qui fuerunt ante eum, inſtruxerunt familias ſuas per modum diſciplinæ: Moyſes autem fuit primus qui locutus eſt ex parte Domini dicens, *Hæc dicit Dominus*; & non vni familiæ, ſed toti populo: nec denuntiauit ex parte Domini vt attenderetur dictis alterius Prophetæ præcedentis; ſicut Prophetæ denuntiando inducebant vt obſeruaretur lex Moyſi. Vnde denuntiatio præcedentium fuit præparatio ad legem Moyſi quæ fuit fundamentum quoddam denuntiationis ſequentium Prophetarum.

Quartò fuit eminentior quantùm ad ea quæ ordinantur ad denuntiationem; quantùm ad miracula quidem, quia fecit ſigna ad conuerſionem & inſtructionem totius generis. Alii verò Prophetæ fecerunt particularia ſigna ad ſpeciales perſonas & ſpecialia negotia. Quantùm ad eminentiam reuelationis in omnibus ſignis atque portentis, ſicut fecerat in terra Ægypti Pharaoni & omnibus ſeruis eius; & ita magna mirabilia quæ fecit Moyſes coram vniuerſo Iſraël. Quantùm etiam ad audaciam apparet eminentiſſimus; quia in ſola virga deſcendit in Ægyptum, non ſolùm ad denuntiandum verba Domini, ſed ad flagellandum Ægyptum & populum liberandum.

Nota quòd Dauid dicitur eſſe excellentiſſimus Prophetarum, quia expreſſiſſimè Prophetauit de Christo ſine aliqua imaginaria viſione.

Ad 1. R. quòd quamuis illa miracula fuerint maiora miraculis Moyſi quantùm ad ſubſtantiam facti, tamen illa Moyſi fuerunt maiora quantùm ad modum faciendi; quia facta ſunt toti populo, & ad populi inſtructionem in noua lege & liberationem; illa verò fuerunt ad aliqua particularia negotia.

Ad 2. R. quòd eminentia Eliæ præcipuè in hoc attenditur quòd à morte immunis conſeruatus fuit; etiam multis aliis Prophetis eminentior fuit, quoad audaciam & magnitudinem ſignorum, vt ibidem habetur.

Ad 3. R. quòd cùm Moyſes aliis præfertur, intelligendum eſt de Prophetis veteris Teſtamenti, quia tunc præcipuè Prophetia fuit in ſuo ſtatu quando Chriſtus, ad quem omnis Prophetia ordinabatur, expectabatur venturus. Ioannes ad nouum pertinet Teſtamentum; vnde *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem*. Matth. 11. v. 13.

In nouo tamen Teſtamento facta eſt manifeſtior reuelatio, vnde dicitur *Nos autem reuelatâ facie*, vbi expreſſè Apoſtolus ſe & alios Apoſtolos Moyſi præfert. Et tamen non ſequitur, ſi Ioanne Baptiſtâ nullus fuit maior, quòd propter hoc nullus fuerit eo excellentior in gradu Prophetiæ; quia cùm Prophetia non ſit donum gratiæ gratum facientis, poteſt eſſe potior in Prophetia qui eſt minor in merito. *In quæſt. diſp. de verit. q. 12. art. 14. v. 22. q. 174. art. 4.* 2. Cor. 3. v. 18.

Idem locus explicatur ſupra *Gen. 32. v. 30.*

NVMERORVM Cap. XV. v. 32.

Inuenerunt hominem colligentem ligna in die Sabbati.

ILle qui colligebat ligna in Sabbato, lapidatus fuit tanquam legis violator, quæ Sabbatum obſeruari præcipiebat in commemorationem fidei nouitatis mundi; vnde occiſus fuit tanquam infidelis. 12. *q.* 105. *art.* 2. *ad nonum.*

NVMERORVM Cap. 15. v. 38.

Loquere filijs Iſraël & dices ad eos vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.

ARguitur, memoria mandatorum Dei non pertinet ad corpus, ſed ad cor; inconuenienter igitur præcipitur, quod *Ligarent præcepta Dei quaſi ſignum in manu ſua*, & quòd ſcriberent in limine oſtiorum; & quòd per angulos palliorum facerent fimbrias in quibus ponerent vittas hyacinthinas in memoriam mandatorum Dei, vt patet in textu. Deut. 6. v. 8.

Ad argum. R. quòd Dominus iuſſit vt in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad populum Iſraël dignoſcendum ab aliis populis; vnde per hoc ſe eſſe Iudæos profitebantur: & ideo per aſpectum huius ſigni inducebantur in memoriam ſuæ legis.

Quod autem dicitur, *Ligabis ea in manu tua, & erunt ſemper ante oculos tuos*, Phariſæi malè interpretabantur ſcribentes in membranis decalogum Moyſi, & ligabant in fronte quaſi coronam, vt ante oculos moueretur; cùm tamen intentio Domini mandantis fuerit vt ligarentur in manu, id eſt, in operatione; & eſſent ante oculos, id eſt, in meditatione.

In hyacinthinis autem vittis, quæ palliis inſerebantur, ſignificatur cœleſtis intentio, quæ omnibus operibus noſtris debet adiungi. Poteſt tamen dici quòd quia populus ille carnalis erat, & duræ ceruicis; oportuit etiam per huiuſmodo ſenſibilia eos ad legis obſeruantiam excitari. 12. *q.* 102. *art.* 6. *ad ſeptimum.*

NVMERORVM Cap. XVI. v. 26.

Recedite à tabernaculis hominum impiorum.

VIdetur quòd pœna Schiſmaticorum non ſit conueniens vt excommunicentur; excommunicatio enim maximè ſeparat hominem à communione Sacramentorum: ſed baptiſma poteſt recipi à Schiſmatico; ergo videtur quòd excommunicatio non eſt conueniens pœna Schiſmatis.

2. Ad fideles Chriſti pertinet vt eos qui ſunt diſperſi, reducant: vnde contra quoſdam dicitur, *Quod* Ezech.
abiectum eſt non reduxiſtis, quod pe- 34. v. 4.
rierat non quæſiſtis: Sed ſchiſmatici conuenientiùs reducuntur per aliquos qui eis communicent; ergo videtur quòd non ſint excommunicandi.

3. Pro eodem peccato non infli- Nahum
gitur duplex pœna ſecundùm illud 1. v. 9.
Non iudicabit Deus bis in idipſum: iuxta ſeptuag.

Digitized by Google

ſed pro peccato ſchiſmatis aliqui ponâ temporali puniuntur; non ergo ſunt puniendi per excommunicationem.

Sed contra eſt quod dicitur, *Recedite à tabernaculis hominum impiorum* (qui ſcilicet ſchiſma fecerunt) *Et nolite tangere ea quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum*, vt patet in textu.

Sap. 11. *v.* 17. Dicendum quòd *Per quæ peccat quis, per ea debet puniri*: ſchiſmaticus autem in duobus peccat; in vno quidem, quia ſeparat ſe à communione membrorum Eccleſiæ; & quantùm ad hoc conueniens pœna ſchiſmaticorum eſt vt excommunicentur: in alio verò quia ſubdi recuſant capiti Eccleſiæ; & ideo quia coërceri nolunt per ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ, iuſtum eſt vt poteſtate temporali coërceantur.

Ad 1. R. quòd baptiſmum à ſchiſmaticis recipere non licet, niſi in articulo neceſſitatis; quia melius eſt de hac vita cum ſigno Chriſti exire, à quocunque detur, etiam ſi ſit Iudæus, vel paganus; quàm ſine hoc ſigno, quod per baptiſmum confertur.

Ad 2. R. quòd per excommunicationem non interdicitur illa communicatio per quam aliquis ſalubribus monitis diuiſos reducit ad Eccleſiæ vnitatem, cùm etiam ipſa ſeparatio quodammodo eos reducat, cum de ſua ſeparatione confuſi quandoque ad pœnitentiam reducuntur.

Ad 3. R. quòd pœnæ præſentis vitæ ſunt medicinales: & ideo quando vna pœna non ſufficit ad coërcendum hominem, ſuperadditur altera, ſicut & medici diuerſas medicinas corporales apponunt, quando vna non eſt efficax. Et ita Eccleſia, quando aliqui per excommunicationem non ſufficienter reprimuntur; adhibet coërcitionem brachii ſecularis: ſed ſi vna pœna ſit ſufficiens, non debet alia adhiberi. 22. *q.* 39. *art.* 4.

NVMERORVM Cap. 16. v. 31.

Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum.

Videtur quòd peccatum non ſit grauius, ex eo quòd maiori bono opponitur; quia charitas ſecundùm Apoſtolum eſt maior fide & ſpe; odium autem quod opponitur charitati, non eſt grauius peccatum quàm infidelitas & deſperatio, quæ opponuntur fidei & ſpei; non ergo peccatum eſt grauius quod maiori virtuti opponitur. 1. *Cor.* 13. *v.* 13.

2. Quòd aliquis ſciens vel ignorans peccet, accidentaliter ſe habet ad bonum cui opponitur peccatum; ſi ergo ex hoc vnum peccatum eſſet alio grauius quod maiori bono opponitur, ſequeretur quòd non grauiùs peccaret qui ſciens peccat, quàm qui peccat ignorans, quod patet eſſe falſum.

3. Quantitas pœnæ reſpondet quantitati culpæ: ſed quædam peccata quæ ſunt in proximum, grauiùs leguntur punita, quàm peccata in Deum commiſſa; ſicut peccatum blaſphemiæ, quod eſt peccatum in Deum, punitum eſt ſimplici lapidatione; peccatum autem ſchiſmatis punitum eſt per inconſuetam mortem multorum, vt patet in textu; ergo grauius eſt peccatum quod committitur in proximum, quàm quod committitur in Deum; cùm tamen maiori bono opponatur peccatum quod *Leu.* 24. *v.* 14.

in

in Deum committitur.

Dicendum quòd grauitas peccari poteſt penſari ex duobus: vno modo ex parte ipſius actus; alio modo ex parte agentis. Ex parte autem actus eſt duo conſiderare, ſcilicet ſpeciem actus, & accidens eius: Actus autem ſpeciem habet ex obiecto. Grauitas ergo peccati quam habet ex ſpecie ſua, attenditur ex parte obiecti ſiue materiæ. Et ſecundùm hanc conſiderationem, grauius peccatum dicitur ex ſuo genere, quod maiori bono virtutis opponitur: vnde cùm bonum virtutis conſiſtat in ordinatione amoris; Deum autem ſuper omnia diligere debeamus; peccata quæ ſunt in Deum, ſicut idololatria, blaſphemia & huiuſmodi, ſecundùm ſuum genus ſunt reputanda grauiſſima.

Inter peccata autem quæ ſunt in proximum, tantò aliqua ſunt aliis grauiora, quanto maiori bono proximi opponuntur. Maximum autem bonum proximi eſt ipſa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidii, quod tollit actualem hominis vitam: & peccatum luxuriæ quod opponitur vitæ hominis in potentia, quia eſt inordinatio quædam circa actum generationis humanæ. Vnde inter omnia peccata quæ ſunt in proximum, grauius eſt homicidium ſecundùm genus ſuum; & ſecundum locum tenet adulterium, & fornicatio, & huiuſmodi peccata carnalia. Tertium autem locum tenet furtum & rapina & huiuſmodi, per quæ in exterioribus bonis læditur proximus.

In ſingulis autem horum generum ſunt diuerſi gradus, in quibus menſuram peccati ſecundùm genus ſuum oportet accipere, ſecundùm quod bonum oppoſitum magis vel minus per charitatem debet amari. Ex parte autem circunſtantiæ eſt etiam grauitas in peccato, non ex ſpecie ſua, ſed accidentalis.

Similiter etiam ex parte agentis attenditur grauitas in peccato ſecundùm quod magis vel minùs voluntarius peccat; voluntas enim eſt cauſa peccati. Sed hæc grauitas non competit peccato ſecundùm ſuam ſpeciem: & ideo ſi grauitas peccati attendatur ſecundùm ſpeciem eius, tantò inuenitur peccatum grauius, quantò maiori bono opponitur.

Nota quòd in peccato inuenitur duplex boni ademptio, vna formalis per quam tollitur ordo virtutis. Et quantùm ad hanc non refert vtrum primò vel ſecundò peccet homo; quia ſecundum peccatum poteſt plus priuare de ordine virtutis in actu quàm primum. Alia verò eſt ademptio boni quæ eſt effectus peccati, ſcilicet priuatio gratiæ & gloriæ. Et quantùm ad hanc, primum peccatum plus tollit quàm ſecundùm. Sed hoc eſt per accidens, quia ſecundum non inuenit quod primum inuenit; per ea autem quæ ſunt per accidens, non eſt iudicium de rebus ſumendum.

Ad 1. R. quòd fides & ſpes ſunt præambula ad charitatem: Vnde infidelitas quæ opponitur fidei, & deſperatio quæ opponitur ſpei, maximè opponuntur charitati; quia radicitus eam euellunt.

Ad 2. R. quòd aliquem peccare ſcientem vel ignorantem, licet accidat alicui peccato ſpeciali, putà furto quantùm ad ſpecies; eius ta-

men quantùm ad rationem generis, id eſt, inquantum eſt peccatum, non accidit, quia de ratione peccati eſt vt ſit voluntarium. Vnde ignorantia quæ diminuit voluntarium, diminuit etiam rationem peccati.

Ad 3. R. quòd pœnæ quæ inferuntur à Deo in futura vita, reſpondent grauitati culpæ, ſed pœnæ quæ in præſenti vita infliguntur, ſiue à Deo, ſiue ab homine, non ſemper reſpondent grauitati culpæ. Interdum enim minor culpa grauiori pœnâ punitur temporaliter, propter maius periculum euitandum; pœnæ enim præſentis vitæ quaſi medicinæ adhibentur. Peccatum autem ſchiſmatis pernicioſiſſimum eſt in rebus humanis, quia diſſoluit totum regimen humanæ ſocietatis. *In quæſt. Diſp. q. 2. de malo art.* 10.

Vide ſupra *Exodi cap.* 32. v. 27.

NVMERORVM Cap. XVII. *v.* 10.

Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, vt reſeruetur in ſignum rebellium filiorum Iſrael.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 20. *v.* 4.

NVMERORVM Cap. XVIII. *v.* 8.

Locutus eſt Dominus ad Aaron, ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 13. *v.* 9.

NVMERORVM Cap. XVIII. *v.* 21.

Filijs Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.

VIdetur quòd decimæ non ſint clericis dandæ, Leuitis enim in veteri Teſtamento decimæ debebantur quia non habebant aliquam partem in poſſeſſionibus populi, ſed clerici in nouo Teſtamento habent poſſeſſiones, & patrimoniales interdum, & Eccleſiaſticas; recipiunt inſuper primitias & oblationes pro viuis & mortuis; ſuperfluum ergo eſt quòd eis decimæ dentur.

2. Contingit quandoque quòd aliquis habet domicilium in vna parochia, & colit agros in alia. Vel aliquis paſtor ducit gregem per vnam partem anni in terminis vnius parochiæ. Et aliâ parte anni in terminis alterius: vel habet ouile in vna parochia, & paſcit oues in alia. In quibus & conſimilibus caſibus non videtur poſſe diſtingui quibus clericis ſint decimæ ſoluendæ; ergo non videtur quòd aliquibus clericis determinatè ſint decimæ ſoluendæ.

3. Generalis conſuetudo habet in quibuſdam terris quòd milites decimas ab eccleſia in feudum tenent. Religioſi etiam quidam decimas accipiunt, non ergo videtur quòd ſolùm clericis curam animarum habentibus decimæ debentur.

Sed contra eſt quod dicitur in textu: filiis autem Leui ſuccedunt clerici in nouo Teſtamento; ergo ſolis clericis decimæ debentur.

Dicendum quòd circa decimas duo ſunt conſideranda, ſcilicet ip-

Deci-
mę cle-
ricis de-
bentur.

ſum ius accipiendi decimas; & ipſæ res quæ nomine decimæ dantur. Ius autem accipiendi decimas ſpirituale eſt; conſequitur enim illud debitum quo miniſtris altaris debentur ſumptus de miniſterio; & quo ſeminantibus ſpiritualia debentur temporalia; quod ad ſolos clericos pertinet habentes curam animarum: & ideo eis competit hoc ius habere. Res autem quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt: vnde poſſunt in vſum quorumlibet cedere; & ſic etiam poſſunt ad laïcos peruenire.

Ad 1. R. quòd in veteri lege ſpeciales quædam decimæ deputabantur ſubuentioni pauperum: ſed in noua lege decimæ dantur clericis non ſolùm propter ſui ſuſtentationem, ſed etiam vt ex eis ſubueniant pauperibus; & ideo non ſuperfluunt; ſed ad hoc neceſſariæ ſunt poſſeſſiones Eccleſiaſticæ, & oblationes & primitiæ ſimul cum decimis.

Ad 2. R. quòd decimæ perſonales debentur Eccleſiæ in cuius parochia homo habitat: decimæ verò prædiales rationaliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam in cuius terminis prædia ſita ſunt. Tamen iura determinant quòd in hoc ſeruetur conſuetudo diu obtenta. Paſtor autem qui diuerſis temporibus in duabus parochiis gregem paſcit, debet proportionaliter vtrique Eccleſiæ decimas ſoluere. Et quia ex paſcuis fructus gregis proueniunt, magis debetur decima gregis, Eccleſiæ in cuius territorio grex paſcitur; quàm illi in cuius territorio ouile locatur.

Ad 3. R. quòd ſicut res nomine decimæ acceptas poteſt Eccleſia alicui laico tradere: ita etiam poteſt ei concedere vt dandas decimas ipſi accipiant, iure accipiendi miniſtris Eccleſiæ reſeruato; ſiue pro neceſſitate Eccleſiæ (ſicut quibuſdam militibus decimæ debentur, in feudum per Eccleſiam conceſſæ) ſiue etiam ad ſubuentionem pauperum, ſicut quibuſdam religioſis, laicis, vel non habentibus curam animarum, aliquæ decimæ ſunt conceſſæ per modum Eleemoſinæ. Quibuſdam tamen religioſis competit accipere decimas ex eo quòd habent curam animarum. *22. q. 87. art. 3.*

NVMERORVM. Cap. 18. v. 24.

Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt.

EXplicatur ſupra *Gen. cap.* 14. *v.* 20.

Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt. Videtur quòd per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis; ipſi enim dicunt cùm coronantur, Dominus pars hæreditatis meæ: ſed Dominus cum iſtis temporalibus pars fieri dedignatur; ergo abrenuntiat temporalibus.

2. Iuſtitia miniſtrorum noui Teſtamenti debet abundare ſuper miniſtros veteris, vt patet: ſed miniſtri veteris Teſtamenti ſcilicet Leuitæ non acceperunt partem hæreditatis cum fratribus ſuis; ergo nec miniſtri noui Teſtamenti habere debent. *Matth. 5. v. 20.*

Sed contra eſt quòd Hieremias fuit de ordine ſacerdotali, vt patet: ſed ipſe habuit poſſeſſionem ex hæreditatis iure, vt patet; ergo clerici poſſunt habere patrimonialia bona *Hierem. 1. v. 18.* *Hierem. 32. v. 9.*

Dicendum quòd clerici in hoc quòd coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, neque aliis rebus temporalibus; quia terrenorum poſſeſſio non contrariatur diuino cultui, ad quem clerici deputantur; ſed nimia eorum ſolicitudo.

Ad 1. R. quòd Dominus dedignatur pars fieri, vt ex æquo cum aliis diligatur, ita ſcilicet quòd aliquis ponat finem ſuum in Deo, & in rebus mundi: non tamen dedignatur fieri pars eorum qui res mundi ita poſſident, quòd per eas à cultu diuino non retrahuntur.

Ad 2. R. quòd Leuitæ in veteri Teſtamento habebant ius in hæreditate paterna: ſed ideo non acceperunt partem cum aliis tribubus, quòd erant per omnes tribus diſpergendi; quod fieri non potuiſſet, ſi vnam determinatam partem terræ accepiſſent, ſicut aliæ tribus.

Nota quòd ſi ſint indigentes clerici ad ſacros ordines promoti, Epiſcopus qui eos promouit, debet eis prouidere, aliàs non tenetur: ipſi autem ex ordine ſuſcepto tenentur Eccleſiæ miniſtrare. *Lib. 4. ſent. Diſt. 24. q. 3. art. 1. q. 3.*

NVMERORVM Cap. 18. *v.* 26.

Præcipe Leuitis atque denuntia, cùm acceperitis à filijs Iſrael decimas quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id eſt, decimam partem decimæ.

VIdetur quòd clerici teneantur decimas dare; quia de iure communi Eccleſia parochialis debet recipere decimas prædiorum quæ in territorio eius ſunt. Contingit autem quòd quandoque clerici habent in territorio alicuius parochialis Eccleſiæ aliqua prædia propria, vel etiam aliqua alia Eccleſia habet ibi poſſeſſiones eccleſiaſticas; ergo videtur quòd clerici teneantur dare prædiales decimas.

2. Aliqui religioſi ſunt clerici, qui tamen tenentur dare decimas Eccleſiis ratione prædiorum, quæ etiam manibus propriis excolunt; ergo videtur quòd clerici non ſint immunes à ſolutione decimarum.

3. Sicut in textu præcipitur quòd Leuitæ à populo decimas accipiant, ita etiam præcipitur quòd ipſi dent decimas ſummo ſacerdoti; ergo qua ratione laici debent dare decimas clericis, eadem ratione clerici debent dare decimas ſummo Pontifici.

4. Sicut decimæ debent cedere in ſuſtentationem clericorum, ita etiam debent cedere in ſubuentionem pauperum; ſi ergo clerici excuſantur à ſolutione decimarum, pari ratione excuſantur & pauperes: hoc autem eſt falſum; ergo & primum.

Dicendum quòd idem non poteſt eſſe cauſa dandi & recipiendi, ſicut nec cauſa agendi & patiendi: Contingit autem ex diuerſis cauſis, & reſpectu diuerſorum eundem eſſe dantem & recipientem, ſicut agentem & patientem.

Clericis autem inquantum ſunt miniſtri altaris, ſpiritualia populo ſeminantes, decimæ à fidelibus debentur: vnde tales clerici, inquantum clerici ſunt, id eſt, inquantum habent eccleſiaſticas poſſeſſiones, decimas ſoluere non tenentur.

Ex alia verò cauſa, ſcilicet propter hoc quòd poſſident proprio iure, vel ex ſucceſſione parentum, vel

Digitized by Google

ex emptione, vel quocunque huiuſmodi modo, ſunt ad decimas ſoluendas obligati.

Vnde patet R. ad 1. quia clerici de propriis prædiis tenentur ſoluere decimas parochiali Eccleſiæ, ſicut & alii, etiamſi ipſi ſint eiuſdem Eccleſiæ clerici, quia aliud eſt habere aliquid vt proprium, aliud vt commune. Prędia verò Eccleſiæ non ſunt ad decimas ſoluendas obligata, etiamſi ſint intra terminos alterius parochiæ.

Ad 2. R. quòd religioſi qui ſunt clerici, ſi habeant curam animarum, ſpiritualia populo diſpenſantes, non tenentur decimas dare, ſed poſſunt eas recipere. De aliis verò religioſis, etiam ſi ſint clerici, quia non diſpenſant populo ſpiritualia, eſt alia ratio. Ipſi enim tenentur de iure communi decimas dare: habent tamen aliquam immunitatem ſecundùm diuerſas conceſſiones eis à ſede Apoſtolica factas.

Ad 3. R. quòd in veteri lege primitię debebantur ſacerdotibus, decimæ autem Leuitis. Et quia ſub ſacerdotibus Leuitę erant, Dominus mandauit vt ipſi loco primitiarum ſoluerent ſummo ſacerdoti decimam decimæ. Vnde nunc eadem ratione tenentur clerici ſummo Pontifici decimam dare, ſi exigeret: naturalis enim ratio dictat, vt illi qui habet curam de communi multitudinis ſtatu, prouideatur, vnde poſſit exequi ea quæ pertinent ad communem ſalutem.

Ad 4. R. quòd decimæ debent cedere in ſubuentionem pauperum, per diſpenſationem clericorum. Et ideo pauperes non habent cauſam accipiendi decimas, ſed tenentur eas dare. 22. *q.* 87. *art.* 4.

NVMERORVM Cap. XIX. *v.* 2.

Præcipe filijs Iſrael vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 43. *& Exodi cap.* 32. *v.* 27.

NVMERORVM Cap. 19. *v.* 7.

Commaculatus erit vſque ad veſperum.

VIdetur quòd Sacramenta veteris legis non purgabant ab immunditiis carnis; aut enim illæ immunditiæ ſunt purè corporales, aut ſpirituales: à corporalibus purè non mundabant, imò magis inquinare videbantur. Similiter nec à ſpiritualibus; quia ſpirituales ab anima in corpus fiunt, quia non inquinatur corpus, niſi priùs anima inquinata fuerit: dicta autem Sacramenta animam non mundabant, cùm gratiam non conferrent; ergo neque carnem.

2. Inter omnia Sacramenta veteris legis magis erat purgatiuum cinis vitulæ aſperſus: ſed hic magis immundabat quàm purgaret; quia ſacerdos qui vitulum immolauerat, immundus efficiebatur, vt patet in textu; ergo nec alia Sacramenta purgabant.

3. Sacramenta nouæ legis ſunt maioris efficaciæ quàm Sacramenta veteris legis; Sacramenta autem nouæ legis non purgant ab irregularitatibus; ergo nec Sacramenta veteris legis ab eis purgabant.

Sed contra eſt quod dicitur,

Digitized by Google

He-breor. 9. *v.* 13. *Sanguis hircorum & ſanguis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.*

Dicendum quòd veteris legis intentio erat homines ad timorem & reuerentiam Dei inducere, & à carnalibus ad ſpiritualia trahere paulatim : & ideo inſtituit multa impedimenta, quibus homines ab vſu illorum Sacramentorum frequenter impedirentur ; & vt ſic magis in reuerentia haberentur, quia omne rarum charum : & ſic etiam paulatim à carnalibus obſeruantiis diſſueſcerent, quandoque totaliter abſtrahendi in tempore gratiæ. Et hæc impedimenta immunditiæ carnis dicebantur, quibus homo corporaliter accedere ad ſancta idoneus efficiebatur, & ab his carnis immunditiis Sacramenta legis purgabant.

Ad 1. R. quòd immunditiæ illæ non erant ſpirituales, quaſi à peccato cauſatæ ſemper ; ſed quaſi à Sacramentis prohibentes.

Ad 2. R. quòd ſacerdos lauabat manus, & veſtimenta ; ne cum manibus ſanguinolentis & cineroſis alia tangeret : & quia ſacrorum ad communia non debet eſſe commiſtio ; vnde etiam vncti chriſmate manus lauant, & abſtergunt.

Immundus autem reputabatur propter tria : *Primò* vt ſacerdotes eſſent ſub onere, ſicut & alii : *Secundò* ad tollendum ſuperbiam ſacerdotum de hoc, quòd alios ſanctificabant : *Tertiò* ad ſignandum quòd ſacerdos noui Teſtamenti propter maximam ſanctitatem ſacrificii, ſemper debet ſe idoneum reputare.

Ad 3. R. quòd in noua lege non ſunt irregularitates tot, ſicut in veteri lege ; nec ſunt niſi in miniſtris Eccleſiæ, in quibus requiritur maxima idoneitas propter Sacramentorum ſanctitatem : ideo tales irregularitates non ita facilè abſterguntur. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 3.

NVMERORVM Cap. 19. *v.* 15.

Vas quod non habuit cooperculum, immundum erit.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 43.

NVMERORVM Cap. XXI. *v.* 8.

Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno.

Videtur quòd Sacramentum non ſit ſacræ rei ſignum ; nam omnes creaturæ ſenſibiles *ſunt ſigna inuiſibilium diuinorum* vt patet : nec tamen poſſunt dici Sacramenta ; ergo malè diffinitur Sacramentum ſacræ rei ſignum. *Rom.* 1. *v.* 20.

2. Serpens æneus ſignum fuit ſacræ rei ſcilicet crucis Chriſti : nec tamen fuit Sacramentum ; ergo idem quod priùs

3. Triplex eſt ſignum ſcilicet demonſtratiuum, quod eſt de præſenti : rememoratiuum, quod eſt de præterito : pronoſticum, quod eſt de futuro : ſed nullum iſtorum competit Sacramento, cùm quandoque recipiens Sacramentum gratiam non habeat, nec habuit, nec in poſterum habiturus ſit ; ergo non omne Sacramentum eſt ſignum. **Signum triplex.**

4. Signum contra cauſam diui-

Digitized by Google

dicitur: ſed aliquod Sacramentum eſt cauſa; ergo non omne Sacramentum eſt ſignum.

Dicendum quòd Sacramentum ſecundùm proprietatem vocabuli videtur importare ſanctitatem actiuè, vt dicatur Sacramentum quo aliquid ſacratur; ſicut ornamentum, quo aliquid ornatur: ſed quia actiones actiuorum dicuntur eſſe proportionatæ conditionibus paſſiuorum, ideo in ſanctificatione qua homo ſanctificatur, debet eſſe talis ſanctificandi modus, qui homini competat ſecundùm quod rationalis eſt; quia ex hoc eſt homo: inquantum autem eſt rationalis, habet cognitionem à ſenſibilibus ortam; vnde oportet quòd ſanctificetur hoc modo, quòd ſua ſanctificatio ſibi innoteſcat per ſimilitudines ſenſibilium rerum.

Sacramentũ diuerſa ſignificat. Et ſecundùm hoc inuenitur diuerſa acceptio Sacramenti: Aliquando enim Sacramentum importat rem qua fit conſecratio: & ſic paſſio Chriſti dicitur Sacramentum; Aliquando verò includit modum conſecrationis qui homini competit, ſecundùm quod cauſæ ſanctificantes, & ſua ſanctificatio per ſimilitudines ſenſibilium ſibi notificantur: & ſic Sacramenta nouæ legis Sacramenta dicuntur; quia & conſecrant, & ſanctitatem ſignant modo prædicto: & etiam primas ſanctificationis cauſas ſignificant; ſicut baptiſmus ſignificat, & puritatem deſignat, & mortis Chriſti ſignum eſt.

Aliquando etiam includit tantùm ſignificationem prædictarum conſecrationum, ſicut ſignum ſanitatis dicitur ſanum. Et hoc modo Sacramenta veteris legis Sacramenta dicuntur, inquantum ſignant ea quæ in Chriſto ſunt geſta, & etiam Sacramenta nouæ legis.

Relicto ergo primo modo, Sacramentorum non poterit alia communis diffinitio aſſignari, niſi vt dicatur, Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum; niſi quòd oportet vt ſub intelligatur talis modus ſignificandi, qui eſt per ſimilitudinem rei ſenſibilis, vt ſcilicet eius ſimilitudinem gerat.

Ad 1. R. quòd res ſenſibiles non ſunt ſigna diuinorum, vt ſunt Sacramenta, ſed vt ſunt in ſeipſis ſacra: Sacramentum autem debet intelligi ſignum rei ſacræ, vt eſt ſacrans; & ideo non oportet quòd omnes res ſenſibiles ſint Sacramenta.

Ad 2. R quòd quamuis ſerpens æneus eſſet ſignum rei ſacræ ſacrantis, non tamen inquantum ſacrans eſt actu; quia non ad hoc adhibebatur vt aliquis ſanctificationis effectus perciperetur, ſed ſolùm effectus exterioris curationis. Et ſimilis eſt ratio de imagine crucis, quæ ponitur tantùm ad repræſentandum.

Ad 3. R. quòd Sacramenta nouæ legis tria ſignant, ſcilicet cauſam primam ſanctificantem, ſicut baptiſmus mortem Chriſti: & quantùm ad hoc ſunt ſigna rememoratiua Item ſignant effectum ſanctificationis quam faciunt: & hæc ſignificatio eſt ei principalis; & ſic ſunt ſigna demonſtratiua.

Nec obſtat ſi aliquis ſanctitatem non recipit, quia non eſt ex defectu Sacramenti, quod quantùm in ſe eſt, natum eſt gratiam conferre.

Item ſignant finem ſanctificationis, ſcilicet æternam gloriam: &

Digitized by Google

quantùm ad hoc ſunt ſigna Prognoſtica. Sacramenta verò veteris legis erant totaliter ſigna prognoſtica.

Ad 4. R. quòd ſignum quantùm eſt in ſe, importat aliquid manifeſtum quoad nos, quo manuducimur in cognitionem alicuius occulti. Et quia vt frequentiùs effectus ſunt nobis manifeſtiores cauſis; ideo ſignum quandóque contra cauſam diuiditur, ſicut demonſtratio quia, eſt quæ dicitur eſſe per ſignum à communi; demonſtratio autem propter quid, eſt per cauſam.

Quandoque autem cauſa eſt manifeſta quoad nos, vtpote cadens ſub ſenſu, effectus autem occultus, vt ſi expectatur in futurum; & tunc nihil prohibet cauſam ſignum ſui effectus dici. *Lib. 4. ſent. Diſt. 1. q. 1. art. 1.*

Fac ſerpentem æneum Arguitur, illud quod eſt in ſe bonum, ſi ex eo ſumatur peccati occaſio, eſt abiiciendum, ſicut ſerpentem æneum quem Moyſes fecerat ex mandato Domini ad ſanandum filios Iſraël, vt patet in textu, Ezechias combuſſit; quia ex eo ſumebatur idololatriæ occaſio. Similiter etiam quamuis benedictio ſit ſecundùm ſe bona, tamen reprehenditur, ſi minor præſente maiore benedicit. Cùm ergo aliqui inexercitati in præceptis ſumant occaſionem peccati ex ingreſſu religionis ab ea recedentes, quamuis religio ſit ſecundùm ſe bona; tamen videtur quòd inexercitatos ad religionem inducere ſit vitandum.

Ad argumentum R. quòd non ſolùm illud quod eſt peccatum, præbet occaſionem ruinæ, ſed etiam illud quod habet ſpeciem mali. Vnde & Apoſtolus dicit, *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos.* Et quia ſerpens æneus etſi ſecundùm ſe eſſet bonus ex ſui inſtitutione, tamen ſpeciem habebat mali propter ſimilitudinem idololatriæ: ideo apud eos qui erant ad idololatriam proni non erat dimittendus, ſed laudabiliter fuit ſubtractus. *1. Theſſ. 5. v. 22.*

Introitus autem religionis nec eſt ſecundùm ſe malum, nec habet ſpeciem mali. Benedictio autem etſi ſit de genere ſuo bona, tamen ad hoc quod ſit actus virtutis, exigitur quòd ſit veſtita debitis circunſtantiis, vt ſit conueniens & perſonæ, & loco, & tempori. Non eſt autem conueniens perſonæ, quando minor præſente maiore benedicit; quia ſicut dicitur ſine vlla contradictione, quod minus eſt à maiore benedicitur. *Quodlib. 4. q. 12. art. 23.* *Hebr. 7. v. 7.*

NVMERORVM Cap. XXII. v. 28.

Aperuit Dominus os aſinæ, & locuta eſt.

Asina Balaam intelligitur fuiſſe locuta, Angelo tamen bono operante. *In quæſt. Diſput. q. 6. de potentia art. 5. ad tertium. v. 22. q. 165. art. 2. ad quartum.*

NVMERORVM Cap. 22. v. 35.

Vade cum iſtis, & caue ne aliud quàm præcepero tibi loquaris.

Videtur quòd Prophetæ dæmonum nunquam vera prædicant; quia omne verum à quocunque dicatur, à Spiritu Sancto eſt:

eſt: ſed Prophetæ dæmonum non loquuntur à Spiritu Sancto; quia
2.Cor.6. v. 15. *Non eſt conuentio Chriſti ad Belial*, vt dicitur; ergo videtur quòd tales nunquam vera prænuntiant.

2. Sicut veri Prophetæ inſpirantur à ſpiritu veritatis, ita Prophetæ dæmonum inſpirantur à ſpiritu
3. Reg. 22. v. 22 mendacii, ſecundùm illud, *Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*: ſed Prophetæ inſpirati à Spiritu Sancto nunquam loquuntur falſum; ergo Prophetæ dæmonum nunquam loquuntur verum.

Sed contra eſt quòd Balaam multa prænuntiauit vera, ſicut eſt id
Num. 24. v. 17 quod habetur, *Orietur ſtella ex Iacob*, & conſurget virga de Iſraël; ergo etiam Prophetæ dæmonum prænuntiant vera.

Dicendum quòd ſicut ſe habet bonum in rebus, ita verum in cognitione: impoſſibile eſt autem inueniri aliquid in rebus, quod totaliter bono priuetur. Vnde etiam impoſſibile eſt eſſe aliquam cognitionem quæ totaliter ſit falſa abſque admixtione alicuius veritatis.

Dęmõ aliquãdo verũ dicit. Vnde & ipſa doctrina dæmonum, qua ſuos Prophetas inſtruunt; aliqua vera continet, per quæ receptibilis redditur. Sic enim intellectus ad falſum deducitur, per apparentiam veritatis, ſicut voluntas ad malum per apparentiam bonitatis: vnde conceſſum eſt diabolo interdum vera dicere, vt mendacium ſuum rarâ veritate commendet.

Ad 1. R. quòd Prophetæ dæmonum non ſemper loquuntur ex dæmonum reuelatione, ſed interdum ex inſpiratione diuina; ſicut manifeſtè legitur de Baalam, cui dicitur Dominus eſſe locutus, vt patet in textu; licet eſſet Propheta dæmonum, quia Deus vtitur etiam malis ad vtilitatem bonorum. Vnde & per Prophetas dæmonum aliqua vera prænuntiat; vt credibilior fiat veritas, quæ etiam ex aduerſariis teſtimonium habet; tum etiam quia cùm homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Vnde etiam ſybillæ multa vera prædixerunt de Chriſto.

Sed etiam quando Prophetæ dæmonum à dæmonibus inſtruuntur, aliqua vera prædicunt, quandoque quidem virtute propriæ naturæ, cuius actor eſt Spiritus Sanctus; quandoque etiam reuelatione bonorum Spirituum. Et ſic etiam illud Verum quod per dæmones enuntiatur, à Spiritu Sancto eſt.

Ad 2. R. quòd verus Propheta ſemper inſpiratur à ſpiritu veritatis, in quo nihil eſt falſitatis, & ideo nunquam dicit falſum. Propheta autem falſitatis non ſemper inſtruitur à ſpiritu falſitatis; ſed quandoque etiam inſpiratur à ſpiritu veritatis. Ipſe etiam ſpiritus falſitatis quandoque enuntiat vera, quandoque falſa.

Nota quòd propria dæmonum dicuntur eſſe illa quæ habent à ſeipſis, ſcilicet mendacia & peccata. Quæ autem pertinent ad propriam naturam, non habent à ſeipſis, ſed à Deo. Per virtutem autem propriæ naturæ quandoque vera prænuntiant. Vtitur etiam eis Deus ad veritatis manifeſtationem per ipſos fiendam, dum diuina myſteria eis per Angelos reuelantur. 22. *q.* 172. *art.* 6.

Bibliotheq S. M. Tremp. ...

NVMERORVM Cap. XXIII. v. 19.

Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur.

DEus eſt veritas, nam veritas quædam perfectio intelligentiæ eſt, ſiue intellectualis operationis: intelligere autem Dei eſt ſua ſubſtantia; ipſum etiam intelligere cùm ſit diuinum eſſe, non ſuperueniente aliquâ perfectione perfectum eſt, ſed eſt per ſeipſum perfectum; relinquitur igitur quòd diuina ſubſtantia ſit ipſa veritas.

Item veritas eſt quædam bonitas intellectus: Deus autem eſt ſua bonitas; ergo eſt etiam ſua veritas.

Præterea, de Deo nihil participatiuè dici poteſt, cûm ſit ſuum eſſe, quod nihil participat: ſed veritas eſt in Deo; ſi igitur non dicatur participatiuè, oportet quòd dicatur eſſentialiter; Deus ergo eſt ſua veritas. Hoc autem confirmatur auctoritate Domini de ſe dicentis,

Ioan. 14. v. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita.*

Hoc autem oſtenſo, manifeſtum eſt quòd in Deo eſt pura veritas, cui nulla falſitas & deceptio admiſceri poteſt: veritas enim falſitatem non compatitur, ſicut nec albedo nigredinem Deus autem non ſolùm eſt verus, ſed eſt ipſa veritas; ergo in eo falſitas eſſe non poteſt

Ampliùs, intellectus non decipitur in cognoſcendo quod quid eſt; ſicut nec ſenſus in proprio ſenſibili: omnis autem cognitio diuini intellectus ſe habet ad modum intellectus cognoſcentis quod quid eſt; impoſſibile eſt igitur in diuina cognitione errorem, ſiue deceptionem, aut falſitatem eſſe.

Præterea, intellectus in primis principiis non errat, ſed in concluſionibus interdum, ad quas ex primis principiis ratiocinando procedit: intellectus autem diuinus non eſt ratiocinatiuus, aut diſcurſiuus; non igitur poteſt eſſe in ipſo falſitas nec deceptio.

Item, Quantò aliqua vis cognoſcitiua eſt altior, tantò eius proprium obiectum eſt vniuerſalius, plura ſub ſe continens; vnde id quod viſus cognoſcit per accidens, hoc ſenſus communis aut imaginatio apprehendit ſub proprio obiecto contentum: ſed vis diuini intellectus eſt in fine ſublimitatis in cognoſcendo; ergo omnia cognoſcibilia comparantur ad ipſum, ſicut cognoſcibilia propriè & per ſe, & non ſecundùm accidens. In talibus autem virtus cognoſcitiua non errat; in nullo igitur cognoſcibili poſſibile eſt diuinum intellectum errare.

Ampliùs, virtus intellectualis eſt quædam perfectio intellectus in cognoſcendo: ſecundùm autem virtutem intellectualem non contingit intellectum falſum dicere, ſed ſemper verum. Verum enim dicere, eſt bonus actus intellectus; virtutis autem eſt actum bonum reddere: ſed diuinus intellectus perfectior eſt per ſuam naturam, quàm intellectus humanus per habitum virtutis, eſt enim in fine perfectionis; relinquitur igitur quòd in intellectu diuino non poteſt eſſe falſi as.

Item, ſi verum eſt bonum intellectus, ita falſum eſt malum ipſius;

naturaliter enim appetimus verum cognoſcere, & refutamus falſo decipi: malum autem in Deo eſſe non poteſt; non poteſt igitur in eo eſſe falſitas. Hinc eſt quod dicitur, *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur*, vt patet in textu. *Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 60. *&* 61.

Idem locus explicatur ſupra *Gen. cap.* 6. *v.* 7.

NVMER. Cap. XXIV. *v.* 16.

Dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam altiſſimi, & viſiones omnipotentis vidit, qui cadens apertos habet oculos, videbo eum.

Videtur quòd Prophetia ſit naturalis, nam potior eſt cognitio vigilantis quàm dormientis: ſed dormientibus naturaliter contingit vt futura præuideant, ſicut patet in diuinationibus ſomniorum; ergo multò fortiùs in vigilando aliqui naturaliter futura poſſunt præuidere: hoc autem eſt Prophetæ officium; ergo aliquis naturaliter poteſt eſſe Propheta.

Dicitur quòd aliquid dicitur naturale dupliciter; vno modo quia eius principium actiuum eſt natura; ſicut naturale eſt igni ferri ſurſum. Alio modo quia natura eſt principium diſpoſitionum ipſius, non quarumlibet, ſed earum quæ ſunt neceſſariæ ad talem perfectionem; ſicut dicitur quod infuſio animæ rationalis eſt naturalis, inquantum per operationem naturæ corpus efficitur diſpoſitum diſpoſitione, quæ eſt neceſſitas ad animæ ſusceptionem.

Fuit igitur opinio quorumdam quòd Prophetia eſſet naturalis primo modo; quia dicebant animam habere in ſe vim quandam diuinationis. Sed ſi hoc eſſet, tunc in poteſtate haberet anima quandocunque vellet futura præcognoſcere, quod manifeſtè apparet eſſe falſum. Et præterea hoc apparet eſſe falſum, quia natura mentis humanæ nullius cognitionis naturaliter poteſt eſſe principium, in quam non poſſet peruenire per principia per ſe nota; quæ ſunt prima inſtrumenta intellectus agentis, ex quibus principiis in cognitionem futurorum contingentium perueniri non poteſt; niſi fortè per inſpirationem aliquorum ſignorum naturalium; ſicut medicus præcognoſcit ſanitatem, vel mortem futuram; vel aſtrologus tempeſtatem, vel ſerenitatem. Talis autem futurorum cognitio, non dicitur eſſe diuinationis vel Prophetiæ, ſed magis artis. Futurorũ cognitio.

Vnde alii dixerunt quòd Prophetia eſt naturalis ſecundo modò; quia ſcilicet natura ad talem diſpoſitionem poteſt hominem perducere, quod erit in neceſſitate ad recipiendum per actionem alicuius ſuperioris cauſæ præſcientiam futurorum. Quæquidem opinio eſt vera de quadam Prophetia, non autem de illa quæ inter dona Spiritus-Sancti computatur.

Vnde ad earum diſtinctionem habendam, ſciendum eſt quòd futura contingentia in duobus præexiſtunt, antequam ſint, ſcilicet in præſcientia diuina, & in cauſis creatis; quarum virtute futura illa educuntur in eſſe. In his autem duobus futura præexiſtunt diuerſimodè quantùm ad duo; *Primò* quantùm Futura præexiſtunt in duobus.

ad hoc quòd omnia quæ præexi-ſtunt in cauſis creatis, præexiſtunt etiam in diuina præſcientia ſed non è conuerſo; cùm quorundam futurorum rationes Deus in ſe retinuerit, rebus creatis eas non infundendo; ſicut eorum quæ miraculosè ſint ſolâ diuinâ virtute.

Secundò quantùm ad hoc quòd futura quædam præexiſtunt in cauſis creatis mobiliter, eo quòd virtus cauſæ quæ eſt ordinata ad talem effectum inducendum poteſt aliquo euentu impediri. Sed in diuina præſcientia omnia futura ſunt immobiliter; quia futura ſubduntur diuinæ præſcientiæ, non ſolùm ſecundùm cauſatum ſuarum ad ipſa, ſed etiam ſecundùm exitum ordinis vel euentum.

Præcognitio igitur futurorum poteſt cauſari in mente humana dupliciter: vno modo ex hoc quòd futura præexiſtunt in mente diuina: & ſecundùm hoc Prophetia donum

Prophetia naturalis & ſupernaturalis. Spiritus-Sancti ponitur. Et hæc non eſt naturalis: illa enim quæ ſiunt diuinitus ſine cauſis naturalibus mediis, non dicuntur eſſe naturalia, ſed miraculoſa. Huiuſmodi autem futurorum reuelatio fit abſque mediis cauſis naturalibus, cùm non hoc modo reuelentur prout rationes futurorum ſunt in cauſis creatis, ſed prout ſunt in mente diuina, à qua deriuantur in mente Prophetæ.

Alio modo ex virtute cauſarum creatarum, prout ſcilicet in virtutem imaginatiuam humanam poſſunt aliqui motus fieri ex virtute cœleſtium corporum in quibus præexiſtunt quædam ſigna futurorum quorundam; & ſecundùm quod intellectus humanus ex illuminatione intellectuum ſeparatorum, vt pote inferior, natus eſt inſtrui, & ad alia cognoſcenda eleuari: & hæc Prophetia modo prædicto poteſt dici naturalis.

Differt autem hæc Prophetia naturalis ab ea, de qua nunc loquimur in tribus: *Primò* in hoc quòd futurorum præuiſionem habet immediatè à Deo illa, de qua loquimur; quamuis Angelus poſſit eſſe miniſter, prout agit in virtute diuini luminis; naturalis verò ex propria actione cauſarum ſecundarum. *Secundò* in hoc quòd Prophetia naturalis non ſe extendit, niſi ad illa futura, quæ habent cauſas determinatas in natura: ſed Prophetia de qua loquimur, indifferenter ſe habet ad omnia.

Item in hoc quòd naturalis Prophetia non infallibiliter præuidet; ſed ſicut prædicuntur illa quæ ſunt vera vt in maiori parte; Prophetia verò quæ eſt Spiritus-Sancti donum, præuidet infallibiliter: vnde dicitur eſſe diuinæ præſcientiæ ſignum; quia ſecundùm illam infallibilitatem præuidet, ſecundùm quam futura ſunt à Deo præſcita.

Sed quantùm ad hoc quòd Prophetia eſt de rebus neceſſariis vel de ſcibilibus, manet duplex differentia, ſcilicet prima & ſecunda; quia per Prophetiam naturalem non accipit homo immediatè à Deo cognitionem illorum ſcibilium, ſed mediantibus cauſis ſecundis, & per operationem cauſarum ſecundarum in ſua virtute naturali agentium.

Nec iterum talis cognitio ad omnia neceſſaria ſe extendit, ſed ſolùm ad illa quæ poſſunt eſſe nota per prima principia, quia vltra illa vir-

tus luminis intellectus agentis non ſe extendit, nec naturaliter in alia eleuatur, ſicut Prophetia diuina eleuatur in quædam quæ ſunt ſupra naturalem cognitionem; vtpote Deum eſſe trinum & vnum, & alia huiuſmodi.

Sed tertia differentia remouetur in hac materia, quia vtraque Prophetia ita immobiliter & certiſſimè facit ſcire huiuſmodi ſcibilia neceſſaria, ſicut ſi ſcirentur per principia demonſtrationis.

Per Prophetiam etiam vtramque eleuatur mens hominis, vt quodammodo conformiter ſubſtantiis ſeparatis intelligat; quæ ſicut principia, ita & concluſiones ſimplici intuitu, ſiue deductione vnius ex altero certiſſimè vident.

Vtraque etiam Prophetia differt à ſomnio & viſione, vt ſomnium dicamus apparitionem, quæ fit homini in dormiendo; viſionem verò, quæ fit in vigilando; tamen homine à ſenſibus abſtracto; quia tam in ſomno quàm in viſione ſimplici, anima detinetur phantaſmatibus viſis, vel totaliter, vel in parte, vt ſcilicet inhæreat eis, tanquam veris rebus, vel totaliter, vel in parte.

Sed in vtraque Prophetia, etſi aliqua phantaſmata videantur in ſomno, vel in viſione; tamen anima Prophetæ illis phantaſmatibus non determinatur; ſed cognoſcit per lumen propheticum ea, quæ videt non eſſe res; ſed ſimilitudines aliquid ſignificantes, & earum ſignificationem cognoſcit; quia *intelligentia opus eſt in viſione* vt dicitur. *Dan. 10. v. 1.*

Et ſic patet quòd Prophetia naturalis media eſt inter ſomnium & Propheticam diuinam. Vnde & ſomnium dicitur eſſe pars vel caſus Prophetiæ naturalis: ſicut & Prophetia naturalis eſt quædam deficiens ſimilitudo Prophetiæ diuinæ.

Ad argum. R. quòd in cognitione duo eſt conſiderare, ſcilicet receptionem & iudicium de receptis. Quantùm igitur ad iudicium de receptis, potior eſt vigilantis cognitio, quàm dormientis; quia iudicium vigilantis eſt liberum, ſed iudicium dormientis, ligatum. Sed quantùm ad receptionem cognitio dormientis eſt potior, quia quieſcentibus ſenſibus ab exterioribus motibus, interiores impreſſiones magis recipiuntur, ſiue ſint ex ſubſtantiis ſeparatis, ſiue ex corporibus cœleſtibus. Vnde ſic poteſt intelligi quod dicitur in textu de Balaam qui cadit ſcilicet dormiendo, & ſic aperiuntur oculi eius. *In Quæſt. Diſp. q. 12. de verit. art. 3.*

Numerorum 24. v. 17. Orietur ſtella ex Iacob. citatur ſupra *num. cap. 22. v. 35.*

NVMER. Cap. XXV. v. 14.

Phinees perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus.

Explicatur ſupra *Exodi capite 2. v. 12.*

NVMER. Cap. XXVII. v. 8.

Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 22. v. 1.

NVMER. Cap. 27. v. 16.

Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 18. v. 21.

NVMER. Cap. XXVIII. v. 3.

Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 13. *v.* 2. & *Leuit. cap.* 4. *v.* 2.

NVMER. Cap. XXX. v. 3.

Si quis virorum votum Domino vouerit, omne quod promiſit implebit.

VIdetur quòd non omne votum obliget ad ſui obſeruationem; homo enim magis indiget his quæ per alium hominem fiunt, quàm Deus, qui bonorum noſtrorum non eget: ſed promiſſio ſimplex homini facta, non obligat ad obſeruandum ſecundùm inſtitutionem legis humanæ; quod eſſe videtur inſtitutum propter mutabilitatem humanæ voluntatis; ergo multò minùs ſimplex promiſſio Deo facta, quæ dicitur votum, obligat ad obſeruandum.

2. Nullus obligatur ad impoſſibile: ſed quandoque id quod quis vouit, fit ei impoſſibile; vel quia dependet ex alieno arbitrio; ſicut cùm quis vouet aliquod monaſterium intrare, cuius monachi nolunt eum recipere; vel propter emergentem defectum, ſicut mulier quæ vouit virginitatem ſeruare, & poſtea corrumpitur; vel vir qui vouet pecuniam dare, & poſteà amittit pecuniam; ergo votum non ſemper eſt obligatorium.

3. Illud ad cuius ſolutionem eſt aliquis obligatus, ſtatim ſoluere tenetur: ſed aliquis non ſtatim ſoluere tenetur illud quod vouit, præcipuè cùm ſub conditione futura vouet; ergo votum non ſemper eſt obligatorium.

Sed contra eſt, quod dicitur, *Quodcunque voueris redde; multóque melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.* Votum obligat.

Dicendum quòd ad fidelitatem hominis pertinet vt ſoluat id quod promiſit. Maximè autem debet homo Deo fidelitatem, tum etiam ratione beneficii ſuſcepti. Et ideo maximè obligatur ad hoc quòd impleat vota Deo facta: Hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo; fractio autem voti eſt quædam infidelitatis ſpecies. *Eccle. 5. v. 3.*

Ad 1. R. quòd ſecundùm honeſtatem ex qualibet promiſſione homo homini obligatur; & hæc eſt

obligatio iuris naturalis. Sed ad hoc quòd aliquis obligetur ex aliqua promiſſione obligatione ciuili, quædam alia requiruntur. Deus autem etſi bonis noſtris non egeat, ei tamen maximè obligamur: & ita votum ei factum eſt maximè obligatorium.

Ad 2. R. quòd ſi illud quod quis vouit, ex quacunque alia cauſa impoſſibile reddatur; debet hoc facere quod in ſe eſt, vt ſaltem habeat promptam voluntatem faciendi quod poteſt. Vnde ille qui vouit monaſterium aliquod intrare, debet dare operam, quantùm poteſt vt ibi recipiatur. Et ſi quidem intentio ſua fuit ſe obligare ad religionis ingreſſum principaliter, & ex conſequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quaſi magis ſibi congruentem; tenetur, ſi non poteſt ibi recipi, aliam religionem intrare.

Si autem principaliter intendit ſe obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum, propter ſpecialem complacentiam huius religionis vel loci; non tenetur alibi religionem intrare, ſi eum recipere nolunt.

Si verò incidit in impoſſibilitatem implendi votum ex propria culpa; tenetur inſuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere: ſicut mulier quæ vouit virginitatem, ſi poſtea corrumpatur; non ſolùm debet ſeruare quod poteſt, ſcilicet perpetuam continentiam; ſed etiam de eo quod amiſit peccando, pœnitere.

Ad 3. R. quòd obligatio voti ex propria voluntate & intentione cauſatur. Vnde dicitur, *Quòd ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis; & facies ſicut promiſiſti Domino* (*Deut. 23. v. 23.*) *Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore tuo locutus es.* Et ideo, ſi in intentione & voluntate vouentis eſt obligare ſe ad ſtatim ſoluendum, tenetur ſtatim ſoluere.

Si autem ad certum tempus, vel ſub certa conditione, non ſtatim tenetur ſoluere. Sed nec debet tardare vltra quàm intendit ſe obligare. Dicitur enim *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et, ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* (Ibid.) 22. q. 88. art. 3. V. 22. q. 189. art. 3.

NVMER. Cap. 30. v. 4.

Mulier ſi quippiam vouerit in ætate adhuc puellari, &c.

VIdetur quòd illi qui ſunt alterius poteſtati ſubiecti, non impediantur à vouendo; minus enim vinculum ſuperatur à maiori: ſed obligatio quâ quis ſubiicitur homini eſt minus vinculum quàm votum, per quod aliquis obligatur Deo; ergo illi qui ſunt alienæ poteſtati ſubiecti, non impediuntur à vouendo.

2. Filii ſunt in poteſtate patris: ſed filii poſſunt profiteri in aliqua religione etiam ſine voluntate parentum; ergo non impeditur aliquis à vouendo per hoc quòd eſt ſubiectus poteſtati alterius.

3. Maius eſt facere quàm promittere: ſed religioſi qui ſunt ſub poteſtate prælatorum, poſſunt aliqua facere ſine licentia ſuorum prælatorum; putà dicere aliquos pſalmos, vel facere aliquas abſtinentias; ergo videtur quòd multò magis poſſunt huiuſmodi Deo vouendo promittere.

Digitized by Google

4. Quicunque facit quod de iure facere non poteſt, peccat: ſed ſubditi non peccant vouendo, quia hoc nunquam inuenitur prohibitum; ergo videtur quòd de iure poſſint vouere.

Sed contra eſt quòd in textu mandatur, quòd ſi mulier in domo patris ſui & adhuc in puellari ætate, aliquid vouerit; non tenetur rea voti, niſi pater eius conſenſerit. Et idem dicit de muliere habente virum; ergo pari ratione nec aliæ perſonæ alterius poteſtati ſubiectæ, poſſint ſe voto obligare.

Dicendum quòd votum eſt promiſſio quædam Deo facta: nullus autem poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id quod eſt in poteſtate alterius; ſed ſolùm ad id quod eſt omnino in ſua poteſtate. Quicunque autem eſt ſubiectus alicui; quantùm ad id in quo eſt ſubiectus, non eſt ſuæ poteſtatis facere quod vult, ſed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non poteſt per ſe votum firmiter obligare in his in quibus alteri ſubiicitur, ſine conſenſu ſui ſuperioris.

Ad 1. R. quòd ſub promiſſione Deo facta non cadit niſi quod eſt virtuoſum: eſt autem contra virtutem vt id quod eſt alterius, homo offerat Deo. Et ideo non poteſt omnino ſaluari ratio voti, cùm quis in poteſtate alterius conſtitutus, vouet id quod eſt in poteſtate alterius, niſi ſub conditione; ſi ille ad cuius poteſtatem pertinet, non contradicat.

Ad 2. R. quòd ex quo homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis, quantùm ad ea quæ pertinent ad ſuam perſonam; putà quòd obliget ſe religioni per votum, vel quòd matrimonium contrahat. Non autem eſt ſuæ poteſtatis, quantùm ad diſpenſationem domeſticam. Vnde circa hoc non poteſt aliquid vouere quod ſit ratum, ſine conſenſu patris. Seruus autem qui eſt in poteſtate Domini, etiam quantùm ad perſonales operationes; non poteſt ſe voto obligare ad religionem, per quam ab obſequio Domini ſui abſtraheretur.

Ad 3. R. quòd religioſus ſubditus eſt prælato, quantùm ad ſuas operationes, ſecundùm profeſſionem regulæ. Et ideo, etiamſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur à prælato; quia tamen nullum tempus eſt exceptum, in quo prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare; nullum votum religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu prælati; ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris; nec vxoris niſi ſit de conſenſu viri.

Ad 4. R. quòd licet votum eorum qui ſunt alterius poteſtati ſubditi, non ſit firmum ſine conſenſu eorum quibus ſubiiciuntur; non tamen peccant vouendo; quia in eorum voto intelligitur debita conditio, ſi ſuis ſuperioribus placuerit, vel non renitantur. 22. *q.* 88. *art.* 8. *V.* 22. *q.* 89. *art.* 9. *ad tertium.*

Mulier ſi quippiam vouerit. Non reprehenditur mulier in puellari ætate conſtituta, ſi voueat abſque conſenſu parentum. Poteſt tamen reuocari à parentibus: ex quo patet quòd non peccat vouendo. Sed intelligitur ſe voto obligare quantùm in ſe eſt, abſque præiudicio

Digitized by Google

præiudicio auctoritatis paternæ. 22, *queſt.* 189. *art.* 5. *ad quartum.* Simile *Quodlibeto* 4. *art.* 23. *ad ſextum.*

NVMERORVM Cap. XXXI. v. 16.

Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël?

Videtur quòd peccatum non habeat cauſam exteriorem; peccatum enim eſt actus voluntarius: voluntaria autem ſunt eorum quæ ſunt in nobis, & ita non habent exteriorem cauſam; ergo peccatum non habet exteriorem cauſam.

2. Sicut natura eſt principium interius, ita etiam voluntas: ſed peccatum in rebus naturalibus nunquam accidit, niſi ex aliqua interiori cauſa, vt putà monſtruoſi partus proueniunt ex corruptione alicuius principii interioris; ergo neque in moralibus poteſt contingere peccatum niſi ex interiori cauſa; non ergo habet peccatum cauſam exteriorem.

3. Multiplicatâ cauſâ multiplicatur effectus: ſed quando plura ſunt & maiora exteriùs inducentia ad peccandum; tantò minùs ad quod quis inordinatè agit, ei imputatur ad peccatum, ergo nihil exterius eſt cauſa peccati.

Sed contra eſt quod dicitur in textu. Dicendum quòd cauſa interior peccati eſt & voluntas, vt perficiens actum peccati, & ratio, quantùm ad carentiam debitæ regulæ; & appetitus ſenſitiuus inclinans. Sic ergo aliquid extrinſecum tripliciter poſſet eſſe cauſa peccati, vel quia moueret immediatè ipſam voluntatem; vel quia moueret rationem: vel quia moueret appetitum ſenſitiuum: voluntatem autem interiùs mouere non poteſt niſi Deus, qui non poteſt eſſe cauſa peccati.

Vnde relinquitur quòd nihil exterius poteſt eſſe cauſa peccati, niſi vel inquantum mouet rationem, ſicut homo vel dæmon perſuadens peccatum; vel ſicut mouens appetitum ſenſitiuum, ſicut aliqua ſenſibilia exteriora mouent appetitum ſenſitiuum. Sed neque perſuaſio exterior in rebus agendis, ex neceſſitate mouet rationem; neque etiam res exteriùs propoſitæ ex neceſſitate mouent appetitum ſenſitiuum, niſi fortè aliquo modo diſpoſitum: & tamen etiam appetitus ſenſitiuus, non ex neceſſitate mouet rationem & voluntatem. Vnde aliquid exterius poteſt eſſe aliqua cauſa mouens ad peccandum, non tamen ſufficienter ad peccatum inducens: ſed cauſa ſufficienter complens peccatum eſt ſola voluntas.

Ad 1. R. quòd ex hoc ipſo, quòd exteriora mouentia ad peccandum, non ſufficienter & ex neceſſitate inducunt; ſequitur quòd remaneat in nobis peccare, & non peccare.

Ad 2. R. quòd per hoc quòd ponitur interior cauſa peccati, non excluditur exterior; non enim id quod eſt exterius, eſt cauſa peccati, niſi mediante cauſâ interiori, vt dictum eſt.

Ad 3. R. quòd multiplicatis exterioribus cauſis inclinantibus ad peccandum, multiplicantur actus peccati, quia plures ex illis cauſis, & pluries inclinant ad actus pec-

Digitized by Google

cati : ſed tamen minuitur ratio culpæ, quæ conſiſtit in hoc quòd aliquid ſit voluntarium & in nobis. 12. *q.* 75. *art.* 3.

NVMER. Cap. XXXVI. *v.* 6.

Hæc lex ſuper filiabus Salphaad à Domino promulgata eſt, nubant quibus volunt, tantùm vt ſuæ tribus hominibus.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 21. *v.* 1.

NVMERORVM Cap. 36. *v.* 7.

Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 21. *v.* 2.

Libri Numerorum finis.

LIBER DEVTERONOMII

CAPVT I. *v.* 12.

Deus addat ad hunc numerum.

VIDETVR quòd numerus prædeſtinatorum non ſit certus; numerus enim cui poteſt fieri additio, non eſt certus: ſed numero prædeſtinatorum poteſt fieri additio, vt patet in textu; ergo numerus prædeſtinatorum non eſt certus.

2. Operatio Dei eſt perfectior quàm operatio naturæ: ſed in operibus naturæ bonum inuenitur, vt in pluribus, defectus autem & malum vt in paucioribus. Si igitur à Deo inſtitueretur numerus ſaluandorum; plures eſſent ſaluandi quàm damnandi: cuius contrarium
Matth. 7. v. 13. oſtenditur, vbi dicitur, *Lata & ſpatioſa eſt via quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam: anguſta eſt porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Non ergo eſt præordinatus à Deo numerus ſaluandorum.

Dicendum quòd numerus prædeſtinatorum eſt certus Deo, non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter. Sed aduertendum eſt quòd numerus prædeſtinatorum certus Deo dicitur non ſolùm ratione cognitionis, quia ſcilicet ſcit quot ſint ſaluandi (ſic enim Deo certus eſt etiam numerus guttarum pluuiæ & arenæ maris) ſed ratione electionis & diffinitionis cuiuſdam.

Ad 1. R. quòd textus eſt intelligendus de illis qui ſunt prænoti à Deo reſpectu præſentis iuſtitiæ: Horum enim numerus & augetur & minuitur, & non numerus prædeſtinatorum.

Ad 2. R. quòd bonum proportionatum communi ſtatui naturæ accidit vt in pluribus, & deficit ab hoc bono, vt in paucioribus. Sed bonum quod excedit communem ſtatum naturæ, inuenitur vt in paucioribus, & deficit ab hoc bono vt in pluribus. Sicut patet quòd plures homines ſunt qui habent ſufficientem ſcientiam ad regimen vitæ ſuæ; pauciores autem qui hac ſcientiâ carent, qui moriones vel ſtulti dicuntur: ſed pauciſſimi ſunt reſpectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam ſcientiam intelligibilium rerum.

Cùm igitur beatitudo æterna in viſione Dei conſiſtens, excedat communem ſtatum naturæ, & præcipuè ſecundùm quod eſt gratiâ deſtituta per corruptionem ori-

ginalis peccati; pauciores ſunt qui ſaluantur. Et in hoc etiam maximè miſericordia Dei apparet quòd aliquos in illam ſalutem erigit, à qua plurimi deficiunt ſecundùm communem curſum & inclinationem naturæ. 1. p. q. 23. art. 7.

DEVTER. Cap. 1. v. 13.

Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, &c.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 18. *v.* 21.

DEVTER. Cap. 1. v. 15.

Tuli de veſtris tribubus viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos principes.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 18. *v.* 21.

DEVTER. Cap. 1. v. 17.

Ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiuſquam perſonam.

Videtur quòd rectores multitudinis non poſſint in legibus humanis diſpenſare; lex enim ſtatuta eſt pro communi vtilitate: ſed commune bonum non debet intermitti pro priuato commodo alicuius perſonæ; ergo videtur quòd non debeat diſpenſari cum aliquo, vt contra legem communem agat.

2. Illis qui ſuper alios conſtituuntur præcipitur, *Ita paruum audietis vt magnum*, vt patet in textu: ſed concedere alicui quod communiter denegatur omnibus, videtur eſſe acceptio perſonarum; ergo idem quod priùs.

Sed contra eſt quod dicit Apoſtolus, *Diſpenſatio mihi credita eſt.* 1. Cor. 9. v. 17.

Dicendum quòd diſpenſatio propriè importat commenſurationem alicuius communis ad ſingula; vnde etiam gubernator familiæ dicitur diſpenſator, inquantum vnicuique de familia cum pondere & menſura diſtribuit & operationes & neceſſaria vitæ.

Sic igitur & in quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis diſpenſare, quia ordinat qualiter aliquod commune præceptum ſit à ſingulis adimplendum. Contingit autem quandoque quòd aliquod præceptum, quod eſt ad commodum multitudinis vt in pluribus, non eſt conueniens huic perſonæ, vel in hoc caſu; quia vel per hoc impediretur aliquid melius; vel etiam induceretur aliquod malum.

Periculoſum autem eſſet vt hoc iudicio cuiuſlibet committeretur, niſi fortè propter euidens & ſubitum periculum; & ideo ille qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana quæ ſuæ auctoritati innititur; vt ſcilicet in perſonis vel in caſibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat vt præceptum legis non ſeruetur.

Si autem abſque hac ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens: infidelis quidem ſi non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem ſi rationem diſpenſandi ignoret.

Ad 1. R. quòd quando cum aliquo diſpenſatur vt legem communem non ſeruet; non debet fieri in præiudicium boni communis; ſed

Digitized by Google

eâ intentione vt ad bonum commune proficiat.

Ad 2. R. quòd non eſt acceptio perſonarum, ſi non ſeruentur æqualia in perſonis inæqualibus. Vnde quando conditio alicuius perſonæ requirit rationabiliter, vt in ea aliquid ſpecialiter obſeruetur; non eſt perſonarum acceptio, ſi ſibi aliqua ſpecialis gratia fiat.

Nota quòd lex naturalis inquantum continet præcepta communia quæ nunquam fallunt, diſpenſationem recipere non poteſt; in aliis verò præceptis quæ ſunt quaſi concluſiones præceptorum communium, quandoque per hominem diſpenſatur; putà quòd mutuum non reddatur proditori patriæ, vel aliquid huiuſmodi: ad legem autem diuinam ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona priuata ad legem publicam, cui ſubiicitur. Vnde ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille à quo lex auctoritatem habet, vel is cui ipſe commiſerit; ita in præceptis iuris diuini, quæ ſunt à Deo, nullus poteſt diſpenſare niſi Deus; vel is cui ipſe ſpecialiter committeret. 12. *q.* 97. *art.* 4.

Ita paruum audietis vt magnum. Videtur quòd reuertentes ab hæreſi ſint omnino ab Eccleſia recipiendi; dicitur enim ex perſona
Hierē 3. v. 1. Domini, *fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus*: ſed Eccleſiæ iudicium eſt iudiciũ Dei, vt patet in textu; ergo ſi aliqui fornicati fuerint per infidelitatem, quæ eſt ſpiritualis fornicatio, nihilominus ſunt recipiendi.

Matth. 18. v. 22. 2. Dominus Petro mandat vt fratri peccanti dimittat *Non ſolùm ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*; Per quæ intelligitur quod quotieſcunque aliquis peccauerit, eſt ei dimittendum; ergo quotieſcunque aliquis peccauerit in hæreſim relapſus, erit ab Eccleſia ſuſcipiendus.

3. Hæreſis eſt quædam infidelitas: ſed alii infideles volentes conuerti, ab Eccleſia ſuſcipiuntur, ergo etiam hæretici ſunt recipiendi.

Dicendum quòd Eccleſia ſecundùm Domini inſtitutionem, charitatem ſuam extendit ad omnes, non ſolùm amicos, verum etiam *Inimicos, & perſequentes* vt patet: Pertinet autem ad charitatem vt aliquis Matth. 5. v. 44. bonum proximi & velit & operetur. Eſt autem duplex bonum, vnum quidem ſpirituale, ſcilicet ſalus animæ; quod principaliter reſpicit charitas: Hoc enim quilibet ex charitate debet alii velle. Vnde quantùm ad hoc, hæretici reuertentes, quotieſcunque relapſi fuerint; ab Eccleſia recipiuntur ad pœnitentiam, per quam impenditur eis via ſalutis.

Aliud autem eſt bonum quod ſecundariò reſpicit charitas, ſcilicet bonum temporale, ſicut eſt vita corporalis, poſſeſſio mundana & bona fama, & dignitas eccleſiaſtica ſiue ſecularis. Hoc enim non tenemur ex charitate aliis velle, niſi in ordine ad ſalutem æternam & eorum, & aliorum. Vnde ſi aliquid de huiuſmodi bonis exiſtens in vno impedire poſſit æternam ſalutem in multis; non oportet quòd ex charitate huiuſmodi bonum ei velimus; ſed potiùs vt velimus eum illo carere, tum quia ſalus æterna præferenda eſt bono temporali; tum quia bonum multorum præfertur bono vnius.

Si autem hæretici reuertentes.

Digitized by Google

ſemper reciperentur, vt conſeruarentur in vita, & aliis temporalibus bonis; poſſet in præiudicium ſalutis aliorum hoc eſſe: tum quia ſi relaberentur, alios inficerent; tum etiam quia ſi ſine pœna euaderent, alii ſecuriùs in hæreſim laberentur. Dicitur enim *Etenim quia non citò profertur contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Et ideo Eccleſia Primò quidem reuertentes ab hæreſi non ſolùm recipit ad pœnitentiam, ſed etiam conſeruat eos in vita, & interdum reſtituit eos diſpenſatiuè ad Eccleſiaſticas dignitates, quas priùs habebant, ſi videantur verè conuerſi. Et hoc pro bono pacis frequenter legitur eſſe factum.

Eccle. 8. v. 11.

Hæretici redeuntes quomodo recipiē-di.

Sed quando recepti iterum relabuntur, videtur eſſe ſignum inconſtantiæ eorum circa fidem. Et ideò vlteriùs redeuntes, recipiuntur quidem ad pœnitentiam; non tamen vt liberentur à ſententia mortis.

Ad 1. R. quòd in iudicio Dei ſemper recipiuntur redeuntes; quia Deus ſcrutator eſt cordium, & verè redeuntes cognoſcit. Sed hoc Eccleſia imitari non poteſt: præſumit enim eos non verè reuerti, qui cùm recepti fuiſſent, iterum ſunt relapſi. Et ideo eis viam ſalutis non denegat; ſed à periculo mortis eos non tuetur.

Ad 2. R. quòd Dominus loquitur Petro de peccato in eum commiſſo, quod eſt ſemper dimittendum vt fratri redeunti parcatur. Non autem intelligitur de peccato in proximum vel in Deum commiſſo; quod non eſt noſtri arbitrii dimittere: ſed in hoc eſt à lege modus ſtatutus, ſecundùm quod congruit honori Dei, & vtilitati proximorū.

Ad 3. R. quòd alii infideles qui nunquam fidem acceperunt, conuerſi ad fidem, nondum oſtenderunt aliquod ſignum inconſtantiæ circa fidem, ſicut hæretici relapſi. Et non eſt ſimilis ratio de vtriſque. 22. q. 11. art. 4.

Non accipietis cuiuſquam perſonam. Videtur quòd perſonarum acceptio non ſit peccatum; in nomine enim perſonæ intelligitur perſonæ dignitas: ſed conſiderare dignitates perſonarum pertinet ad diſtributiuam iuſtitiam; ergo perſonarum acceptio non eſt peccatum.

2. In rebus humanis perſonæ ſunt principaliores, quàm res; quia res ſunt propter perſonas, & non è conuerſo: ſed rerum acceptio non eſt peccatum; ergo multò minùs acceptio perſonarum.

3. Apud Deum nulla poteſt eſſe iniquitas, vel peccatum: ſed Deus videtur perſonas accipere; quia interdum duorum hominum vnius conditionis, vnum aſſumit per gratiam, & alterum relinquit in peccato; *Duo erunt in lecto, vnus aſſumetur, & alius relinquetur*; ergo acceptio perſonarum non eſt peccatum. Luca. 17. v. 34.

Dicendum quòd perſonarum acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ: conſiſtit enim æqualitas diſtributiuæ iuſtitiæ in hoc, quòd diuerſis perſonis, diuerſa tribuuntur ſecundùm proportionem ad dignitates perſonarum.

Si ergo aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ, propter quam id quod ei confertur, eſt ei debitum, non eſt acceptio perſonæ; ſed cauſæ. Putà ſi aliquis promoueat aliquem ad magiſterium propter ſufficientiam ſcientiæ; hic an-

tenditur cauſa debita, non perſona. Si autem aliquis conſideret in eo cui aliquid confert, non id propter quod id quod ei datur, eſſet ei proportionatum, vel debitum; ſed ſolùm hoc quod eſt iſte homo (putà Petrus, vel Martinus) hic eſt acceptio perſonæ; quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam cauſam quæ faciat eum dignum, ſed ſimpliciter attribuitur perſonæ.

Acceptio perſonarum peccatū eſt.

Ad perſonam autem refertur quæcunque conditio non faciens ad cauſam, propter quam ſit dignus hoc dono. Puta ſi aliquis promoueat aliquem ad prælationem vel magiſterium, quia eſt diues; vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſt acceptio perſonæ.

Contingit tamen aliquam conditionem perſonæ facere eam dignam reſpectu vnius rei, & non reſpectu alterius: ſicut conſanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quòd inſtituatur hæres patrimonii; non autem ad hoc quod conferatur ei prælatio Eccleſiaſtica. Et ideo eadem conditio perſonæ in vno negotio conſiderata facit acceptionem perſonæ; in alio autem non facit.

Sic ergo patet quòd perſonarum acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, in hoc quod præter proportionem agitur: nihil autem opponitur virtuti niſi peccatum. Vnde conſequens eſt quòd perſonarum acceptio ſit peccatum.

Ad 1. R. quòd in diſtributiua iuſtitia conſiderantur conditiones perſonarum quæ faciunt ad dignitatis, vel debiti cauſam: ſed in acceptione perſonarum conſiderantur conditiones quæ non faciunt ad cauſam, vt dictum eſt.

Ad 2. R. quòd perſonæ proportionantur & dignæ redduntur aliquibus quæ eis diſtribuuntur, propter aliquas res quæ pertinent ad conditionem perſonæ: & ideo huiuſmodi conditiones ſunt attendendæ tanquam propriæ cauſæ. Cùm autem conſiderantur ipſæ perſonæ, attenditur non cauſa vt cauſa: & ideo patet quòd quamuis perſonæ ſint digniores ſimpliciter, non tamen ſunt digniores quo ad hoc.

Ad 3. R. quòd duplex eſt datio: vna quidem pertinens ad iuſtitiam, qua ſcilicet aliquis dat alicui quod ei debetur. Et circa tales donationes attenditur perſonarum acceptio. Alia eſt datio ad liberalitatem pertinens, qua ſcilicet gratis datur alicui quod ei non debetur. Et talis eſt collatio munerum gratiæ, per quæ peccatores aſſumuntur à Deo. Et in hac donatione non habet locum perſonarum acceptio; quia quilibet abſque iniuſtitia poteſt de ſuo dare quantùm vult, & cui vult. 22. *q.* 63. *art.* 1.

DEVTER. Cap. IV. v. 2.

Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ab eo.

ARguitur, ſacra ſcriptura eſt regula fidei, cui nec addere, nec ſubtrahere licet, vt patet in textu; ergo illicitum fuit aliquod ſymbolum conſtituere quaſi regulam fidei, poſt factam ſcripturam editam.

Ad argum. R. quòd veritas fidei in ſacra ſcriptura diffusè continetur & variis modis, & in quibuſdam obſcurè; ita quòd ad eliciendum fidei veritatem ex ſacra ſcriptura re- Symboli fidei neceſſitas.

quiritur longum ſtudium & exercitium; ad quod non poſſunt peruenire omnes illi quibus neceſſarium eſt cognoſcere fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati, ſtudio vacare non poſſunt; ideo fuit neceſſarium vt ex ſententiis ſacræ ſcripturæ aliquid manifeſtum ſummariè colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum; quod quidem non eſt additum ſacræ ſcripturæ, ſed potiùs ex ſacra ſcriptura ſumptum. 22. *q.* 1. *art.* 9. *ad primum.*

Nō addetis ad verbū. Videtur quòd in veteri lege inconuenienter tradātur præcepta pertinentia ad ſcientiā & intellectū; ſcientia enim & intellectus ad cognitionē pertinent; cognitio autem præcedit & dirigit actionem, ergo præcepta ad ſcientiā & intellectum pertinentia, debent præcededere præcepta pertinētia ad actionē. Cùm ergo prima præcepta legis ſint præcepta decalogi, videtur quòd inter præcepta decalogi debuerunt tradi aliqua præcepta ad ſcientiam & intellectum.

2. Diſciplina præcedit doctrinam: priùs enim homo ab alio diſcit, quàm alium doceat: ſed dantur in veteri lege aliqua præcepta de doctrina, & affirmatiua, vt
Deut. 4. v. 9. præcipitur *Docebis eas filios, aut nepotes tuos*: & etiam prohibitiua, vt patet in textu, ergo videtur quòd etiam aliqua præcepta dari debuerint inducentia hominem ad diſcendum.

3. Scientia & intellectus magis
Malach. 2. v. 7. videntur neceſſaria ſacerdoti, quàm regi, vnde dicitur *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Et dicitur, *quia*
Oſee 4. v. 6. *repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, ne ſacerdotio fungaris mihi*: ſed regi mandatur quod addiſcat ſcientiam legis, vt patet; ergo multò magis debuit præcipi in lege quòd ſacerdotes legem addiſcerent. Deut. 17. v. 19

4. Meditatio eorum quæ ad ſcientiam & intellectum pertinent, non poteſt eſſe in dormiendo; impeditur etiam per occupationes extraneas; ergo inconuenienter præcipitur, *Meditaberis ea ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens*; inconuenienter ergo traduntur in veteri lege præcepta ad ſcientiam & intellectum pertinentia. Deut. 6. v. 7.

Sed contra eſt quod dicitur, *Audientes vniuerſi præcepta hæc dicant; en populus ſapiens & intelligens.* Deut. 4. v. 6.

Dicendum quòd circa ſcientiam & intellectum tria poſſunt conſiderari: *Primò* quidem acceptio ipſius; *Secundò* vſus eius; tertiò verò conſeruatio ipſius. Acceptio quidem ſcientiæ vel intellectus fit per doctrinam & diſciplinam: & vtrumque in lege præcipitur: dicitur enim, *erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi in corde tuo*; quod pertinet ad diſciplinam: pertinet enim ad diſciplinam vt cor ſuum applicet his quæ dicuntur. Quod verò ſubditur, *& narrabis ea filijs tuis*, pertinet ad doctrinam. Vſus verò ſcientiæ vel intellectus eſt meditatio eorum quæ quis ſcit vel intelligit. Et quantùm ad hoc ſubditur, *Et meditaberis ſedens in domo tua.* Conſeruatio autem fit per memoriam, & quantùm ad hoc ſubditur, *Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtijs domus tuæ.* Deut. 6. v. 6.

Per quæ omnia iugem memoriam mandatorum

mandatorum Dei ſignificat; ea enim quæ continuò ſenſibus noſtris occurrunt; vel tactu, ſicut ea quæ in manu habemus; vel viſu ſicut ea quæ ante oculos ſunt continuè, vel ea quæ oportet nos ſæpe recurrere, ſicut oſtium domus; à memoria noſtra excidere non poſſunt. Et manifeſtiùs dicitur, *Ne obliuiſcaris verborum quæ viderunt oculi, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.* Et hæc etiam abundantiùs in nouo Teſtamento, tam in doctrina Euangelica quàm apoſtolica, mandata leguntur.

Deut. 4. v. 9.

Deut 4. v. 6.

Ad 1. R. quòd ſicut dicitur, *Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis*: ex quo datur intelligi quòd ſcientia & intellectus fidelium Dei, conſiſtit in præceptis legis. Et ideò primò ſunt proponenda legis præcepta; & poſtmodum homines ſunt inducendi ad eorum ſcientiam vel intellectum. Et ideo præmiſſa præcepta non debuerunt poni inter præcepta decalogi, quæ ſunt prima.

Ad 2. R. quòd etiam in lege ponuntur præcepta pertinentia ad diſciplinam: expreſſiùs tamen præcipitur doctrina, quàm diſciplina; quia doctrina pertinet ad maiores qui ſunt ſui iuris, immediatè ſub lege exiſtentes, quibus debent dari legis præcepta. Diſciplina autem pertinet ad minores, ad quos præcepta legis per maiores debent peruenire.

Ad 3. R. quòd ſcientia legis eſt adeo annexa officio ſacerdotis, vt ſimul cum iniunctione officii, intelligatur etiam & ſcientiæ legis iniunctio. Et ideo non oportuit ſpecialia præcepta dari de inſtructione ſacerdotum. Sed doctrina legis Dei non adeo eſt annexa regali officio; quia rex conſtituitur ſuper populum in temporalibus, & ideo ſpecialiter præcipitur vt rex inſtruatur de his quæ pertinent ad legem Dei per ſacerdotes.

Ad 4. R. quòd illud præceptum legis non eſt ſic intelligendum, quòd homo dormiendo meditetur de lege Dei; ſed quod dormiens, id eſt, vadens dormitum, de lege Dei meditetur; quia ex hoc etiam homines dormiendo adipiſcuntur meliora phantaſmata, ſecundùm quod pertranſeunt motus à vigilantibus ad dormientes. Similiter etiam mandatur vt in omni actu ſuo aliquis meditetur de lege; non quòd ſemper actu de lege cogitet: ſed quòd omnia quæ facit, ſecundùm legem moderetur. 22. *quæſt.* 16. *art.* 2.

Non addetis ad verbum. Videtur quòd nihil liceat addere verbis, in quibus conſiſtit forma ſacramentorum; non enim minoris ſunt neceſſitatis huiuſmodi verba ſacramentalia, quàm verba ſcripturæ ſacræ: ſed verbis ſacræ ſcripturæ nihil licet addere vel minuere, vt patet in textu. Et, *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri huius; ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet ſuper eum Deus plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitæ.* Ergo videtur quòd neque in formis Sacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

Apoc. vlt. v. 18.

2. Verba ſe habent in Sacramentis per modum formæ: ſed in formis quælibet additio vel ſubtractio variat ſpeciem, ſicut & in numeris; ergo videtur quòd ſi aliquid addatur vel ſubtrahatur à forma Sacramenti, nô erit idem Sacramentũ.

3. Sicut ad formam Sacramenti requiritur determinatus numerus dictionum; ita etiam requiritur determinatus ordo verborum, & etiam orationis continuitas. Si ergo additio, vel ſubtractio non auferr Sacramenti veritatem; videtur quòd pari ratione nec tranſpoſitio verborum, aut etiam interpolatio pronunriationis

Sed contra eſt quòd in formis Sacramentorum quædam apponuntur à quibuſdam, quæ ab aliis non apponuntur; ſicut Latini baptiſant ſub hac forma, ego te baptiſo in nomine patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Græci autem ſub iſta; Baptiſetur ſeruus Chriſti N. in nomine patris &c. Et tamen vtrique verum conferunt Sacramentum; ergo in formis Sacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

Dicendum quòd circa omnes iſtas mutationes quæ poſſunt in formis Sacramentorum contingere, duo videntur eſſe conſideranda, vnum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad Sacramentum. Et ideo ſi intendat per huiuſmodi additionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus; non videtur perfici Sacramentum; quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Eccleſia. Aliud autem eſt conſiderandum ex parte ſignificationis verborum: cùm enim verba operentur in Sacramentis quantùm ad ſenſum quem faciunt; oportet conſiderare vtrum per talem mutationem tollatur debitus ſenſus verborum; quia ſi ſic, manifeſtum eſt quòd tollitur veritas Sacramenti.

Manifeſtum eſt autem quòd ſi diminuatur aliquid eorumquæ ſunt de ſubſtantia formæ Sacramentalis; tollitur debitus ſenſus verborum; & ideo non perficitur Sacramentum. Si autem ſubtrahatur aliquid quod non ſit de ſubſtantia formæ; talis diminutio non tollit debitum ſenſum verborum, & per conſequens nec Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt, hoc eſt enim corpus meum, ly enim ſublatum, non tollit debitum ſenſum verborum; & ideo non impedit perfectionem Sacramenti: quamuis poſſit contingere quòd ille qui prætermittit, peccet ex negligentia, vel contemptu.

Circa additionem etiam contingit aliquid apponi quod eſt corruptiuum debiti ſenſus; puta ſi aliquis dicat, Ego te baptiſo in nomine Patris maioris & filii minoris; ſicut Ariani baptiſabanr. Et ideo talis additio tollit veritatem Sacramenti. Si verò talis additio quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur Sacramenti veritas.

Ad 1. R. quòd ad verba ſacræ ſcripturæ non licet aliquid apponere quantùm ad ſenſum, ſed quantùm ad expoſitionem ſacræ ſcripturæ, multa verba eis à doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba ſacræ ſcripturæ apponere; ita quòd dicantur eſſe de integritate ſacræ ſcripturæ; quia hoc eſſet vitium falſitatis. Et ſimiliter ſi quis diceret aliquid eſſe de neceſſitate formæ, quod non eſt.

Ad 2. R. quòd verba pertinent ad formam Sacramenti ratione ſenſus ſignificati. Et ideo quæcunque fiat additio vel ſubtractio verborum, quæ non addat aliquid, aut ſubtrahat debito ſenſui, non tollitur ſpecies Sacramenti.

Digitized by Google

Ad 3. R. quòd ſi ſit tanta interruptio verborum, quòd intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur ſenſus Sacramenti, & per conſequens veritas eius: non autem tollitur quando eſt parua interruptio, quæ intentionem prohibentis, & intellectum verborum non aufert.

Et idem eſt etiam dicendum de tranſpoſitione verborum; quia ſi tollit ſenſum locutionis, non perficitur Sacramentum; ſicut patet de negatione præpoſita, vel poſtpoſita ſigno. Si autem ſit talis tranſpoſitio, quæ ſenſum locutionis non variet; non tollitur veritas Sacramenti; quia nomina & verba tranſpoſita idem ſignificant. 3 *p. q.* 60. *art.* 8.

DEVTER. Cap. 4. *v.* 6.

Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc dicant, en populus ſapiens & intelligens.

EXplicatur ſupra *Deuteron. cap.* 4. *v.* 2.

DEVTER. Cap. 4. *v.* 8.

Quæ eſt alia gens ſic inclita, vt habeat cæremonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſalem legem?

VIdetur quòd omnes homines obligabantur ad obſeruandum veterem legem, quicunque enim ſubditur regi, oportet quòd ſubdatur legi ipſius: ſed vetus lex eſt data à Deo, qui eſt rex omnis terræ; ergo omnes habitantes terram tenebantur ad obſeruantiam legis.

2. Iudæi ſaluari non poterant niſi legem veterem obſeruarent, dicitur enim *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit.* Si igitur alii homines ſine obſeruantia legis veteris potuiſſent ſaluari, peior fuiſſet conditio Iudæorum, quàm aliorum hominum. Deut. 27. v. 26

3. Gentiles ad ritum Iudaicum, & ad obſeruantias legis admittebantur; dicitur enim *si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur priùs omne maſculinum eius; & tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ*: Fruſtra autem ad obſeruantias legales fuiſſent extranei admiſſi ex ordinatione diuina, ſi abſque legalibus obſeruantiis ſaluari potuiſſent; ergo nullus ſaluari poterat, niſi legem obſeruaret. Ex. 12. v. 48.

Dicendum quòd lex vetus manifeſtabat præcepta legis naturæ, & ſuperaddebat quædam propria præcepta; quantùm igitur ad illa quæ lex vetus continebat de lege naturæ, omnes tenebantur ad obſeruantiam veteris legis; non quia erat de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ: ſed quantùm ad illa quæ lex vetus ſuperaddebat, non tenebantur aliqui ad obſeruantiam veteris legis niſi ſolus populus Iudæorum.

Cuius ratio eſt quia lex vetus data eſt populo Iudæorum, vt quandam prærogatiuam ſanctitatis obtineret, propter reuerentiam Chriſti qui ex illo populo naſciturus erat. Quæcunque autem ſtatuuntur ad ſpecialem aliquorum ſanctificationem, non obligant niſi illos: ſicut ad quædam obligantur clerici, qui mancipantur diuino miniſterio, ad quæ laici non obligantur.

Digitized by Google

Similiter & religioſi ad quædam perfectionis opera obligantur ex ſua profeſſione, ad quæ ſeculares non obligantur. Et ſimiliter ad quædam ſpecialia obligabatur populus ille, ad quæ alii populi non obligabantur.

Ad 1. R. quòd quicunque ſubduntur regi, obligantur ad legem eius obſeruandam, quam omnibus communiter proponit: ſed ſi inſtituat aliqua obſeruanda à ſuis familiaribus miniſtris; ad hæc cæteri non obligantur.

Ad 2. R quòd homo quantò Deo magis coniungitur, tantò efficitur melioris conditionis. Et ideo quantò populus Iudæorum erat aſtrictus magis ad diuinum cultum, dignior aliis populis erat: vnde dicitur: *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, &c.* Vt patet in textu. Et ſimiliter etiam quantùm ad hoc ſunt melioris conditionis clerici, quàm laici, & religioſi, quàm ſeculares.

Ad 3. R. quòd gentiles perfectiùs & ſecuriùs ſalutem conſequebantur ſub obſeruantiis legis, quàm ſub ſola lege naturali; & ideo ad eas admittebantur. Sicut etiam nunc laici tranſeunt ad clericatum, & ſeculares ad religionem; quamuis abſque hoc poſſint ſaluari. 12. *q.* 98. *art.* 5.

DEVTER. Cap. IV. *v.* 9.

Docebis ea filios aut nepotes tuos.

EXplicatur ſupra *Deuter. cap.* 4. *v.* 2.

DEVTER. Cap. 4. *v.* 13.

Oſtendit vobis pactum ſuum quod præcepit vt faceretis, & decem verba quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis: mihique mandauit in illo tempore vt docerem vos cæremonias & iudicia, quæ facere deberetis in terra quam poſſeſſuri eſtis.

VIdetur quòd lex vetus non contineat præcepta cæremonialia præter moralia; omnis enim lex quæ hominibus datur, eſt directiua humanorum actuum: actus autem humani morales dicuntur; ergo videtur quòd in lege veteri hominibus data non debeant contineri niſi præcepta moralia.

2. Præcepta quæ dicuntur cæremonialia, videntur ad diuinum cultum pertinere: ſed diuinus cultus eſt actus virtutis, ſcilicet religionis; cùm igitur præcepta moralia ſint de actibus virtutum, videtur quòd præcepta cæremonialia non ſint diſtinguenda à moralibus.

3. Præcepta cæremonialia eſſe videntur quæ figuratiuè aliquid ſignificant: ſed verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi vt ait Aug. Ergo nulla neceſſitas fuit vt in lege continerentur præcepta cæremonialia de aliquibus actibus figuratiuis.

Sed contra eſt quod dicitur in textu, nam decem præcepta legis ſunt moralia; ergo præter præcepta moralia, ſunt etiam alia præcepta cæremonialia.

Dicendum quòd lex diuina principaliter inſtituitur ad ordinandum homines ad Deum: Lex autem humana principaliter ad ordinandum

Digitized by Google

homines adinuicem: & ideo leges humanæ non curauerunt aliquid inſtituere de cultu diuino, niſi in ordine ad bonum commune hominum, & propter hoc etiam mala confinxerunt circa res diuinas, ſecundùm quod videbatur eis expediens ad informandos mores hominum, ſicut patet in ritu gentilium. Sed lex diuina è conuerſo homines adinuicem ordinauit, ſecundùm quod conueniebat ordini qui eſt in Deum quem principaliter intendebat.

Ordinatur autem homo in Deum non ſolùm per interiores actus mentis (qui ſunt credere, ſperare, & amare) ſed etiam per quædam exteriora opera, quibus homo diuinam ſeruitutem profitetur. Et iſta opera dicuntur ad cultum Dei pertinere, qui quidem cultus cæremonia vocatur, quaſi munia, id eſt, dona Cereris, quæ dicebatur dea frugum; eo quòd primò ex frugibus oblationes Deo offerebantur. Siue nomen cæremoniæ introductum eſt ad ſignificandum cultum diuinum apud Latinos, à quodam oppido iuxta Romam quod Cære vocabatur; eo quòd Roma capta à Gallis, illuc ſacra Romanorum oblata ſunt, & reuerendiſſimè habita. Sic igitur illa præcepta quæ in lege pertinent ad cultum Dei, ſpecialiter cæremonialia dicuntur.

Cæremoniæ vnde dictæ.

Ad 1. R. quòd humani actus ſe extendunt etiam ad cultum diuinum; & ideo non de his cont[illegible] præcepta lex vetus homini[illegible] data.

Ad 2. R. quòd præcepta legis naturæ communia ſunt & indigent determinatione. Determinantur autem & per legem humanam, & per legem diuinam. Et ſicut ipſæ determinationes quæ fiunt per legem humanam, non dicuntur eſſe de lege naturæ, ſed de iure poſitiuo; ita ipſæ determinationes præceptorum legis naturæ, quæ fiunt per legem diuinam, diſtinguuntur à præceptis moralibus quæ pertinent ad legem naturæ. Colere ergo Deum cùm ſit actus virtutis, pertinet ad præceptum morale: ſed determinatio huius præcepti (vt ſcilicet colatur talibus hoſtiis, & talibus muneribus) hoc pertinet ad præcepta cæremonialia. Et ideo præcepta cæremonialia diſtinguuntur à præceptis moralibus.

Ad 3. R. quòd diuina hominibus manifeſtari non poſſunt, niſi ſub aliquibus ſimilitudinibus ſenſibilibus: ipſæ autem ſimilitudines magis mouent animum, quando non ſolùm verbo exprimuntur, ſed etiam ſenſui offeruntur. Et ideo diuina traduntur in ſcripturis, non ſolùm per ſimilitudines verbo expreſſas (ſicut patet in metaphoricis locutionibus) ſed etiam per ſimilitudines rerum quæ viſui proponuntur; quod pertinet ad præcepta moralia. 12. *q. 99. art 3.*

DEVTER. Cap. 4. *v.* 19.

Ne videas ſolem & lunam & cætera aſtra, & errore deceptus adores ea.

CReaturæ rationales gubernantur propter ſeipſas, aliæ verò in ordine ad eas; nam ipſa cognitio intellectualis naturæ ſecundùm quam eſt domina ſui actus prouidentiæ curam requirit, qua ſibi propter ſe prouideatur: aliorum verò conditio qui non habent dominium

Digitized by Google

ſui actus, hoc indicat quòd eis non propter ipſa cura impendatur, ſed velut ad alia ordinatis.

Quod enim ab altero tantùm agitur, rationem inſtrumenti habet; quod verò per ſe agit, habet rationem principalis agentis: inſtrumentum autem non quæritur propter ſeipſum, ſed vt eo principale agens vtatur: vnde oportet quòd omnis operationis diligentia quæ circa inſtrumenta adhibetur, ad principale agens referatur ſicut ad finem.

Quod autem circa principale agens, vel ab ipſo, vel ab alio adhibetur, inquantum eſt principale agens, propter ipſum eſt. Diſponuntur ergo à Deo intellectuales creaturæ quaſi propter ſe procuratæ creaturæ verò aliç quaſi ad rationales creaturas ordinatç.

Adhuc, quod dominium ſui actus habet, liberum eſt in agendo; liber enim eſt qui ſui causâ eſt: Quod autem quadam neceſſitate ab alio agitur ad operandum, ſeruituti ſubiectum eſt. Omnis autem alia creatura naturaliter ſeruituti ſubiecta eſt; ſola verò natura intellectualis libera eſt: in quolibet autem regimine liberis prouidetur propter ſeipſos; ſeruis autem vt ſint in vſum liberorum. Sic igitur per diuinam prouidentiam intellectualibus creaturis prouidetur propter ſe; cæteris autem creaturis propter ipſas per hoc autem quod dicimus ſubſtantias intellectuales propter ſe à diuina prouidentia ordinari, non intelligimus quòd ipſæ vlteriùs non referantur in Deum & ad perfectionem vniuerſi. Sic igitur propter ſe procurari dicuntur, & alia propter ipſa; quia bona quæ propter diuinam prouidentiam ſortiuntur, non eis ſunt data propter alterius vtilitatem: quæ verò aliis dantur, in eorum vſum ex diuina ordinatione cedunt. Hinc eſt quod dicitur, *Ne videas ſolem & lunam & cætera aſtra, & errore deceptus adores ea quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt.* Et dicitur, *Omnia ſubiecisti ſubpedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.* *Pſ. 8. v. 8.*

Per hoc autem excluditur error ponentium homini eſſe peccatum, ſi animalia bruta occidat; ex diuina enim prouidentia naturalia bruta in vſum hominis ordinantur: vnde abſque iniuria homo eis vtitur occidendo, vel quolibet alio modo. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 112.*

DEVTER. Cap. 4. v. 19.

Solem & lunam creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus.

VIdetur quòd diuina prouidentia non diſponat corpora inferiora per corpora cœleſtia; nam id propter quod ſit aliud, eſt eo nobilius: ſed omnia facta ſunt propter hominem etiam corpora cæleſtia, vt patet in textu; ergo homo eſt dignior corporibus cœleſtibus: ſed vilius non influit in nobilius; ergo corpora cœleſtia non influunt in corpus humanum; & eadem ratione nec in alia corpora quæ ſunt priora humano corpore, ſicut ſunt elementa.

Dicendum corpora cœleſtia eſſe cauſam inferiorum per viam motus tantùm; & ſic eſſe media in opere gubernationis, non autem in opere creationis; quia omnia à Deo

immediatè condita ſunt.

Ad argum. R. quòd corpus cœleſte non eſt factum propter hominem, ſicut propter principalem finem: ſed finis principalis eius eſt bonitas diuina. Et iterum quòd homo ſit nobilior cœleſti corpore non eſt ex natura corporis, ſed ex natura animæ rationalis.

Et præterea dato quod etiam corpus hominis eſſet ſimpliciter nobilius quàm corpus cœleſte; nihil prohibet tamen corpus cœli ſecundùm aliquid nobilius eſſe humano corpore, inquantum ſcilicet habet virtutem actiuam, homo autem paſſiuam; & ſic poterit agere in ipſum: & ſic etiam ignis inquantum eſt actu calidum agit in corpus humanum inquantum eſt calidum potentiâ. *In quæſt. diſput. quæſt. 5. de verit. art. 9.*

Idem locus explicatur ſupra *Gen. cap. 1. v. 14.*

DEVTER. Cap. 5. *v.* 1.

Audi Iſrael cæremonias atque iudicia.

VIdetur quòd præter præcepta moralia & cæremonialia non ſint aliqua præcepta iudicialia in veteri lege; nam iudicium videtur eſſe actus iuſtitiæ, ſecundùm illud *Pſ. 93. v. 15.* *Quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium*: ſed actus iuſtitiæ, ſicut & actus cæterarum virtutum pertinet ad præcepta moralia; ergo præcepta moralia includunt in ſe iudicialia, & ſic non debent ab eis diſtingui.

Deut 6. v. 1. Sed contra eſt quod dicitur, *Hæc ſunt præcepta & cæremoniæ atque iudicia*: præcepta autem antonomaſticè dicuntur moralia; ergo præter pręcepta moralia & cęremonialia, ſunt etiam iudicialia.

Dicendum quòd ad legem diuinam pertinet vt ordinet homines adinuicem, & ad Deum: vtrumque autem horum, in communi quidem pertinet ad dictamen legis naturæ, ad quod referuntur moralia pręcepta: ſed oportet quòd determinetur vtrumque per legem diuinam vel humanam; quia principia naturaliter nota ſunt communia tam in ſpeculatiuis, quàm in actiuis.

Sicut igitur determinatio communis pręcepti de cultu diuino fit per præcepta cæremonialia; ſic & determinatio communis præcepti de iuſtitia obſeruanda inter homines, determinatur per pręcepta iudicialia: & ſecundùm hoc oportet tria pręcepta legis veteris ponere, ſcilicet moralia, quæ ſunt de dictamine legis naturæ; cæremonialia, quæ ſunt determinationes cultus diuini; & iudicialia, quæ ſunt determinationes iuſtitiæ inter homines obſeruandę. Vnde cùm Apoſt. dixiſſet quòd *Lex eſt Sancta*; ſubiungit quod *Mandatum eſt iuſtum, & bonum, & Sanctum.* *Rom. 7. v. 12.* Iuſtum quidem quantùm ad iudicia; Sanctum quantùm ad cæremonialia (nam Sanctum dicitur quod eſt Deo dicatum); bonum, id eſt, honeſtum quantùm ad moralia.

Nota quòd tam præcepta moralia quàm etiam iudicialia, pertinent ad directionem vitæ humanæ: & ideo vtraque continentur ſub pręceptis vitæ agendę.

Nota ſecundò quod iudicium, in his verbis, *à iudicijs tuis non declinaui*, ſignificat executionem iu- *Pſ. 118. v. 102.*

ſtitiæ; quæquidem eſt ſecundùm applicationem rationis ad aliqua particularia determinatè: vnde præcepta iudicialia communicant in aliquo cum moralibus, inquantum ſcilicet à ratione deriuantur: & in aliquo cum cæremonialibus, inquantum ſcilicet ſunt quædam determinationes communium præceptorum. Et ideo quandoque ſub iudiciis, comprehenduntur præcepta iudicialia & moralia, vt patet in textu: Quandoque verò iudicialia & cæremonialia, ſicut dicitur
Leu. 18 v. 4. *Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſeruabitis.* Vbi præcepta ad moralia referuntur, iudicia verò ad iudicialia & cæremonialia.

Ad argum. R. quòd actus iuſtitiæ in generali pertinet ad præcepta moralia: ſed determinatio eius in ſpeciali pertinet ad præcepta iudicialia. 12. *q.* 99. *art.* 4.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 22. *v.* 26.

DEVTER. Cap. 5. v. 5.

Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos.

VIdetur quòd oblationes non ſolùm ſacerdotibus debeantur; inter oblationes enim præcipuè videmus eſſe quæ hoſtiarum ſacrificiis deputantur: ſed ea quæ pauperibus dantur hoſtiæ dicuntur
Hebr. 13. v. 16. ſecundùm illud, *Beneficientiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus*; ergo multò magis oblationes pauperibus debentur.

2. In multis parochiis Monachi de oblationibus partem habent; ergo non ſolùm ſacerdotibus oblationes debentur.

3. Laïci de voluntate Eccleſiæ emunt oblationes, & panes & huiuſmodi: ſed non niſi vt hæc in ſuos vſus conuertant; ergo oblationes poſſunt etiam ad laicos pertinere.

Dicendum quòd ſacerdos quodammodo conſtituitur ſequeſter & medius inter populum & Deum, ſicut de Moyſe legitur in textu. Et ideo ad eum pertinet diuina dogmata & Sacramenta exhibere populo: & iterum ea quæ ſunt populi, puta preces & Sacrificia & oblationes, per eum Domino debent exhiberi, ſecundùm illud *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Et ideo oblationes quæ à populo Deo exhibentur, ad ſacerdotes pertinent; non ſolùm vt eas in ſuos vſus conuertant; verùm etiam vt eas fideliter diſpenſent: partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum diuinum; partim verò in his quæ pertinent ad proprium victum; quia *Qui altari deſeruiunt, cum altari participant*; partim etiam in vſus pauperum, qui ſunt (quantùm fieri poteſt) de rebus Eccleſiæ ſuſtentandi; quia & Dominus in vſum pauperum loculos habebat. Hebr. 5. v. 1. 1 Cor. 9. v. 13.

Ad 1. R. quòd ea quæ pauperibus dantur, ſicut non propriè ſunt ſacrificia; dicuntur tamen ſacrificia, inquantum eis dantur propter Deum; ita etiam ſecundùm eandem rationem oblationes dici poſſunt, tamen non propriè dictæ, quia non immediatè Deo offeruntur: Oblationes verò propriè dictæ, in vſum pauperum cedunt, non per diſpenſationem offerentium, ſed per diſpenſationem ſacerdotum.

Ad 2. R.

Digitized by Google

Monachi tripiciter oblationes recipiũt

Ad 2. R. quòd Monachi, ſiue alii religioſi; poſſunt oblationes recipere tripliciter; vno modo ſicut pauperes, per diſpenſationem ſacerdotis vel ordinationem Eccleſiæ. Alio modo ſi ſint miniſtri altaris, tunc poſſunt accipere oblationes ſponte oblatas. Tertio modo ſi parochiæ ſint eorum, & tunc ex debito poſſunt accipere oblationes, tanquam Eccleſiæ rectores.

Ad 3. R. quòd oblationes poſtquam fuerint conſecratæ, non poſſunt cedere in vſum laicorum; ſicut vaſa & veſtimenta ſacra. Illa verò quæ non ſunt conſecrata, poſſunt in vſum laicorum cedere ex diſpenſatione ſacerdotum; ſiue per modum donationis, ſiue per modum venditionis. 22. *q.* 86. *art.* 2.

Ego medius fui inter Deum & vos. Videtur quòd ſubditi teneantur ſuis ſuperioribus in omnibus obedire, dicitur enim. *Filij obedite parentibus per omnia.* Et poſtea ſubdit, *Serui obedite per omnia dominis carnalibus*; ergo eadem ratione alii ſubditi debent prælatis ſuis in omnibus obedire. (Coloſ. 3. v. 20.)

2. Prælati ſunt medii inter Deum & ſubditos, vt patet in textu: ſed ab extremo in extremum non peruenitur niſi per medium; ergo præcepta prælati ſunt reputanda tanquam præcepta Dei: vnde & Apoſtolus dicit. *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Ieſum Chriſtum.* Et, *Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed, ſicut verè eſt, verbum Dei*; ergo ſicut homo debet Deo obedire in omnibus, ita & prælatis. (Gal. 4. v. 14. 1. Theſſ. 2. v. 13.)

3. Sicut religioſi profitendo vouent caſtitatem & paupertatem, ita & obedientiam: ſed religioſus tenetur quantùm ad omnia ſeruare caſtitatem & paupertatem; ergo ſimiliter quantùm ad omnia tenetur obedire.

Sed contra eſt quod dicitur, *obedire oportet Deo magis quàm hominibus*: ſed quandoque præcepta prælatorum ſunt contra Deum; ergo non in omnibus Prælatis eſt obediendum. (Act. 5. v. 29.)

Dicendum quòd obediens mouetur ad imperium præcipientis quadam neceſſitate iuſtitiæ, ſicut res naturalis mouetur ex virtute ſui motoris neceſſitate naturæ. Quod autem aliqua res naturalis non moueatur à ſuo motore, poteſt contingere dupliciter: vno modo propter impedimentum quod prouenit ex fortiori virtute alterius mouentis; ſicut lignum non comburitur ab igne, ſi fortior vis aquæ impediat.

Quãdo inferior tenetur obedire ſuperiori.

Alio modo ex defectu ordinis mobilis ad motorem; quia etſi ſubiiciatur eius actioni quantùm ad aliquid, non tamen quantùm ad omnia; ſicut humor quandoque ſubiicitur actioni caloris, quantùm ad calefieri, non tamen quantùm ad exſiccari ſiue conſumi.

Et ſimiliter ex duobus poteſt contingere quòd ſubditus ſuo ſuperiori non teneatur in omnibus obedire: vno modo propter præceptum maioris poteſtatis. Alio modo non tenetur inferior ſuo ſuperiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei non ſubdatur.

Tenetur autem homo homini obedire in his quæ exteriùs per corpus ſunt agenda; in quibus tamen ſecundùm ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini

Digitized by Google

obedire non tenetur, ſed ſolùm Deo; quia omnes homines naturâ ſunt pares; putà in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem & prolis generationem.

Vnde non tenentur nec ſerui dominis, nec filii parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruanda, aut aliquo alio huiuſmodi. Sed in his quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire, ſecundùm rationem ſuperioritatis; ſicut miles duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum; ſeruus domino, in his quæ pertinent ad ſeruilia opera exequenda; filius patri, in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam; & ſic de aliis.

Ad 1. R. quòd hoc quod Apoſtolus dicit, intelligendnm eſt *per omnia* quantùm ad illa quæ pertinenr ad ius patriæ vel dominatiuæ poteſtatis.

Ad 2. R. quòd Deo ſubiicitur homo ſimpliciter quantùm ad omnia & interiora & exteriora, & ideo in omnibus ei obedire tenetur. Subditi autem non ſubiiciuntur ſuis ſuperioribus quantùm ad omnia; ſed quantùm ad aliqua determinatè: & quantùm ad illa medii ſunt inter Deum & ſubditos. Quantùm ad alia verò immediatè ſubduntur Deo, à quo inſtruuntur per legem naturalem vel ſcriptam.

Ad 3. R. quòd religioſi obedientiam profitentur quantùm ad regularem conuerſationem, ſecundùm quam ſuis prælatis ſubduntur. Et ideo quantùm ad illa ſolà obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem conuerſationem pertinere. Et hæc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem.

Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis; dum tamen illa non ſint contra Deum aut contra profeſſionem regulæ; quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui, vna ſufficiens ad ſalutem; quæ ſcilicet obedit in his ad quæ obligatur: Alia perfecta quæ obedit in omnibus licitis: Alia indiſcreta, quæ etiam in illicitis obedit. 22. *q.* 104. *art.* 5. Obedientia triplex.

Ego medius fui inter Deum & vos. Videtur quòd eſſe mediatorem Dei & hominum non ſit proprium Chriſto, ſicut enim ſacerdos, ita & propheta videtur eſſe mediator inter Deum & homines, vt patet in textu: ſed eſſe Prophetam & ſacerdotem, non eſt proprium Chriſto; ergo nec eſſe mediatorem.

2. Illud quod conuenit Angelis bonis & malis, non poteſt dici eſſe proprium Chriſto: ſed eſſe medium inter Deum & homines, conuenit Angelis bonis & malis; habent enim quædam communia cum Deo, ſcilicet immortalitatem; ergo idem quod priùs.

3. Ad officium mediatoris pertinet interpellare ad vnum eorum inter quos eſt mediator pro altero: ſed Spiritus-Sanctus *Interpellat pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus*; ergo Spiritus-Sanctus eſt mediator inter Deum & homines, non ergo eſt proprium Chriſto. Rom 8. v. 34.

Sed contra eſt quod dicitur, *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* 1. Tim. 2. v. 5.

Dicendum quòd ad mediatoris officium propriè pertinet coniun-

gere & vnire eos, inter quos eſt mediator: nam extrema vniuntur in medio. Vnire autem homines Deo perfectiuè quidem conuenit Christo, per quem homines ſunt reconciliati Deo; ſecundùm illud *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*: & ideo ſolus Chriſtus eſt perfectus Dei & hominum mediator, inquantum per mortem ſuam humanum genus Deo reconciliauit: vnde cùm Apoſtolus dixiſſet, *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, ſubiungit, *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*.

Mediatoris officiũ. 2. Cor 5. v. 19.

Nihil tamen prohibet aliquos alios ſecundùm quid dici mediatores inter Deum & homines, prout ſcilicet cooperantur ad vnionem hominum cum Deo diſpoſitiuè vel miniſterialiter.

Ad 1. R. quòd Prophetæ & ſacerdotes veteris Teſtamenti dicti ſunt mediatores inter Deum & homines, diſpoſitiuè & miniſterialiter; inquantum ſcilicet prænuntiabant & præfigurabant verum & perfectum Dei & hominum mediatorem. Sacerdotes verò noui Teſtamenti poſſunt dici mediatores Dei & hominum, inquantum ſunt miniſtri veri mediatoris vice ipſius ſalutaria Sacramenta hominibus exhibentes.

Ad 2. R. quòd Angeli boni non rectè poſſunt dici mediatores inter Deum & homines. Cùm enim vtrumque habeant commune cum Deo, & beatitudinem & immortalitatem; nihil autem horum cum hominibus miſeris & mortalibus; quomodo non potiùs remoti ſunt ab hominibus, Deóque coniuncti, quàm inter vtroſque medii conſtituti? Dicuntur tamen eſſe medii; quia ſecundùm gradum naturæ ſunt infra Deum, & ſupra homines conſtituti; & mediatoris officium exercent; non quidem principaliter & perfectiuè, ſed miniſterialiter & diſpoſitiuè: vnde dicitur quòd *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*, ſcilicet Chriſto.

Angeli quomodo mediatores. Matth. 4. v. 11.

Dæmones autem habent communem cum Deo immortalitatem, cum hominibus autem miſeriam: ad hoc enim ſe interponit medium dæmon immortalis & miſer, vt ad immortalitatem beatam tranſire non ſinat; ſed perducat ad miſeriam immortalem. Vnde eſt ſicut malus medius qui ſeparat amicos. Chriſtus autem habuit communem cum Deo beatitudinem; cum hominibus autem mortalitatem. Et ideo ad hoc ſe interpoſuit medium, vt mortalitate trãſactâ, & ex mortuis faceret immortales (quod in ſe reſurgendo monſtrauit) & ex miſeris beatos efficeret, vnde nunquam ipſe deceſſit. Et ideo ipſe eſt bonus mediator qui reconciliat inimicos.

Ad 3. R. quòd Spiritus-Sanctus cùm ſit per omnia Deo æqualis, non poteſt dici medius vel mediator inter Deum & homines, ſed ſolus Chriſtus; qui licet ſecundùm diuinitatem æqualis ſit patri, tamen ſecundùm humanitatem minor eſt patre. Dicitur autem Spiritus interpellare pro nobis, quia ipſe interpellare nos facit. *3. p. q. 26. art. 1.*

DEVTER. Cap. 5. v. 14.

In die Sabbati requieſcat ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu.

EXplicatur ſupra *Exodi capite 21. v. 2.*

HHh ij

DEVTER. Cap. 5. v. 29.

Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me?

VIdetur quòd principium pœnitentiæ non ſit ex timore; pœnitentia enim incipit in diſplicentia peccatorum: ſed hoc pertinet ad charitatem; ergo pœnitentia magis oritur ex amore quàm ex timore.

2. Ad pœnitentiam homines prouocantur per expectationem regni cœleſtis, ſecundùm illud *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*: ſed regnum cœlorum eſt obiectum ſpei; ergo pœnitentia magis procedit ex ſpe, quàm ex timore. *Matth. 3. & 4. v. 2. & 4.*

3. Timor eſt quidam actus interior hominis: pœnitentia autem non videtur in nobis eſſe ex opere hominis, ſed ex opere Dei, ſecundùm illud *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam*; ergo pœnitentia non procedit ex timore. *Hierem 31. v. 19.*

Sed contra eſt quod dicitur *Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus*, ſcilicet per pœnitentiam. Et poſtea ſubditur ſecundùm aliam literam *A timore tuo Domine concepimus & quaſi parturiuimus & peperimus ſpiritum ſalutis*, id eſt, pœnitentiæ ſalutaris; vt per præmiſſa patet; ergo pœnitentia procedit ex timore. *Eſai. 26 v. 18.* *Iuxta. 70.*

Dicendum quòd de pœnitentia loqui poſſumus dupliciter: vno modo quantùm ad habitum; & ſic immediatè à Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus; non tamen ſine nobis diſpoſitiuè cooperantibus per aliquos actus.

Alio modo poſſumus loqui de pœnitentia quantùm ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium eſt Dei operatio conuertentis cor; ſecundùm illud *Conuerte nos Domine ad te & conuertemus*. *Threnor. 5. v. 21.*

Secundus actus eſt motus fidei. Tertius eſt motus timoris ſeruilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus motus eſt actus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum, & non iam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. *Pœnitentiæ ſex actus.*

Sic igiter patet quòd actus pœnitentiæ à timore ſeruili procedit ſicut à primo motu affectus ad hoc ordinato; à timore autem filiali ſicut ab immediato & proximo principio.

Ad 1. R. quòd peccatum priùs incipit homini diſplicere (maximè peccatori) propter ſupplicia, quæ reſpicit timor ſeruilis, quàm propter Dei offenſam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem.

Ad 2. quòd in regno cœlorum appropinquante, intelligitur aduentus regis, non ſolùm præmiantis, ſed etiam punientis. Vnde Ioannes Baptiſta dicebat, *Progenies viperarum quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?* *Matth. 3. v. 7.*

Ad 3. R. quòd ipſe etiam motus timoris procedit ex actu Dei conuertentis cor, vt patet in textu. Et

Digitized by Google

ideo per hoc quòd pœnitentia à timore procedit, non excluditur quin procedat ex actu Dei conuertentis cor. 3. p. q. 85. art. 5.

DEVTER. Cap. VI. v. 1.

Hæc ſunt præcepta & cæremoniæ.

EXplicatur ſupra *Gen. cap. 4. v. 3. & Deuter. cap. 5. v. 1.*

DEVTER. Cap. 6. v. 4.

Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.

DEus ſummè & veriſſimè vnus eſt: ſecundùm enim quòd aliquid ſe habet ad indiuiſionem, ita ſe habet ad vnitatem; quia ens dicitur vnum in eo quod non diuiditur. Et ideo illa quæ ſunt indiuiſa per ſe, veriùs ſunt vnum quàm illa quæ ſunt indiuiſa per accidens; ſicut albus & fortes; quæ ſunt vnum per accidens.

Deus maximè vnus. Et inter illa quæ ſunt vnum per ſe, veriùs ſunt vnum, quæ ſunt indiuiſa ſimpliciter, quàm quæ ſunt indiuiſa reſpectu alicuius vel generis, vel ſpeciei, vel proportionis: vnde etiam non dicuntur ſimpliciter vnum; ſed vnum vel in genere, vel in ſpecie, vel proportione. Et quod eſt ſimpliciter indiuiſum, dicitur ſimpliciter vnum, quod eſt vnum numero.

Nota quòd vnum dupliciter dicitur: eſt enim vnum quod conuertitur cum ente, & eſt vnum quod eſt principium numeri. Loquendo de vno quod conuertitur cum ente, non eſt determinatum ad genus quantitatis, imò inuenitur in omnibus entibus; & ſicut Deus eſt ens, non aliquo eſſe, quod non ſit ipſe, ita etiam eſt vnus, non aliquâ vnitate, quæ non ſit ipſe; ſed per eſſentiam ſuam, & ideo maximè vnum eſt.

Loquendo autem de vno quod eſt principium numeri, non poteſt tranſumi in diuinam prædicationem quantùm ad genus ſuum, quod eſt quantitas; ſed quantùm ad differentiam ſuam, quæ ad perfectionem pertinet; ſicut indiuiſibilitas, & prima ratio menſurandi, vel aliquid huiuſmodi.

Dices, nihil poteſt dici vnum, niſi quod eſt in ſe terminatum, & diſtinctum ab aliis; vnde vnitas conſequitur actum formæ terminantis: ſed Deus non poteſt dici in ſe terminatus; ergo non eſt vnus.

R. quòd Deus eſt aliquid determinatum in ſe, alias non poſſunt de ipſo negari conditiones aliorum entium. Nec dicitur determinatum ens, quia aliquo termino finitus ſit; ſed quia per excellentiam ſui eſſe, quod eſt ſimpliciſſimum, additionem non recipiens, ab omnibus aliis diſtinguitur. *Lib. 1. ſent. Diſt. 24. art. 1.*

Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt. Per diuinam legem homines ad rectam fidem obligantur. Sicut enim amationis corporalis principium eſt viſio quæ eſt per oculum corporalem; ita etiam dilectionis ſpiritualis initium eſſe oportet viſionem intelligibilem diligibilis ſpiritualis: Viſio autem illius diligibilis ſpiritualis, quod eſt Deus, in præſenti haberi non poteſt à nobis niſi per fidem; eo quòd naturalem rationem excedit, &

Digitized by Google

præcipuè ſecundum quod in eius fruitione noſtra beatitudo conſiſtit; igitur ex lege diuina in fidem rectam inducimur.

Item, lex diuina ad hoc ordinat hominem, vt ſit totaliter ſubditus Deo: ſed ſicut homo ſubditur Deo amando quantū ad voluntatem ita credendo quantùm ad intellectum, non autem credendo aliquid falſum; quia à Deo qui eſt veritas, nullum falſum homini proponi poteſt: vnde qui credit aliquod falſum, non credit Deo; ex lege igitur diuina ordinantur homines ad fidem rectā.

Adhuc, quicunque errat circa aliquid quod eſt de eſſentia rei, non cognoſcit illam rem: ſicut ſi aliquis apprehenderet animal irrationale æſtimans hoc eſſe hominem, non cognoſceret hominem. Secus autem eſſet ſi erraret circa aliquod accidentium eius: ſed in compoſitis qui errat circa aliquod principiorum eſſentialium, etſi non cognoſcat rem ſimpliciter, tamen cognoſcit eam ſecundùm quid: ſicut qui exiſtimat hominem eſſe animal irrationale, cognoſcit eum ſecundùm genus ſuum: in ſimplicibus autem hoc non poteſt accidere; ſed quilibet error totaliter excludit cognitionem rei.

Deus autem eſt maximè ſimplex; ergo quicunque errat circa Deum, non cognoſcit Deum: ſicut qui credit Deum eſſe corpus, nullo modo cognoſcit Deum; ſed apprehendit aliquid aliud loco Dei. Secundùm autem quod aliquid cognoſcitur, ſecundùm hoc amatur & deſideratur: qui ergo errat circa Deum, nec amare poteſt Deum, nec deſiderare ipſum vt finem: cùm igitur lex diuina ad hoc tendat, vt homines ament & deſiderent Deum; oportet quòd ex lege diuina homines obligentur ad rectam fidem habendam de Deo.

Ampliùs, falſa opinio ita ſe habet in intelligibilibus ſicut vitium virtuti oppoſitum in moralibus; nam bonum intellectus eſt verum: ſed ad legem diuinam pertinet vitia prohibere; ergo ad eam etiam pertinet falſas opiniones de Deo, & de his quæ ſunt Dei excludere.

Hinc eſt quod dicitur, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Et in textu, antequam alia præcepta legis ponantur, præſtituitur recta fides de Deo cùm dicitur. *Audi Iſrael, &c.* Per hoc autem excluditur error quorundam dicentium quòd nihil refert ad ſalutem hominis cum quacunque fide ſeruiat Deo. *Contra Gentiles lib. 3. cap.* 118. *Hebr. 11. v. 6.*

Audi Iſrael Dominus Deus tuus vnus eſt. Videtur quòd Deus non ſit vnus; dicitur enim, *Si quidem ſunt dij multi & Domini multi.* *1. Cor 8. v. 5.*

2. Vnum quod eſt principium numeri, non poteſt prædicari de Deo, cùm nulla quantitas de Deo prædicetur; ſimiliter nec vnum quod conuertitur cum ente; quia importat priuationem, & omnis priuatio imperfectio eſt, quæ Deo non competit; non eſt igitur dicendum quòd Deus ſit vnus.

Sed contra eſt quod dicitur in textu. Dicendum quòd Deum eſſe vnum, ex tribus demonſtratur. *Primò* quidem ex eius ſimplicitate: manifeſtum eſt enim quòd illud vnde aliquid ſingulare eſt hoc aliquid, nullomodo eſt multis communicabile; illud enim vnde ſortes eſt homo multis communicari poteſt: ſed id vnde eſt hic homo,

Digitized by Google

non poteſt communicari niſi vni tantùm. Si ergo Sortes per id eſſet homo, per quod eſt hic homo; ſicut non poſſunt eſſe plures Sortes, ita non poſſent eſſe plures homines. Hoc autem conuenit Deo; quia Deus eſt idem quòd ſua eſſentia vel natura.

Ad cuius intellectum ſciendum eſt quòd in rebus compoſitis ex materia & forma, neceſſe eſt quòd differant natura vel eſſentia & ſuppoſitum; quia eſſentia vel natura comprehendit tantùm illa quæ cadunt in diffinitione hominis; his enim homo eſt homo: & hoc ſignificat humanitas, ſcilicet illud quo homo eſt homo.

Deus vnus eſt

Sed materia indiuidualis cum accidentibus omnibus indiuiduantibus ipſam, non cadit in diffinitione ſpeciei; non enim cadunt in diffinitione hominis hæ carnes, & hæc oſſa, aut albedo vel nigredo, vel aliquid huiuſmodi: Vnde hæ carnes, & hæc oſſa & accidentia deſignantia hanc materiam non includuntur in humanitate; & tamen in eo quod eſt homo includuntur: vnde id quod eſt homo, habet in ſe aliquid quod non habet humanitas. Et propter hoc non eſt totaliter idem homo & humanitas: ſed humanitas ſignificatur vt pars formalis hominis; quia principia diffinientia habent ſe formaliter reſpectu materiæ indiuiduantis.

In his igitur quæ non ſunt compoſita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio non eſt per materiam indiuidualem, id eſt, per hanc materiam; ſed ipſæ formæ per ſe indiuiduantur: oportet quòd ipſæ formæ ſint ſuppoſita ſubſiſtentia. Vnde in eis non differt ſuppoſitum & natura.

Et ſic cùm Deus non ſit compoſitus ex materia & forma; eſt enim purus actus non habens aliquid de potientialitate; oportet quòd Deus ſit ſua deitas, ſua vita, & quicquid aliud ſic de Deo prædicatur: & per conſequens ſecundùm idem eſt Deus, & hic Deus; impoſſibile eſt igitur eſſe plures deos.

Secundò verò ex infinitate eius perfectionis: nam Deus comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi; quia ſunt in eo perfectiones omnium rerum: quicquid enim perfectionis eſt in effectu, oportet inueniri in cauſa effectiua; vel ſecundùm eandem rationem, ſi ſit agens vniuocum, vt homo generat hominem: vel eminentiori modo, ſi ſit agens æquiuocum; ſicut in ſole eſt ſimilitudo eorum quæ generantur per virtutem ſolis.

Manifeſtum eſt enim quòd effectus præexiſtit virtute in cauſa agente: præexiſtere autem in virtute cauſæ agentis, non eſt præexiſtere imperfectiori modo; ſed perfectiori: licet præexiſtere in potentia cauſæ materialis, ſit præexiſtere imperfectiori modo; eò quòd materia inquantùm huiuſmodi, eſt imperfecta; agens verò inquantùm huiuſmodi, eſt perfectum.

Cum ergo Deus ſit prima cauſa effectiua rerum, oportet omnium rerum perfectiones præexiſtere in Deo ſecundùm eminentiorem modum: ſi ergo eſſent plures dii, oporteret eos differre; aliquid ergo conueniet vni quod non alteri: & ſi hoc eſſet perfectio, alteri eorum deeſſet: & ſic ille in quo eſſet priuatio, nõ eſſet ſimpliciter perfectus; impoſſibile eſt ergo plures eſſe deos.

Digitized by Google

Ad 1. R. quòd dicuntur dii multi ſecundùm errorem quorundam qui multos deos colebant; exiſtimantes planetas, & alias ſtellas eſſe deos, vel etiam ſingulas partes mundi. Vnde ſubdit, *Nobis autem vnus Deus, &c.*

Ad 2. R. quòd vnum ſecundùm quod eſt principium numeri, non prædicatur de Deo; ſed ſolum de his quæ habent eſſe in materia. Vnum enim quod eſt principium numeri, eſt de genere mathematicorum, quæ habent eſſe in materia; ſed ſunt ſecundùm rationem à materia abſtracta.

Vnum verò quod conuertitur cum ente, eſt quoddam metaphyſicum, quod ſecundùm eſſe non dependet à materia. Et licet in Deo non ſit aliqua priuatio; tamen ſecundùm modum apprehenſionis noſtræ non cognoſcitur à nobis niſi per modum priuationis & remotionis. Et ſic nihil prohibet aliqua priuatiuè dicta de Deo prædicari; ſicut quod eſt incorporeus, infinitus: & ſimiliter de Deo dicitur quòd ſit vnus. 1. *p. q.* 11. *art.* 3. *V. Lib.* 1. *contra Gentil. cap.* 42.

Idem locus explicatur ſupra *Gen. cap.* 1. *v.* 1. *Exodi cap.* 19. *v.* 13. *Exodi cap.* 20. *v.* 3. *Exodi cap.* 21. *v.* 6. *& v.* 26.

DEVTER. Cap. 6. *v.* 5.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.

VIdetur quòd Deus non poſſit totaliter diligi; dilectio enim cognitionem præſupponit: ſed Deus non totaliter cognoſcitur, etiam in patria à ſanctis; ergo nec ab aliqua creatura poteſt totaliter diligi.

2. Sicut diuina lux eſt infinita, ita & diuina bonitas: ſed lux diuina ratione ſuæ infinitatis comprehendi non poteſt intellectu, vt totaliter videatur; ergo nec diuina bonitas poteſt comprehendi affectu, vt totaliter diligatur.

3. Deus ſeipſum non diligit pluſquam totaliter, ſi ergo aliqua creatura totaliter Deum diligere poſſet, dilectio alicuius creaturæ adæquaretur dilectioni diuinæ, quod falſum eſt.

Sed contra, *diliges Dominum, &c.* Hoc ſeruabitur ad minus in patria; ergo Deus poteſt ab homine totaliter diligi.

Dicendum quòd ad dilectionem tria concurrunt, ſcilicet diligens, dilectio, & dilectum; & cuilibet horum reſpondet ſuus modus. Habet enim res dilecta modum quo eſt diligibilis, & diligens modum quo eſt dilectiuus, id eſt, natus diligere: ſed dilectionis modus attenditur in comparatione diligentis ad dilectum; quia dilectio media eſt inter vtrumque. Et ſimiliter etiam eſt de viſione.

Si ergo totaliter dicat modum rei dilectæ & viſæ, ſic ſancti Deum totaliter diligunt qui ſunt in patria; & totaliter vident; quia ſicut nihil eſt de ſua eſſentia quod non videant & diligant, propter quod dicuntur totum videre & diligere: ita etiam nihil de modo quo Deus eſt, remanet ab eis non viſum, aut non dilectum: vnde totaliter vident & diligunt; quia vident & diligunt totum quod Deus eſt.

Similiter etiam ſi totaliter dicat modum diligentis; quia ſecundùm totum

Digitized by Google

totum modum ſuum, ſcilicet ſecundùm ſuum totum poſſe diligent & videbunt; nihil ſuæ potentiæ ſubtrahentes diuinæ viſioni & dilectioni: & ſic Deus intelligitur diligere ex toto corde. Si autem dicat modum dilectionis, ſic neque totaliter diligent neque totaliter videbunt; quia modus dilectionis & viſionis attenditur in comparatione diligibilis & viſibilis ad diligentem & videntem.

Modus autem quo Deus diligibilis eſt, & viſibilis, excedit modum quo homo diligere & videre poteſt; quia lux & bonitas eius eſt infinita. & ideo non totaliter videtur & diligitur ab aliis; quia non diligitur ita intenſè & feruenter: nec videtur ita clarè, ſicut eſt diligibilis & viſibilis; niſi à ſeipſo; & ita ipſe ſolus ſe comprehendit amando & videndo. *Lib. 3. ſent. Diſt. 27. q. 3. art. 2. ſimile 22. q. 27. art. 5.*

Diliges Dominum. Modus charitatis quodammodo in præcepto cadit, & quodammodo non. Dicitur enim homo ad mandata teneri dupliciter: vno modo ita quod niſi impleamus hoc ad quod tenemur, ſumus omiſſionis vel tranſgreſſionis rei: & ſecundùm hoc tenemur ſolùm ad ſubſtantiam mandati, non ad modum.

Alio modo ita, quod ſi non impleamus id ad quod tenemur, non percipimus mandati fructum: & ſic tenemur ad ſubſtantiam operis & ad modum, ſine quo quantuncunque homo ſubſtantiam operis exequatur, ad vitam non perueniet.

Conſtat enim quòd præceptum poteſt dupliciter conſiderari: vno modo inquantum imponitur ſecundùm neceſſitatem quandam implenti: & ſic nihil debet imponi alicui, niſi quod ſtatim eſt in ipſo vt impleat; quod ſi non implet, punitur; quia ſic lex habet vim coactiuam.

Alio modo quantùm ad intentionem legiſlatoris, qui per legis præcepta intendit ad virtutem perducere. Et ſic quantùm ad intentionem legiſlatoris modus virtutis cadit ſub præcepto, non quantùm ad obligationem legis. *Lib. 3. ſent. Diſt. 36. q. 1. art. 6.*

Diliges Dominum. Arguitur: Eiuſdem eſt animum ordinare ad virtutem & cohibere à peccato: ſed lex Moſaica ordinat animum ad virtutem, vt patet in textu; ergo videtur quòd & ipſa etiam cohibet animum à peccato.

Ad argument. R. quòd lex præceptis affirmatiuis & negatiuis animum ordinabat ad virtutem, & à vitio retrahebat: non tamen contra tranſgreſſores huiuſmodi præceptorum, pœnam aliquam ordinare poterat, ſecundùm quam cohibere, vel cogere dicitur; & ideo non ſequitur quòd animum cohiberet. *Lib. 3. ſent. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2.*

Diliges Dominum. Videtur quòd charitas ſemel habita non poſſit amitti; nam dicitur, *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare: quoniam ex Deo natus eſt*: ſed charitatem non habent niſi filii Dei; ergo ille qui habet charitatem, non poteſt eam amittere peccando. *1. Ioan. 3. v. 9.*

2. Plus homo per charitatem amat Deum, quàm per naturalem amorem amet ſeipſum: ſed amor ſuipſius nunquam amittitur per

peccatum; ergo nec etiam charitas.

3. Liberum arbitrium non inclinatur in peccatum niſi per aliquod motiuum ad peccandum: motiuum autem ad omnia peccata eſt amor ſui quem charitas excludit; ergo qui habet charitatem, non poteſt peccando eam amittere.

4. Si aliquis charitatem amittit, aut amittit eam dum habet, aut dum non habet: ſed dum habet non amittit eam per peccatum; quia ſimul eſſet peccatum cum charitate. Neque etiam amittit eam cùm non habet; quia quod non habetur amitti non poteſt; ergo charitas nullo modo poteſt amitti.

5 Charitas accidens eſt quoddam in anima: Accidens autem quatuor modis poteſt deficere; *vno* quidem *modo* per corruptionem ſubiecti. Sed per hunc modum charitas deficere non poteſt, cùm anima humana quæ eſt ſubiectum eius, ſit incorruptibilis. *Secundò* deficit aliquod accidens per defectum cauſæ; ſicut lumen deficit ab aëre per abſentiam ſolis. Sed hoc modo charitas deficere non poteſt; quia cauſa eius eſt indeficiens ſcilicet Deus.

Accidens 4. modis deficit.

Tertiò modo deficit accidens aliquod deficiente obiecto, ſicut paternitas deficit per mortem filii. Sed nec hoc modo deficit charitas; quia eius obiectum eſt bonum æternum, quod eſt Deus. *Quarto modo* deficit aliquod accidens per actionem contrarii agentis, ſicut frigiditas aquæ deficit per actionem caloris. Sed nec hoc modo charitas deficere poteſt, cùm ſit fortior peccato; quod videtur in contrarium agere, ſecundùm illud, *fortis eſt vt mors dilectio.* Et iterum, *aquæ multæ non poſſunt extinguere charitatem*; ergo charitas nullo modo poteſt deficere in habente eam.

Cant. 8. v. 6.

6. Peccatum eſt malum quoddam rationalis naturæ, malum non agit niſi virtute boni: bonum autem non contrariatur bono, & ita non poteſt ipſum corrumpere; cùm vnumquodque corrumpatur à ſuo contrario; charitas ergo per peccatum non poteſt corrumpi.

7. Si charitas à peccato corrumpitur, aut à peccato exiſtente, aut à non exiſtente: ſed non à peccato exiſtente; quia ſic peccatum mortale ſimul eſſet cum charitate. Neque iterum à peccato non exiſtente; quia non ens agere non poteſt; ergo charitas nullo modo poteſt amitti per peccatum.

8. Si charitas per peccatum amittitur, aut charitas & peccatum ſunt in eodem inſtanti in anima, aut in alio: ſed non in eodem, quia tunc ſimul eſſent: neque iterum in alio & alio; quia oporteret quod eſſet tempus medium in quo homo neque peccatum, neque charitatem haberet, quod eſt inconueniens; non ergo poteſt charitas per peccatum amitti.

9. Sicut ſe habet intellectus ad cognitionem veri, ita & voluntas ad amorem boni: ſed intellectus cognoſcendo quodcunque verum, cognoſcit primam veritatem; ergo amando quodcumque bonum, amat ſummam bonitatem. Sed nunquam peccat qui amat, niſi conuertendo ſe per amorem ad bonum commutabile; ergo in omni peccato homo amat ſummam bonitatem, cuius amor eſt charitas. Nunquam igitur charitas per peccatum amitti poteſt.

Digitized by Google

10. Sicut in genere cauſæ efficientis eſt agens vniuerſale & proprium, ita & in genere cauſæ finalis : ſed agens proprium ſemper agit in virtute vniuerſalis agentis ; ergo finis proprius ſemper mouet voluntatem in virtute finis vltimi : ſed finis vltimus eſt Deus ; & ſic idem quod priùs.

11. Omnis motus eſt ſecundùm exigentiam prædominantis : ſed charitas prædominatur in corde charitatem habentis ; quia totum cor ſibi occupat, vt patet in textu: ergo motus omnis habentis charitatem eſt ſecundùm charitatem; non ergo per peccatum amitti poteſt.

12. Per charitatem anima vnitur Deo vt ſponſa ſecundùm quoddam ſpirituale matrimonium : ſed matrimonium carnale non poteſt ſeparari per diſſenſum ſuperuenientem matrimonio ; ergo charitas non poteſt tolli per peccatum quo mens diſſentit ab ipſis, quæ ſunt Dei.

Dicendum quòd poteſt quadruplex conſideratio de charitate haberi : *Prima* quidem ex parte Spiritus Sancti mouentis animam ad dilectionem Dei & proximi. Et quantùm ad hoc, neceſſe eſt dicere quòd motio Spiritus-Sancti ſemper eſt efficax ſecundùm ſuam intentionem. Operatur enim in anima Spiritus-Sanctus diuidens ſingulis prout vult. Et ideo quibus Spiritus-Sanctus pro ſuo arbitrio vult dare perſeuerantem diuinæ dilectionis motum ; in his peccatum charitatem excludens eſſe non poteſt. Dico non poſſe ex parte virtutis motiuæ, quamuis poſſit ex parte vertibilitatis liberi arbitrii. Iſta enim ſunt beneficia Dei quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur. Quibuſdam autem Spiritus-Sanctus pro ſuo arbitrio dat quidem vt ad tempus moueantur motu dilectionis in Deum ; non autem dat eis vt in hoc perſeuerent vſque in finem.

Secunda conſideratio eſt de charitate ſecundùm poteſtatem ipſius charitatis. Et quantùm ad hoc nullus habens charitatem poteſt peccare quantùm eſt ex vi ipſius charitatis ; ſicut neque aliquis habens aliquam formam ex vi illius formæ poteſt operari contra formam illam ; ſicut calidum ex vi calidi non poteſt infrigidare, vel frigidum eſſe : poteſt tamen amittere calorem & infrigidari.

Tertia conſideratio eſt de charitate ex parte voluntatis inquantum ei ſubiicitur, vt materia formæ. Vbi attendendum eſt quòd quando forma implet totam potentialitatem materiæ ; non poteſt remanere in materia potentia ad aliam formam: vnde illam formam inamiſſibiliter habet ; ſicut patet de materia cœleſti. Quædam verò forma eſt quæ non replet totam potentialitatem materiæ, ſed remanet potentia ad aliam formam, & tunc illa forma amiſſibiliter habetur ex parte materiæ vel ſubiecti, ſicut patet in formis elementarium corporum.

Charitas autem implet potentialitatem ſui ſubiecti, ſecundùm quod ſuum ſubiectum reducit in actum dilectionis. Et ideo in patria, vbi in actu creatura rationalis diligit Deum ex toto corde ſuo, & nihil aliud diligit niſi actualiter referendo in Deum, charitas inamiſſibiliter habetur. In ſtatu autem vitæ charitas non implet totam potentiali-

tatem animæ quæ non ſemper actualiter mouetur in Deum, omnia in ipſum actuali intentione referens Et ideo charitas vitæ amiſſibiliter habetur quantùm eſt ex parte ſubiecti. *Quarta* conſideratio eſt de charitate ex parte ſubiecti prout comparatur ſpecialiter ad ipſam charitatem ſicut potentia ad habitum. Vbi conſiderandum eſt quòd habitus virtutis inclinat hominem ad rectè agendum, ſecundùm quod per ipſam homo habet rectam extimationem de fine; quia qualis vnuſquiſque eſt, talis & finis videtur ei. Sicut enim guſtus iudicat de ſapore ſecundùm quòd eſt affectus aliquâ bonâ vel malâ diſpoſitione, ita id quod eſt conueniens homini, ſecundùm habitualem diſpoſitionem ſibi inhærentem bonam vel malam, extimatur ab eo vt bonum: Quod autem ab hoc diſcordat exiſtimatur vt malum & repugnans. Vnde dicitur quod *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.*

1. Cor. 2. v. 14.

Contingit tamen quandoque quod id quod videtur alicui ſecundùm inclinationem habitus, non videatur ei ſecundùm aliquid aliud, ſicut luxurioſo ſecundùm inclinationem proprii habitus videtur bonum delectatio carnis: ſed ſecundùm rationis deliberationem vel auctoritatem ſcripturæ, videtur ei contrarium. Et ideo habens habitum luxuriæ ex hac æſtimatione, contra habitum quandoque agit. Et ſimiliter habens habitum virtutis, quandoque agit contra inclinationem proprii habitus; quia aliquid ei aliter videtur ſecundùm aliquem alium modum, puta per paſſionem, vel aliquam ſeductionem. Tunc ergo contra habitum charitatis nullus agere poterit; quia nullus poteſt habere aliam exiſtimationem de fine & obiecto charitatis, quàm ſecundùm inclinationem charitatis. Hoc autem erit in patria, vbi ipſa Dei eſſentia videbitur quæ eſt ipſa eſſentia bonitatis. Vnde ſicut nunc nullus poteſt aliquid velle niſi ſub communi ratione boni; nec bonum ſub ratione boni poteſt non amari: Ita & tunc hoc bonum, quod eſt Deus, nullus poterit non amare. Et propter hoc nullus videns Deum per eſſentiam, poteſt contra charitatem agere. Et inde eſt quòd charitas patriæ eſt inamiſſibilis.

Sed nunc mens noſtra non videt ipſam eſſentiam bonitatis diuinæ: ſed aliquem effectum eius qui poteſt videri bonus, & non bonus ſecundùm diuerſas cōſiderationes: ſicut bonum ſpirituale aliquibus videtur non bonum, inquantum contrariatur delectationi carnali in cuius concupiſcentia ſunt. Ideo charitas vitæ poteſt amitti per peccatum mortale.

Ad 1. R. quòd verbum illud eſt intelligendùm ſecundùm poteſtatem Spiritus-Sancti mouentis animum, qui indeficienter operatur quod vult.

Ad 2. R. quòd cùm in homine ſit duplex natura, ſcilicet intellectiua quæ principalior eſt, & ſenſitiua quæ minor eſt: ille verè ſeipſum diligit qui ſe amat ad bonum rationis; qui autem ſe amat ad bonum ſenſualitatis, contra bonum rationis magis ſe odit quàm amat, propriè loquendo ſecundùm illud, *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* Et ſecundùm hoc amor vetus Pſ. 10. v. 6.

Digitized by Google

ſui ipſius amittitur per peccatum contrarium, ſicut & amor Dei.

Ad 3. R. quòd charitas excludit omne motiuum peccati ſecundum ſuum propoſitum; pertinet enim hoc ad rationem charitatis vt velit non concupiſcere, nec inordinatè ſe amare: ſed quandoque accidit contrarium propter vertibilitatem & corruptionem naturæ, ſecundùm illud Apoſtoli; *Non enim quod volo bonum hoc ago; ſed quod odi malum id facio.* Rom. 7. v. 15.

Nota quòd quandiu aliquis ſequitur motionem Spiritus-Sancti non peccat; ſed quando reſiſtit tunc peccat.

Ad 4. R. quòd amiſſio ita ſe habet ad rem habitam, ſicut corruptio ad rem exiſtentem: vnde ſicut corruptio incipit à re exiſtente, & terminatur in eius non eſſe; quia eius mutatio eſt de eſſe in non eſſe: ita etiam amiſſio cùm ſit etiam mutatio de habere in non habere; incipit enim iu habere, & terminatur in non habere. Et ideo principium amiſſionis charitatis eſt quando charitas habetur; finis autem quando non habetur.

Ad 5. R. quòd charitas aliquo modo deſinit eſſe in anima ſecundùm illa quatuor: ſubiectum enim charitatis quamuis ſit incorruptibile ſecundùm ſubſtantiam, ſit tamen indiſpoſitum ad hanc formam per contrariam diſpoſitionem peccati. Similiter quamuis cauſa charitatis ſit incorruptibilis; tamen influxio huiuſmodi cauſæ impeditur per peccatum, quod diuidit inter nos & Deum. Et ex hac etiam ratione ex parte obiecti deficit charitas, inquantum voluntas ſe auertit à bono incommutabili.

Definit etiam per contrarium motiuum ad peccandum, quod licet ſimpliciter loquendo ſit debilius quàm charitas; tamen in caſu poteſt eſſe fortius, quando ſcilicet charitas in actu non operatur, & motiuum peccati mouet, in aliquo particulari opere; ſicut à paſſione poteſt vinci ſcientia, quamuis ſit fortiſſima; inquantum non eſt actu agens, ſed in habitu ligato per paſſionem. Et ſicut ſcientia eſt fortiſſima in vniuerſali, paſſio autem in particulari operabili: ita charitas eſt fortiſſima circa finem vltimum; & motiuum peccati habet fortitudinem in aliquo particulari opere.

Ad 6. R. quòd bonum vnius virtutis non contrariatur bono alterius virtutis: ſed in naturis bonum contrariatur bono: vtrumque enim contrariorum eſt quoddam bonum naturæ. Bonum ergo quod mouet appetitum ad peccandum, contrariatur bono diuino quod eſt obiectum charitatis inquantum in eo conſtituitur finis. Sic enim non eſt poſſibile eſſe niſi vnum finem vltimum: ſicut & in regno in quo non poteſt eſſe niſi vnus rex; contrariatur regi qui ſe regem facit ſecundùm illud, *Omnis qui ſe regem facit contradicit Cæſari.* Ioan. 19. v. 12.

Ad 7. R. quòd charitas non expellitur à peccato ſicut ab agente; ſed ſicut à contrario: vnde ipſa ſuperuentio peccati eſt expulſio charitatis; ſicut aduentio lucis expulſio eſt tenebrarum, lux enim expellit tenebras in ipſo ſuo fieri: ſed motiuum ad peccatum expellit ſecundùm quod præexiſtit in apprehenſione animæ.

Ad 8. R. quòd quando homo in peccato mortali conſiſtit, hoc qua-

dam deliberatiore rationis agitur; quia ſine deliberato conſenſu non eſt peccatum mortale. Deliberatio autem quidam motus eſt tempore menſuratus., in cuius temporis vltimo inſtanti ineſt peccatum animæ. Sed ante illud vltimum inſtans, non eſt dare proximum in quo charitas inſit; quia inſtantia non ſe habent conſequenter, ſed tempus eſt continuum. Et ideo in toto tempore præcedenti quod terminatur ad vltimum inſtans, charitas ineſt animæ; in cuius vltimo inſtanti poſt ineſt peccatum. Non ergo eſt dare vltimum inſtans in quo charitas inſit, ſed vltimum temporis.

Ad 9. R. quòd ſicut in cognitione cuiuſlibet veri cognoſcitur prima veritas, ſicut primum exemplar in imagine vel veſtigio; ita etiam in amore cuiuſlibet boni amatur ſumma bonitas. Sed talis amor ſummæ bonitatis non ſufficit ad rationem charitatis; ſed oportet quòd diligat ſummum bonum, prout eſt beatitudinis obiectum. Et per hoc patet reſponſio ad decimum.

Ad 11. R. quòd quandiu charitas actu dominatur in homine, non mouetur motu contrario; ſed ſequitur homo motum charitatis. Et ideo ſummum remedium contra peccatum eſt vt homo redeat ad cor ſuum, conuertens illud in Dei dilectione. Sed quando actu homo ſecundùm charitatem non mouetur, ingeritur quandoque motus contrarius peccati.

Ad 12. R. quòd mulier per matrimonium amittit poteſtatem ſui corporis: ſed anima per charitatem non amittit poteſtatem liberi arbitrii. Vnde ratio non proſequitur.

In quæſt. diſp. q. vnica de charitate art. 12.

Diliges Dominum. Videtur quòd in lege veteri non contineatur niſi vnum præceptum; lex enim nihil aliud eſt quàm præceptum: ſed lex vetus eſt vna; ergo non continet niſi vnum præceptum.

2. Apoſtolus dicit, *Si quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, diliges proximum tuum ſicut teipſum*: ſed iſtud mandatum eſt vnum; ergo lex vetus non continet niſi vnum mandatum. Rom 13. v. 9.

3. Dicitur, *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc eſt enim lex & Prophetæ*: ſed tota lex vetus continetur in lege & prophetis; ergo lex vetus non habet niſi vnum præceptum. Matth. 7. v. 12.

Dicendum quòd præceptum legis eum ſit obligatorium, eſt de aliquo quod fieri debet; quòd autem aliquid debeat fieri, hoc prouenit ex neceſſitate alicuius finis. Vnde manifeſtum eſt quòd de ratione præcepti eſt quòd importet ordinem ad finem, inquantum ſcilicet illud præcipitur, quod eſt neceſſarium vel expediens ad finem.

Contingit autem ad vnum finem multa eſſe neceſſaria vel expedientia: & ſecundum hoc poſſunt de diuerſis rebus dari diuerſa præcepta, inquantum ordinantur ad vnum finem. Vnde dicendum eſt quòd omnia præcepta legis veteris ſunt vnum ſecundùm ordinem ad vnum finem: ſunt tamen multa ſecundùm diuerſitatem eorum quæ ordinantur ad illum finem.

Ad 1. R. quòd lex vetus dicitur eſſe vna ſecundùm ordinem ad finem vnum: & tamen continet di-

Digitized by Google

uerſa præcepta ſecundùm diſtinctionem eorum quæ ordinantur ad finem. Sicut etiam ars ædificatiua eſt vna ſecundùm vnitatem finis; quia tendit ad ædificationem domus: tamen continet diuerſa præcepta ſecundùm diuerſos actus ad hoc ordinatos.

1. Tim. 1. v. 5. Ad 2. R. quòd ſicut Apoſtolus dicit, *Finis præcepti charitas eſt*, ad hoc enim omnis lex tendit vt amicitiam conſtituat, vel hominum ad inuicem, vel hominis ad Deum: & ideo tota lex impletur in hoc vno mandato, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; ſicut in quodam fine mandatorum omnium; in dilectione enim proximi includitur etiam Dei dilectio; quando proximus diligitur propter Deum. Vnde Apoſtolus hoc vnum præceptum poſuit pro duobus quæ ſunt de dilectione Dei & proximi, de quibus dicit Dominus, *In his duobus mandatis pendet omnis lex & Prophetæ.* Matth. 22. v. 40

Ad 3. R. quòd amicabilia quæ ſunt ad alterum, venerunt ex amicabilibus quæ ſunt homini ad ſeipſum; dum ſcilicet homo ita ſe habet ad alterum ſicut ad ſe: & ideo in hoc quod dicitur, *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, explicatur quædam regula dilectionis proximi; quæ etiam implicitè continetur in hoc quod dicitur, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Vnde eſt quædam explicatio iſtius mandati. 12 *q.* 99. *art.* 1.

Diliges Dominum. Videtur quòd lex noua non ſit alia à lege veteri; vtraque enim lex datur fidem Dei habentibus; quia *ſine fide eſt impoſſibile placere Deo*: ſed eadem fides eſt antiquorum & modernorum; ergo etiam eadem lex. Hebr. 11. v. 6.

2. Aug dicit quòd breuis differentia legis & Euangelii eſt timor & amor: ſed ſecundùm hæc duo noua lex & vetus diuerſificari non poſſunt: quia etiam in veteri lege proponuntur præcepta charitatis, *diliges proximum tuum*. Et in textu, *diliges Dominum Deum tuum*. Leu 19 v. 18.

Dicendum quòd omnis lex ordinat conuerſationem humanam in ordine ad aliquem finem: ea autem quæ ordinatur ad finem, ſecundùm rationem finis dupliciter diuerſificari poſſunt: vno modo quia ordinantur ad diuerſos fines; & hæc eſt diuerſitas ſpeciei, maximè ſi ſit finis proximus. Alio modo ſecundùm propinquitatem ad finem, vel diſtantiam ab ipſo: ſicut patet quòd motus differunt ſpecie, ſecundùm quod ordinantur ad diuerſos terminos: ſecundùm verò quod vna pars motus eſt propinquior termino quàm alia, attenditur differentia in motu ſecundùm perfectum & imperfectum.

Sic ergo duæ leges diſtingui poſſunt dupliciter: vno modo quaſi omnino diuerſæ, vt pote ordinatæ ad diuerſos fines; ſicut lex ciuitatis quæ eſſet ordinata ad hoc quòd populus dominaretur; eſſet ſpecie differens ab illa lege quæ eſſet ad hoc ordinata, quòd optimates ciuitatis dominarentur.

Alio modo duæ leges diſtingui poſſunt, ſecundùm quod vna propinquiùs ordinat ad finem, alia verò remotiùs: putà in vna & eadem ciuitate dicitur alia lex quæ imponitur viris perfectis, qui ſtatim poſſunt exequi ea quæ pertinent ad bonum commune: & alia lex datur de diſciplina puerorum, qui ſunt.

Digitized by Google

inſtruendi qualiter poſtmodum opera virorum exequantur.

Dicendum eſt ergo quòd ſecundùm primum modum lex noua non eſt alia à lege veteri; quia vtriuſque eſt vnus finis, ſcilicet vt homines ſubdantur Deo. Eſt autem vnus Deus & noui & veteris Teſtamenti, ſecundùm illud, *vnus Deus eſt qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.*

Rom 3. v. 30.

Alio modo lex noua eſt alia à veteri; quia lex vetus eſt quaſi *Pedagogus* puerorum vt Apoſtolus dicit: lex autem noua eſt lex perfectionis; quia eſt lex charitatis, de qua Apoſtolus dicit *quod eſt vinculum perfectionis.*

Gal. 3. v. 24.

Col 3. v. 14.

Ad 1. R. quòd vnitas fidei vtriuſque Teſtamẽti atteſtatur vnitati finis: nã obiectum theologicarũ virtutum, inter quas eſt fides, eſt finis vltimus: ſed tamen fides habet alium ſtatum in veteri & in noua lege; nam quod illi credebant futurum, nos credimus factum.

Ad 2. R. quòd omnes differentiæ quæ aſſignantur inter nouam legem & veterem, accipiuntur ſecundùm perfectum & imperfectum; præcepta enim legis cuiuſlibet dantur de actibus virtutum: ad operanda autem virtutum opera aliter inclinantur imperfecti qui nondum habent virtutis habitum; & aliter illi qui ſunt per habitum virtutis perfecti. Illi enim qui nondum habent habitum virtutis, inclinantur ad agendum virtutis opera ex aliqua cauſa extrinſeca, putà ex communicatione pœnarum, vel ex promiſſione aliquarum extrinſecarum remunerationum: putà honoris vel diuitiarum, vel alicuius huiuſmodi. Et ideo lex vetus quæ dabatur imperfectis, id eſt, nondum conſecutis gratiam ſpiritualem, dicebatur lex timoris, inquantum inducebat ad obſeruationem præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum; & dicitur habere temporalia quædam promiſſa.

Differentiæ legis nouę & veteris.

Illi autem qui habent virtutem, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam pœnam aut remunerationem extrinſecam. Et ideo lex noua, cuius principalitas conſiſtit in ipſa ſpirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris; & dicitur habere promiſſa ſpiritualia & æterna; quæ ſunt obiecta virtutis, præcipuè charitatis. Et ita per ſe in ea inclinantur non quaſi in extranea, ſed quaſi impropria.

Et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo abſtinet, non ſimpliciter eius voluntas à peccato recedit, ſicut recedit voluntas eius qui amore iuſtitiæ abſtinet à peccato. Et propter hoc lex noua quæ eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.

Fuerunt tamen aliqui in ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem & gratiam Spiritus-Sancti, qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales & æternas, & ſecundùm hoc pertinebant ad legem nouam. Similiter etiam in nouo Teſtamento ſunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem nouæ legis; quos oportuit etiam in nouo Teſtamento induci ad virtutis opera per timorem pœnarum, & per aliqua temporalia promiſſa. Lex autem vetus etſi præcepta

Digitized by Google

præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur *Spiritus-Sanctus per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris.* Rom. 5. v. 5.

Nota quòd lex noua dicitur lex fidei inquantum eius principalitas conſiſtit in ipſa gratia, quæ interiùs datur credentibus, vnde dicitur gratia fidei. Habet autem ſecundariò aliqua facta & moralia & ſacramentalia: ſed in his non conſiſtit principalitas legis nouæ, ſicut principalitas veteris legis in eis conſiſtebat. Illi autem qui in veteri Teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem; ſecundùm hoc ad nouum Teſtamentum pertinebant; non enim iuſtificabantur niſi per fidem Chriſti, qui eſt auctor noui Teſtamenti. 12. *q.* 107. *art* 1.

Diliges Dominum ex toto corde. Cùm præcepta dentur de actibus virtutum, hoc modo aliquis actus cadit ſub præcepto ſecundùm quod eſt actus virtutis. Requiritur autem ad actum virtutis, non ſolùm quòd cadat ſuper debitam materiam; ſed etiam quòd veſtiatur debitis circunſtantiis, quibus ſit proportionatus tali materiæ. Deus autem eſt diligendus ſicut finis vltimus, ad quem omnia ſunt referenda; & ideo tòtalitas quædam fuit deſignanda circa præceptum de dilectione Dei.

Nota quòd dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere: vno quidem modo in actu, id eſt, vt totum cor hominis ſemper actualiter in Deum feratur: & iſta eſt perfectio patriæ. Alio modo vt habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita ſcilicet quòd nihil contra dilectionem cor hominis recipiat: & hæc eſt perfectio viæ; cui non contrariatur peccatum veniale; quia non tollit habitum charitatis; cùm non tendat in oppoſitum obiectum, ſed ſolùm impedit charitatis vſum. 22. *quæſt.* 44. *art.* 4.

Diliges Dominum. Videtur quòd inconuenienter addatur in textu *ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Non enim accipitur hîc cor pro membro corporali; quia diligere Deum, non eſt corporis actus; oportet ergo quòd cor accipiatur ſpiritualiter: cor autem ſpiritualiter acceptum, vel eſt ipſa anima, vel aliquid animæ; ſuperfluum ergo fuit vtrumque ponere.

2. Fortitudo hominis præcipuè dependet ex corde, ſiue ſpiritualiter hoc accipiatur, ſiue corporaliter; ergo poſtquam dixerat, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ſuperfluum fuit addere, *ex tota fortitudine tua.*

3. Dicitur *in tota mente tua*, quod *Matth.* hîc non ponitur; ergo videtur quòd 22.*v.*37 inconuenienter hoc præceptum detur in textu.

Dicendum quòd hoc præceptum diuerſimodè inuenitur traditum in diuerſis locis; nam in textu ponuntur tria, ſcilicet *ex toto corde, & ex tota anima*, Et, *ex tota fortitudine.* Apud Matth. ponuntur duo horum, ſcilicet *ex toto corde, & in tota anima*; & omittitur *ex tota fortitudine*: ſed additur, *in tota mente.* *Marci* Sed apud Marcum ponuntur quatuor, 12.*v.*30. ſcilicet *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute*; quæ eſt idem fortitudini. Et hæc etiam quatuor tanguntur apud Lucam. Nam loco fortitudinis ſeu *Luca.* virtutis, ponitur, *ex omnibus viribus tuis.* 10.*v.*27 Et ideo horum quatuor eſt

Digitized by Google

ratio aſſignanda: nam quod alicubi vnum horum omittitur, hoc eſt, quia vnum intelligitur ex aliis.

Eſt ergo conſiderandum quòd dilectio eſt actus voluntatis, quæ hîc ſignificatur per cor: Nam ſicut cor corporale eſt principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas, & maximè quantùm ad intentionem finis vltimi, qui eſt obiectum charitatis eſt principium omnium ſpiritualium motuum.

Tria enim ſunt principia actuum quæ mouentur à voluntate, ſcilicet intellectus, qui ſignificatur per mentem; vis appetitiua inferior, quæ ſignificatur per animam; & vis executiua exterior, quæ ſignificatur per fortitudinem ſeu virtutem, ſiue vires.

Præcipitur ergo nobis vt tota noſtra intentio feratur in Deum, quod eſt *ex toto corde*; & quod intellectus noſter ſubdatur Deo, quod eſt ex tota mente; & quod appetitus noſter reguletur ſecundùm Deum, quod eſt *ex tota anima*, & quòd exterior actus noſter obediat Deo, quod eſt *ex tota fortitudine*, vel virtute, vel viribus Deum diligere. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta 22. *q.* 44. *art.* 5.

Diliges Dominum. Videtur quòd hoc præceptum de dilectione Dei poſſit ſeruari in via, quia ſecundùm Hieron. maledictus qui dicit Deum aliquid impoſſibile præcepiſſe: ſed Deus hoc præceptum dedit; ergo hoc præceptum poteſt in via impleri.

2. Quicunque non implet præceptum, peccat mortaliter; ſi ergo hoc præceptum non poteſt in via ſeruari, ſequetur quòd nullus poſſit eſſe in vita iſta ſine peccato mortali; quod eſt inconueniens.

3. Præcepta dantur ad dirigendos homines in viam ſalutis ſecundùm illud, *præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: ſed fruſtra dirigitur aliquis ad impoſſibile; non ergo impoſſibile eſt hoc præceptum in vita iſta ſeruari. *Pſ.* 18. *v.* 9.

Dicendùm quòd præceptum aliquod dupliciter poteſt impleri: vno modo perfectè, alio modo imperfectè. Perfectè quidem impletur præceptum, quando peruenitur ad finem quem intendit præcipiens. Impletur autem, ſed imperfectè, quando etſi non pertingat ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem. Sicut ſi dux exercitus præcipiat militibus vt pugnent; ille perfectè implet præceptum qui pugnando hoſtem vincit, quod dux intendit. Ille autem implet, ſed imperfectè; cuius pugna ad victoriam non pertingit: non tamen contra diſciplinam militarem agit.

Intendit autem Deus per hoc præceptum vt homo Deo totaliter vniatur; quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus. Et ideo plenè & perfectè in patria implebitur hoc præceptum: in via autem impletur, ſed imperfectè. Et tamen in via tantò vnus aliò perfectiùs implet, quantò magis accedit per quandam ſimilitudinem ad patriæ perfectionem. Et per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad 2. R. quòd ſicut miles qui legitimè pugnat, licet non vincat, non inde culpatur, nec pœnam meretur: ita etiam qui in via hoc præceptum non implet, nihil contra diuinam dilectionem agens, non peccat mortaliter. Et per hoc patet

Digitized by Google

ſolutio ad tertium. 22. *q.* 44. *art.* 6. *V.* 22. *q.* 184. *art.* 3.

Diliges Dominum. De duobus præceptis charitatis, & decem legis præceptis. *Opuſculo* 4. *per totum. V.* 22. *q.* 44. *art.* 1. & 2.

Devter. Cap. 6. v. 6.

Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi, in corde tuo.

Explicatur ſupra *Deut. cap.* 4. *v.* 2.

Devter. Cap. 6. v. 7.

Meditaberis ea ſedens in domo tua.

Explicatur ſupra *Deut. cap.* 4. *v.* 2.

Devter. Cap. 6. v. 8.

Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua.

Explicatur ſupra *numer. cap.* 15. *v.* 38.

Devter. Cap. 6. v. 13.

Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius iurabis.

Videtur quòd non ſit licitum iurare; nihil enim quod prohibetur in lege diuina eſt licitum: ſed iuramentum prohibetur, *Ego dico vobis non iurare omnino.* Et, *ante omnia fratres mei nolite iurare,* *ergo iuramentum eſt illicitum.* *Matth.* 5. *v.* 34. *Iacobi.* 5. *v* 12.

2. Id quod eſt à malo videtur eſſe illicitum: ſed iuramentum eſt à malo; dicitur enim. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*; ergo iuramentum videtur eſſe illicitum. *Matth.* 5. *v.* 37.

3. Exquirere ſignum diuinæ prouidentiæ eſt tentare Deum, quod eſt omnino illicitum: ſed ille qui iurat, videtur exquirere ſignum diuinæ prouidentiæ, dum petit diuinum teſtimonium quod eſt per aliquem euidentem effectum; ergo videtur quòd iuramentum ſit omnino illicitum.

Sed contra eſt quod dicitur in textu. Dicendum quòd nihil prohibet aliquid eſſe ſecundùm ſe bonum, quod tamen cedit in malum eius qui non vtitur eo conuenienter: ſicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum; & tamen qui indignè ſumit *Iudicium ſibi manducat & bibit.* *1. Cor.* 11. *v.* 29.

Sic ergo in propoſito dicendum eſt, quòd iuramentum ſecundùm ſe, eſt licitum & honeſtum. Quod patet ex origine, & ex fine. Ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem, & prouiſionem. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias vt dicitur. *Iuramentũ quomodo licitum.* *Hebr.* 6. *v.* 16.

Sed iuramentum cedit in malum alicui ex eo quòd malè vtitur eo, id eſt, ſine neceſſitate & cautela debita: videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit; quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum periurii; quia defacili homo in verbo delinquit, ſecundùm illud, *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Vnde & dicitur, *iuratione non aſſueſcat os tuum; multi enim caſus in illa.* *Iacobi* 3. *v.* 2. *Eccl.* 23. *v.* 9.

Digitized by Google

Ad 1. R. cum Aug quòd Apoſtolus in Epiſtolis ſuis iurans, oſtēdit quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt; *Dico vobis non iurare omnino*; ne ſcilicet iurando, ad facilitatem iurandi perueniatur; & ex facilitate iurandi ad conſuetudinem; & à conſuetudine in periurium decidatur. Et ideo non inuenitur iuraſſe niſi ſcribens; vbi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem.

Ad 2 R. cum Aug. quòd ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades; quæ vtique infirmitas malum eſt. Itaque non dixit quod amplius eſt, malum eſt; tu enim non malum facis, qui bene vteris iuratione, vt alteri perſuadeas quod vtiliter perſuades: ſed à malo eſt illius, cuius infirmitate iurare cogeris.

Ad 3. R. quòd ille qui iurat, non tentat Deum; quia non implorat diuinum auxilium abſque vtilitate & neceſſitate. Et præterea non exponit ſe alicui periculo, ſi Deus teſtimonium adhibere noluerit in præſenti. Adhibebit autem pro certo Teſtimonium in futuro, quan-
1. Cor. 4. v. 5. do *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, vt dicitur. Et illud teſtimonium nulli iuranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum. 22. *quæſt.* 89. *art.* 2.

Dominũ deum tuum timebis. Videtur quòd iuramentum non ſit actus religionis ſiue latriæ; actus enim latriæ ſunt circa aliqua ſacra, & diuina: ſed iuramenta adhibentur
Hebr. 6. v. 16. circa controuerſias humanas, vt Apoſtolus dicit: ergo iurare non eſt actus religionis ſeu latriæ.

2. Ad religionem pertinet cultum Deo offerre: ſed ille qui iurat nihil Deo offert, ſed Deum inducit teſtem, ergo iurare non eſt actus religionis ſeu latriæ.

3. Finis religionis ſeu latriæ eſt reuerentiam Deo exhibere: hoc autem non eſt finis iuramenti, ſed potiùs aliquod verbum confirmare; ergo idem quod priùs.

Sed contra eſt quod dicitur in textu, *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſoli ſerуies, ac per nomen illius iurabis.* Loquitur autem ibi de ſeruitute latriæ, ergo iurare eſt actus latriæ.

Dicendùm quòd ille qui iurat, inuocat diuinum teſtimonium ad confirmandum ea quæ dicit: nihil autem confirmatur niſi per aliquid quod certius eſt & potius; & ideo in hoc ipſo quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, vt pote cuius veritas eſt indefectibilis, & cognitio vniuerſalis: & ſic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet. Vnde & Apoſtolus dicit quod *homines per maiorem ſui iurant*; vnde manifeſtum eſt quòd iu- Hebr. 6.
ramentum eſt actus religionis ſiue v. 16.
latriæ.

Ad 1. R. quòd in iuramento duo conſiderantur, ſcilicet teſtimonium quod inducitur; & hoc eſt diuinum: & id ſuper quo inducitur teſtimonium, vel quod facit neceſſitatem teſtimonium inducendi; & hoc eſt humanum. Pertinet ergo iuramentum ad religionem ratione primi, non autem ratione ſecundi.

Ad 2. R. quòd in hoc ipſo quòd aliquis aſſumit Deum in teſtem per modum iuramenti, profitetur eum maiorem; quod pertinet ad Dei reuerentiam & honorem. Et ſic ali-

Digitized by Google

quid offert Deo ſcilicet reuerentiam & honorem.

Ad 3. R. quòd omnia quæ facimus, debemus in Dei reuerentiam facere: & ideo nihil prohibet ſi in hoc ipſo quod intendimus hominem certificare, Deo reuerentiam exhibeamus. Sic enim debemus aliquid in Dei reuerentiam facere, vt ex hoc vtilitas proximis proueniat; quia etiam Deus operatur ad ſuam gloriam, & noſtram vtilitatem. 22. q. 89. art. 4.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 20. v. 3.*

DEVTER. Cap. 6. *v.* 16.

Non tentabis Dominum Deum tuum.

EXplicatur ſupra *Gen. cap.* 15. *v.* 8.

DEVTER. Cap. VII. *v.* 2.

Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum.

VIdetur quòd cum infidelibus poſſit communicari; dicit enim Apoſtolus, *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate*: ſed ad cœnam alicuius ire, eſt ei communicare; ergo infidelibus licet communicare. (1. *Cor.* 10. v. 27)

2. Apoſtolus dicit *quid mihi eſt de his qui foris ſunt iudicare?* Foris autem ſunt infideles; cùm ergo per iudicium Eccleſiæ aliquorum communio fidelibus inhibeatur, videtur quòd non ſit inhibendum fidelibus cum infidelibus communicare. (1. *Cor.* 5. v. 12.)

3. Dominus non poteſt vti ſeruo niſi ei communicando, ſaltem verbo; quia Dominus mouet ſeruum per imperium: ſed Chriſtiani poſſunt habere ſeruos infideles, vel Iudæos, vel etiam paganos ſiue Saracenos; ergo poſſunt licitè cum eis communicare.

Dicendum quòd communio alicuius perſonæ interdicitur fidelibus dupliciter: vno modo in pœnam illius cui communio fidelium ſubtrahitur. Alio modo ad cautelam eorum quibus interdicitur ne aliis communicent. Et vtraque cauſa ex verbis Apoſtoli accipi poteſt: nam poſtquam ſententiam excommunicationis protulit, ſubdit pro ratione, *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit*; & poſtea rationem ſubdit ex parte pœnæ per iudicium Eccleſiæ illatæ, cùm dicit; *Nonne de his qui intus ſunt vos iudicatis?* (1. *Cor* 5. v. 6.)

Primo ergo modo non interdicit Eccleſia fidelibus communionem infidelium, qui nullo modo fidem Chriſtianam receperunt, ſcilicet paganorum vel Iudæorum; quia non habet de eis iudicare ſpirituali iudicio, ſed temporali, in caſu; cùm inter Chriſtianos commorantes aliquam culpam committunt, & per fideles temporaliter puniuntur. Sed iſto modo, ſcilicet in pœnam, interdicit Eccleſia fidelibus communionem illorum infidelium qui à fide ſuſcepta deuiant; vel corrumpendo fidem, ſicut hæretici; vel etiam totaliter à fide recedendo, ſicut apoſtatæ. In vtroque enim horum excommunicationis ſententiam profert Eccleſia.

Sed quantùm ad ſecundum modum, videtur eſſe diſtinguendum ſecundùm diuerſas conditiones per-

ſonarum & negotiorum & temporum. Si enim aliqui fuerint firmi in fide, ita quòd ex communione eorum cum infidelibus conuerſio infidelium magis ſperari poſſit, quàm fidelium à fide auerſio; non ſunt prohibendi infidelibus communicare qui fidem non ſuſceperunt, ſcilicet paganis vel Iudæis; & maximè ſi neceſſitas vrgeat. Si autem ſint ſimplices & infirmi in fide, de quorum ſubuerſione probabiliter timeri poſſit; prohibendi ſunt ab infidelium communione: & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſſitate eis communicent.

Quomodo licet infidelibus cõmunicare.

Ad explicationem textus dicendum quòd Dominus illud præcipit de illis gentibus, quorum terram ingreſſuri erant Iudæi, qui erant proni ad idolalatriam. Et ideo timendum erat ne per continuam conuerſationem cum eis, alienarentur à fide. Et ideo ibidem ſubditur, *Quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me.*

Solutio primi argumenti colligenda eſt ex dictis in corpore.

Ad 2. R. quòd Eccleſia contra infideles non habet iudicium quo ad pœnam ſpiritualem eis infligendam: Habet tamen iudicium ſuper aliquos infideles quoad temporalem pœnam infligendam; ad quod pertinet quòd Eccleſia aliquando propter aliquas culpas, ſubtrahit aliquibus infidelibus communionem fidelium.

Ad 3. R. quòd magis eſt probabile, quòd ſeruus qui regitur imperio Domini, conuertatur ad fidem Domini fidelis, quàm è conuerſo. Et ideo non eſt prohibitum quin fideles habeant ſeruos infideles. Si tamen Domino periculum immineret ex communione talis ſerui, deberet eum à ſe abiicere, ſecundùm illud mandatum Domini, *Si pes tuus ſcandaliſauerit te, abſcinde eum & proiice abs te.* 22. q. 10. art. 9. Matth. 18. v. 8.

DEVTER. Cap. 7. v. 3.

Non ſociabis cum infidelibus coniugia.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 21. *v.* 2.

DEVTER. Cap. 7. v. 6.

Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 18. *v.* 22.

DEVTER. Cap. 7. v. 14.

Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus.

Videtur quòd beata virgo non debuerit virginitatem vouere; quia in lege maledictio debebatur illis qui ſemen non relinquebant ſuper terram, vt patet in textu: ſed adhuc durabat ſtatus legis, ergo non debuit virginitatem vouere.

2. Votum virginitatis pertinet ad perfectionem conſiliorum: ſed talis perfectio debuit à Chriſto inchoari, qui venit legem conſilii adimplere; ergo ante Chriſti aduentũ non debuit virginitatem vouere.

Sed contra, in matre Chriſti debebat omnis eſſe perfectio: ſed votum virginitatis eſt de maximis perfectionibus, ergo non debuit ei deeſſe.

Dicendum quòd in beata virgine

Digitized by Google

debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit: virginitas autem quamuis in ſe optima, tamen pro tempore illo ei matrimonium præferebatur propter expectationem benedicti ſeminis per viam generationis venturi; & ideo beata virgo vouit virginitatem tanquam optimum & ſibi acceptiſſimum; non tamen ſimpliciter, ſed ſub conditione honeſtiſſima, hac ſcilicet, niſi Deus aliter ordinaret: nec iſtam conditionem appoſuit vt dubitaret an vellet virgo permanere, ſed an deberet.

Ad 1 R. quòd beata virgo fuit confinium veteris & nouæ legis, ſicut aurora diei, & noctis: & ideo votum eius ſapuit nouam legem, inquantum virginitatem vouit; & veterem, inquantum conditionem appoſuit.

Ad 2. R. quòd perfectio conſiliorum quantùm ad conſummationem incipere debuit à Chriſto: ſed quantùm ad aliquam inchoationem conuenienter à matre eius incepit. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 30. *q.* 2. *art.* 1. *ſimile* 3. *p. q.* 28. *art.* 4.

DEVTER. Cap. 7. v. 25.

Non concupiſces argentum & aurum.

ARguitur, ea quæ ſunt inanimata, maximè videntur hominum poteſtati eſſe ſubiecta; inconuenienter igitur arcetur homo ab argento & auro, ex quibus fabricata ſunt idola, & ab aliis quæ in idolorum domibus inueniuntur vt patet in textu. Ridiculum etiam videtur eſſe præceptum quod habetur, *vt egeſtiones humo operirent fodientes in terra.* *Deut.* 23. *v.* 13

Hoc argumentum caret ſolutione apud auctorem. 12. *q.* 102. *art.* 6. *ad decimum.*

DEVTER. Cap. VIII. v. 12.

Obſerua & caue ne quando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia & cæremonias.

VIdetur quòd cæremoniæ veteris legis inconuenienter diuidantur in ſacrificia, Sacramenta, Sacta, & obſeruantias; Cæremoniæ enim veteris legis figurabant Chriſtum: ſed hoc ſolùm fiebat per ſacrificia, per quæ figurabatur Sacrificium quo *Chriſtus ſe obtulit oblationem & hoſtiam Deo*, vt dicitur, ergo ſola Sacrificia erant cæremonialia. *Epheſ.* 5. *v.* 2.

2. Vetus lex ordinabatur ad nouam: ſed in noua lege ipſum Sacrificium eſt Sacramentum altaris; ergo in veteri lege non debuerunt diſtingui Sacramenta contra Sacrificia.

3. Sacrum dicitur quod eſt Deo dicatum, ſecundùm quem modum tabernaculum & vaſa eius ſanctificari dicebantur: ſed omnia cæremonialia erant ordinata ad cultum Dei; ergo cæremonialia omnia Sacra erant; non ergo vna pars cæremonialium debet Sacra nominari.

4. Obſeruantiæ ab obſeruando dicuntur: ſed omnia præcepta legis obſeruari debebant, vt patet in textu, non ergo obſeruantiæ debent poni vna pars cæremonialium.

5. Solemnitates inter cæremonialia computantur, cùm ſint *in vmbram futuri* vt patet. Similiter *Coloſ.* 2. *v.* 17.

Digitized by Google

Hebr. 10. v. 8. etiam *oblationes & munera*, vt patet per Apoſtolum; quæ tamen ſub nullo horum contineri videntur; ergo inconueniens eſt prædicta diſtinctio cæremonialium.

Dicendum quòd cæremonialia præcepta ordinantur ad cultum Dei. In quo quidem cultu conſiderari poſſunt & ipſe cultus, & colentes, & inſtrumenta colendi. Ipſe autem cultus ſpecialiter conſiſtit in ſacrificiis, quæ in Dei reuerentiam offeruntur. Inſtrumenta autem colendi pertinent ad ſacra, ſicut eſt tabernaculum & vaſa, & alia huiuſmodi.

Ex parte autem colentium duo poſſunt conſiderari, ſcilicet eorum inſtitutio ad cultum diuinum, quod fit per quandam conſecrationem, vel populi, vel miniſtrorum; & ad hoc pertinent ſacramenta. Et iterum eorum ſingularis conuerſatio, per quam diſtinguuntur ab his qui Deum non colunt. Et ad hoc pertinent obſeruantiæ, purà in cibis, & veſtimentis, & aliis huiuſmodi.

Ad 1. R. quòd ſacrificia offerri oportebat & in aliquibus locis, & per aliquos homines: & totum hoc ad cultum Dei pertinet. Vnde ſicut per Sacrificia ſignificatur Chriſtus immolatus; ita etiam per Sacramenta & ſacra illorum, figurabantur Sacramenta & ſacra nouæ legis: & per eorum obſeruantias figurabatur conuerſatio populi nouæ legis; quæ omnia ad Chriſtum pertinent.

Ad 2. R. quòd ſacrificium nouæ legis, id eſt, Euchariſtia, continet ipſum Chriſtum qui eſt ſanctificationis auctor: *Sanctificauit enim per ſuum ſanguinem populum*, vt dicitur. Hebr. 13. 12

Et ideo hoc ſacrificium etiam Sacramentum eſt. Sed Sacramenta veteris legis non continebant Chriſtum, ſed ipſum figurabant; & ideo non dicuntur Sacramenta: ſed ad hoc deſignandum ſeorſum erant quædam Sacramenta in veteri lege, quæ erant figuræ futuræ conſecrationis; quamuis etiam quibuſdam conſecrationibus quædam Sacrificia adiungerentur.

Ad 3. R. quòd etiam Sacrificia & Sacramenta erant ſacra: ſed quædam erant ſacra vt pote ad cultum Dei dicata; nec tamen erant Sacrificia, nec Sacramenta: & ideo retinebant ſibi commune nomen Sacrorum.

Ad 4. R. quòd ea quæ pertinebant ad conuerſationem populi Deum colentis, retinebant ſibi commune nomen obſeruantiarum, inquantum à præmiſſis deficiebant. Non enim dicebantur ſacra quia non habebant immediatum reſpectum ad cultum Dei, ſicut tabernaculum & vaſa eius: ſed per quandam conſequentiam erant cæremonialia, inquantum pertinebant ad quandam idoneitatem populi colentis Deum.

Ad 5. R. quòd ſicut ſacrificia offerebantur in determinato loco, ita etiam offerebantur in determinatis temporibus, vnde etiam ſolemnitates inter ſacra computari videntur. Oblationes autem & munera computantur cum Sacrificiis; quia Deo offerebantur. Vnde Apoſtolus dicit, *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis*. 12. q. 101. art. 4. Hebr. 5. v. 1.

Digitized by Google

DEVTER. Cap. X. v. 12.

Et nunc Iſraël quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius & diligas eum?

VNuſquiſque legiſlator ad ſuum finem principaliter per leges homines dirigere intendit; ſicut dux exercitus ad victoriam; & rector ciuitatis ad pacem: finis autem quem Deus intendit eſt ipſemet Deus; lex igitur diuina hominem principaliter in Deum ordinare intendit.

Legis deſcriptio.

Adhuc, lex eſt quædam ratio diuinæ prouidentiæ gubernantis, rationali creaturæ propoſita: ſed gubernatio prouidentis Dei ſingula ad proprios fines ducit; per legem igitur diuinitus datam, homo ad ſuum finem præcipuè ordinatur: finis autem humanæ creaturæ eſt adhærere Deo; in hoc enim felicitas eius conſiſtit; ad hoc igitur principaliter lex diuina hominem dirigit, vt Deo adhæreat.

Amplius, intentio cuiuſlibet legiſlatoris eſt, eos quibus legem dat, facere bonos: vnde præcepta legis debent eſſe de actibus virtutum; illi igitur actus à lege diuina præcipuè intenduntur, qui ſunt optimi: ſed inter omnes humanos illi actus ſunt optimi, quibus homo adhæret Deo, vt pote fini propinquiores; ergo ad hos actus præcipuè lex diuina ordinat homines.

Item, illud præcipuum debet eſſe in lege, ex quo lex efficaciam habet, ſed lex diuinitus data ex hoc efficaciã habet quod homo ſubditur Deo; non enim aliquis alicuius regis lege arctatur qui ei ſubditus non eſt; hoc igitur præcipuum in diuina lege eſſe debet, vt mens humana Deo adhæreat, vt patet in textu. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 115.*

Diliges Dominum. Intentio diuinæ legis ad hoc principaliter eſt vt homo Deo adhæreat: homo autem potiſſimè adhæret Deo per amorem. Nam duo ſunt in homine quibus Deo poteſt adhærere, intellectus ſcilicet & voluntas; nam ſecundùm inferiores animæ partes Deo adhærere non poteſt, ſed inferioribus rebus: adhæſio autem quæ eſt per intellectum, completionem recipit per eam quæ eſt voluntatis; quia per voluntatem homo quodammodo quieſcit in eo quòd intellectus apprehendit: voluntas autem adhæret alicui rei vel propter amorem, vel propter timorem, ſed differenter: nam ei quidem cui inhæret propter timorem, inhæret propter aliud; vt ſcilicet euitet malum, quod, ſi non adhæreat, ei imminet: ei verò cui adhæret propter amorem, adhæret propter ſeipſum. Quod autem eſt propter ſe, principalius eſt eo quod propter aliud, adhæſio igitur amoris ad Deum, eſt potiſſimus modus ei adhærendi; hoc igitur eſt potiſſimè intentum in diuina lege.

Item finis cuiuſlibet legis & præcipuè diuinæ, eſt homines facere bonos: homo autem dicitur bonus ex eo quòd habet voluntatem bonam, per quam reducit in actum quicquid boni in ipſo eſt: voluntas autem bona eſt ex eo quòd vult bonum, & præcipuè maximum bonum quod eſt finis; quantò igitur huiuſmodi bonum magis voluntas vult, tantò magis homo eſt

bonus : ſed magis vult homo id quod vult propter amorem quam id quod vult propter timorem tantùm ; nam quod vult propter timorem tantùm, dicitur mixtum inuoluntario ; ſicut aliquis vult in mari proiectionem mercium propter timorem ; ergo amor ſummi boni, ſcilicet Dei, maximè facit bonos, & eſt maximè intentum in diuina lege.

Præterea, bonitas hominis eſt per virtutem ; virtus enim eſt quæ bonum facit habentem : vnde & lex intendit homines facere virtuoſos ; & præcepta legis ſunt de actibus virtutum : ſed de conditione virtutis eſt, vt virtuoſus & firmiter & delectabiliter operetur ; hoc autem facit maximè amor : nam ex amore aliquid firmiter & delectabiliter facimus ; amor igitur boni eſt vltimum intentum in lege diuina. Hinc
1. Tim. 1. v. 5. eſt quod dicitur, *Finis præcepti charitas eſt. Contra Gentiles lib. 3. cap.* 116.

Timeas Dominum. Videtur quòd de timore non fuerit dandum aliquod præceptum in lege ; timor enim Dei eſt de his quæ ſunt præambula ad legem ; cùm ſit initium
Pſ. 110. v. 10. ſapientiæ : ſed ea quæ ſunt præambula ad legem, non cadunt ſub præceptis legis, ergo de timore non eſt dandum aliquod præceptum legis.

2. Poſitâ causâ ponitur effectus : ſed amor eſt cauſa timoris ; omnis enim timor ex aliquo amore procedit ; ergo poſito præcepto de amore, ſuperfluum fuiſſet præcipere timorem.

3. Timori aliquo modo opponitur præſumptio : ſed nulla prohibitio inuenitur in lege de præſumptione data ; ergo videtur quòd nec de timore aliquod præceptum dari debuerit.

Dicendum quòd duplex eſt timor, ſcilicet ſeruilis, & filialis. Sicut autem aliquis inducitur ad obſeruantiam præceptorum legis per ſpem præmiorum ; ita etiam inducitur ad legis obſeruantiam per timorem pœnarum, qui eſt timor ſeruilis. Et ſicut in ipſa legiſlatione non fuit præceptum dandum de actu ſpei, ſed ad hoc fuerunt homines inducendi per promiſſa ; ita nec de timore, qui reſpicit pœnam, fuit præceptum dandum per præcepti modum, ſed ad hoc fuerunt homines inducendi per comminationem pœnarum. Quod fuit factum & in ipſis præceptis decalogi, & poſtmodum conſequenter in ſecundariis legis præceptis.

Sed ſicut ſapientes & prophetæ conſequenter intendentes homines ſtabilire in obſeruantia legis, documenta tradiderunt de ſpe per modum admonitionis, vel præcepti ; ita etiam & de timore. Sed timor filialis qui reuerentiam exhibet Deo, eſt quaſi quoddam genus ad dilectionem Dei, & principium quoddam omnium eorum quæ in Dei reuerentiam obſeruantur. Et ideo de timore filiali dantur præcepta in lege, ſicut & de dilectione, quia vtrumque eſt præambulum ad exteriores actus qui præcipiuntur in lege, ad quos pertinent præcepta decalogi. Et ideo requiritur ab homine timor & vt ambulet in via Dei, colendo ipſum, & vt diligat ipſum.

Ad 1. R. quòd timor filialis eſt quoddam præambulum ad legem, non ſicut extrinſecum aliquid, ſed

Digitized by Google

ſicut principium legis, ſicut etiam dilectio. Et ideo de vtroque dantur præcepta, quæ ſunt quaſi quædam principia communia totius legis.

Ad 2. R. quòd ex amore ſequitur timor filialis, ſicut etiam alia bona opera, quæ ex charitate fiunt. Et ideo ſicut poſt præceptum charitatis dantur præcepta de aliis actibus virtutum; ita etiam ſimul dantur præcepta de timore & amore charitatis.

Sicut etiam in ſcientiis demonſtratiuis, non ſufficit ponere principia prima, niſi etiam ponantur concluſiones quæ ex his ſequuntur, vel proximè vel remotè.

Ad 3. R. quòd inductio ad timorem ſufficit ad excludendam præſumptionem; ſicut etiam inductio ad ſpem, ſufficit ad excludendam deſperationem. 22. *q.* 22. *art.* 2.

Diliges Dominum. Videtur quòd de charitate non debeat dari aliquod præceptum; Charitas enim eſt præcipua inter omnes virtutes, ad quas ordinantur præcepta; ſi ergo de charitate dantur aliqua præcepta, deberent poni inter præcipua præcepta quæ ſunt præcepta decalogi: non autem ponuntur; ergo nulla præcepta ſunt de charitate danda.

Dicendum quòd præceptum importat rationem debiti. In tantum ergo aliquid cadit ſub præcepto, inquantum habet rationem debiti. Eſt autem aliquid debitum dupliciter: vno modo per ſe; alio modo propter aliud. Per ſe quidem debitum eſt in vnoquoque negotio, id quod eſt finis; quia habet rationem per ſe boni. Propter aliud autem eſt debitum id quod ordinatur ad finem; ſicut medico per ſe debitum eſt vt ſanet. Propter aliud autem vt medicinam det ad ſanandum. Finis autem ſpiritualis vitæ eſt vt homo vniatur Deo, quod fit per charitatem. Et ad hoc ordinantur ſicut ad finem omnia quæ pertinent ad ſpiritualem vitam.

Vnde & Apoſtolus dicit, *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* 1. *Tim.* 1. *v.* 5. Omnes enim virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur vel ad purificandum cor à turbinibus paſſionum, ſicut virtutes quæ ſunt circa paſſiones; vel ſaltem ad habendam bonam conſcientiam; ſicut virtutes quæ ſunt circa operationes: vel ad habendam rectam fidem, ſicut illa quæ pertinent ad diuinum cultum.

Et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum. (Tria quæ requiruntur ad diligẽdum Deum.) Nam cor impurum à Dei dilectione abſtrahitur, propter paſſionem inclinantem ad terrena. Conſcientia verò mala facit horrere diuinam iuſtitiam, propter timorem pœnæ. Fides autem ficta trahit affectum in id quod de Deo fingitur, ſeparans à Dei veritate. In quolibet autem genere id quod eſt per ſe, potius eſt eo quod eſt propter aliud; & ideo maximum præceptum eſt de charitate, vt dicitur. *Matth.* 22 *v.* 38.

Ad argum. R. quòd omnia præcepta decalogi ordinantur ad dilectionem Dei & proximi: & ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta decalogi, ſed in omnibus includuntur. 22. *q.* 44. *art.* [illegible]

Diliges Dominum. Videtur quòd de charitate non fuerint danda duo præcepta; præcepta enim legis ordinantur ad virtutem: ſed charitas

eſt vna virtus; ergo de charitate non fuit dandum niſi vnum præceptum.

2. Charitas in proximo non diligit niſi Deum: ſed ad diligendum Deum ſufficienter ordinamur per hoc præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum*; ergo non oportuit addere aliud præceptum de dilectione proximi.

Deut. 6. v. 5.

3. Diuerſa peccata diuerſis præceptis opponuntur: ſed non peccat aliquis prætermittens dilectionem proximi, ſi non prætermittat dilectionem Dei: Quinimo dicitur, *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus*; ergo non eſt aliud præceptum de dilectione Dei, & de dilectione proximi.

Luca. 14. v. 26

4. Dicitur, *qui diligit proximum legem impleuit*: ſed non impletur lex niſi per obſeruantiam omnium præceptorum; ergo omnia præcepta includuntur in dilectione proximi; non ergo debent eſſe duo præcepta charitatis.

Rom. 13. v. 8.

Sed contra eſt quod dicitur, *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

1. Ioan. 4. v. 21.

Dicendum quòd hoc modo ſe habent præcepta in lege ſicut propoſitiones in ſcientiis ſpeculatiuis, in quibus concluſiones virtute continentur in primis principiis. Vnde qui perfectè cognoſceret principia ſecundùm totam ſuam virtutem, non opus haberet vt ei concluſiones ſeorſum proponerentur. Sed quia non omnes qui cognoſcunt principia, ſufficiunt conſiderare quicquid in principijs virtute continetur; neceſſe eſt propter eos, vt in ſcientiis ex principiis concluſiones deducantur.

In operabilibus autem in quibus præcepta legis non dirigunt, finis habet rationem principii: Dilectio autem Dei finis eſt ad quem proximi dilectio ordinatur, & ideo non ſolùm oportet dari præceptum de dilectione Dei, ſed etiam de dilectione proximi; propter minùs capaces, qui non de facili conſiderarent vnum horum præceptorum ſub alio contineri.

Ad 1. R. quòd licet charitas ſit vna virtus, habet tamen duos actus, quorum vnus ordinatur ad alium ſicut ad finem: Præcepta autem dantur de actibus virtutum; & ideo oportuit eſſe plura præcepta charitatis.

Ad 2. R. quòd Deus diligitur in proximo, ſicut finis in eo quod eſt ad finem: & tamen oportuit de vtroque explicitè dari præcepta, ratione iam dictâ in corp. art.

Ad 3. R. quòd id quod eſt ad finem, habet rationem boni ex ordine ad finem. Et ſecundùm hoc etiam recedere ab eo, habet rationem mali, & non aliter.

Ad 4. R. quòd in dilectione proximi includitur dilectio Dei, ſicut finis in eo quod eſt ad finem; & è conuerſo: & tamen oportuit vtrumque præceptum explicitè dari, ratione iam dictâ in corp. art. 22. q. 44. art. 2.

DEVTER. Cap. XI. v. 1.

Ama Dominum Deum tuum, & obſerua eius præcepta, & cæremonias, & iudicia atque mandata.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 22. v. 26.*

Digitized by Google

DEVTER. Cap. XII. v. 31.

Non facies ſimiliter Domino Deo tuo, omnes enim abominationes quas auerſatur Dominus, fecerunt dijs ſuis.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 43.

DEVTER. Cap. XIII. v. 3.

Tentat vos Dominus Deus veſter.

Explicatur ſupra *Geneſ. cap.* 22. *v.* 1.

DEVTER. Cap. 13. v. 8.

Non parcat ei oculus tuus vt miſerearis & occultes eum.

Videtur quòd Iudex licitè poſſit pœnam relaxare; dicitur enim, *Iudicium ſine miſericordia ei, qui non facit miſericordiam*: ſed nullus punitur propter hoc quòd non facit illud quod licitè facere non poteſt; ergo quilibet Iudex poteſt licitè miſericordiam facere relaxando pœnam. *Iacobi 2. v. 13.*

2. Iudicium humanum debet imitari iudicium diuinum: ſed Deus pœnitentibus relaxat pœnam; quia *non vult mortem peccatoris* vt dicitur; ergo etiam homo Iudex poteſt pœnitenti licitè laxare pœnam. *Ezech. 18. v. 32*

3. Vnicuique licet facere quod alicui prodeſt & nulli nocet: ſed abſoluere reum à pœna, prodeſt ei & nulli nocet; ergo Iudex licitè poteſt reum à pœna abſoluere.

Sed contra eſt quod dicitur in textu de eo qui perſuadet ſeruire diis alienis, *Non parcat ei oculus tuus, vt miſerearis & occultes eum; ſed ſtatim interficies eum*. Et de homicidio dicitur, *Morietur nec miſereberis eius*. *Deut. 17. v. 12*

Dicendum quòd duo ſunt, quantùm ad propoſitum pertinet, circa Iudicem conſideranda; quorum vnum eſt quòd ipſe habet iudicare inter accuſatorem & reum: aliud autem eſt quòd ipſe non fert iudicii ſententiam quaſi ex propria, ſed quaſi ex publica poteſtate.

Duplici ergo ratione impeditur Iudex, ne reum à pœna abſoluere poſſit. *Primò* quidem ex parte accuſatoris, ad cuius ius quandoque pertinet vt reus puniatur; putà propter aliquam iniuriam in ipſum commiſſam, cuius relaxatio non eſt in arbitrio alicuius iudicis; quia quilibet iudex tenetur ius ſuum reddere vnicuique. Alio modo impeditur ex parte reipublicæ, cuius poteſtate fungitur, ad cuius bonum pertinet quòd malefactores puniantur.

Sed tamen quantùm ad hoc differt inter inferiores iudices & ſupremum iudicem, ſcilicet principem cui eſt plenariè poteſtas publica commiſſa: Iudex enim inferior non habet poteſtatem abſoluendi reum à pœna contra leges à ſuperiore ſibi impoſitas. Sed princeps qui habet plenariam poteſtatem in republica; ſi ille qui paſſus eſt iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licitè abſoluere, ſi hoc publicæ vtilitati videbit non eſſe nociuum.

Ad 1. R quòd miſericordia iudicis habet locum in his quæ arbitrio

iudicis relinquuntur ; in quibus boni viri eſt vt ſit diminutiuus pœnarum. In his autem quæ ſunt determinata ſecundùm legem diuinam vel humanam, non eſt ſuum miſericordiam facere.

Ad 2. R. quòd Deus habet ſupremam poteſtatem iudicandi, & ad ipſum pertinet quicquid contra aliquem peccatur. Et ideo liberum ei eſt pœnam remittere ; præcipuè cùm peccato ex hoc pœna maximè debeatur, quod eſt contra ipſum. Non tamen remittit pœnam, niſi ſecundùm quod decet ſuam bonitatem, quæ eſt omnium legum radix.

Ad 3. R. quòd iudex ſi inordinatè pœnam remitteret, nocumentum inferret communitati, cui expedit vt maleficia puniantur, ad hoc quòd peccata vitentur. Vnde poſt pœnam ſeductoris ſubditur, *vt omnis Iſrael timens audiat, & nequaquam vltra faciat quiſpiam huius rei ſimile.*

Deut. 13. v. 11.

Noceret etiam perſonæ cui eſt illata iniuria, quæ recompenſationem accipit per quandam reſtitutionem honoris, in pœna iniuriantis. 22. *q.* 67. *art.* 4.

DEVTER. Cap. XIV. v. 1.

Non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 45.

DEVTER. Cap. 14. v. 23.

Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos, & comedes in conſpectu Domini.

Explicatur ſupra *Geneſ. cap.* 14. *v.* 20.

DEVTER. Cap. XV. v. 2.

Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre ſuo, repetere non poterit ; quia annus remiſſionis eſt Domini.

Arguitur, neceſſitatibus hominum maximè expedit vt homines ſint prompti ad mutuum concedendum ; quæ quidem promptitudo tollitur per hoc quod creditores accepta non reddunt. Vnde dicitur *Multi non causa nequitiæ non fœnerati ſunt, ſed fraudari gratis timuerunt.* Hoc autem induxit lex, vt patet in textu. Item, quia offertur ei ſecuritas quæ habetur per pignus ; dicitur enim *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas.* Et iterum. *Non pernoctabit apud te pignus ; ſed ſtatim reddes ei* ; ergo inſufficienter fuit ordinatum in lege de mutuis.

Eccl. 29. v. 10.

Deut. 24. v. 10.

Deut. 24. v. 12.

Ad argum. R. quòd intentio legis erat aſſuefacere homines ſuis præceptis ad hoc, quòd ſibi inuicem de facili in neceſſitatibus ſubuenirent ; quia hoc maximè eſt amicitiæ fomentum. Et hanc quidem facilitatem ſubueniendi non ſolùm ſtatuit in his quæ gratis & abſolutè

Digitized by Google

donantur ; ſed etiam in his quæ mutuò conceduntur ; quia huiuſmodi ſubuentio frequentior eſt, & pluribus neceſſaria.

Huiuſmodi autem ſubuentionis facilitatem multipliciter inſtituit: *Primò* quidem vt faciles ſe præberent ad mutuum exhibendum, nec ab hoc retraherentur anno remiſſionis appropinquāte. *Secundò* ne eum, cui mutuum concederent, grauarent ; vel vſuris, vel etiam aliqua pignora omnino vitæ neceſſaria accipiendo : & ſi accepta fuerint quòd ſtatim reſtituerentur ; dicitur enim
Deut. 23. v. 19. *Non fænerabis fratri tuo ad vſuram.* Et *non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam ; quia animam ſuam appoſuit tibi.* Deut. 24 v. 6. Et dicitur
Ex. 22. v. 26. *Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei.*

Ex. 22. v. 25. *Tertiò* vt non importunè exigerent. Vnde dicitur *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor.* Et propter hoc etiam mandatur
Deut. 24. v. 10 *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris in domum eius, vt pignus auferas, ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit:* Tum quia domus eſt tutiſſimum vniuſcuiuſque receptaculum ; vnde moleſtum homini eſt, vt in domo ſua inuadatur. Tum etiam quia non concedit creditori, vt accipiat pignus quod voluerit ; ſed magis debitori, vt det quo minùs indiguerit.

Quartò inſtituit quòd in ſeptimo anno debita penitus remitterentur; probabile enim erat quòd illi qui cōmodè reddere poſſunt, ante ſeptimū annum redderent ; & gratis mutuantem non defraudarent. Si autem omnino impotentes eſſent, eadem ratione eis erat debitum remittendum eâ dilectione, qua etiam erat eis de nouo dandum propter indulgentiam.

Circa animalia verò mutuata hæc lex ſtatuit, vt propter negligentiam eius, cui mutuata ſunt ; ſi in ipſius abſentia moriantur, vel debilitentur ; reddere ea compellatur : ſi verò eo præſente & diligenter cuſtodiente, mortua fuerint vel debilitata ; non cogebatur reſtituere ; & maximè ſi erant mercede conducta ; quia ita etiam potuiſſent mori, & debilitari apud mutuantem. Et ita ſi conſeruationem animalis conſequeretur, iam aliquod lucrum reportaret ex mutuo ; & non eſſet gratuitum mutuum.

Et maximè hoc obſeruandum erat, quando animalia erant mercede conducta, quia tunc habet certum pretium pro vſu animalium : vnde nihil accreſcere debebat per reſtitutionem animalium, niſi propter negligentiam cuſtodientis. Si autem non eſſent mercede conducta, potuiſſet habere aliquam æquitatem; vt ſaltem tantùm reſtitueret, quantùm vſus animalis mortui, vel debilitati conduci potuiſſet. 12. *quæſt.* 105. *art.* 2. *ad quartum.*

DEVTER. Cap. 15. *v.* 4.

Indigens & mendicus non erit inter vos.

EXplicatur infra de religioſis mendicantibus, *Pſ.* 36. *v.* 25. *ex* 22. *q.* 187. *art.* 5.

Digitized by Google

DEVTER. Cap. XVI. v. 18.

Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio.

VIdetur quòd non ſit licitum iudicare, nam dicitur, *Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? ſuo Domino ſtat, aut cadit: Dominus autem omnium Deus eſt*; ergo nulli homini licet iudicare.

Rom. 14. v. 4.

Dicendum quòd iudicium intantum eſt licitum, inquantum eſt iuſtitiæ actus. Ad hoc autem quòd iudicium ſit actus iuſtitiæ, tria requiruntur: *Primò* quidem vt procedat ex inclinatione iuſtitię: *Secundò* quòd procedat ex auctoritate præſidentis: *Tertiò* quòd proferatur ſecundùm rectam rationem prudentiæ.

Quodcunque autem horum defuerit, iudicium erit vitioſum & illicitum: vno quidem modo quando eſt contra rectitudinem iuſtitiæ; & ſic dicitur iudicium peruerſum vel iniuſtum. Alio modo quando homo iudicat de his in quibus non habet auctoritatem; & ſic dicitur iudicium vſurpatum. Tertio modo quando deeſt certitudo rationis, putà cùm aliquis de his iudicat, quæ ſunt dubia vel occulta; propter aliquas leues coniecturas; & ſic dicitur iudicium ſuſpicioſum, vel temerarium.

Triplex iudicium malum.

Ad argum. R. quòd iudex conſtituitur vt miniſter Dei. Vnde dicitur, *quod iuſtum eſt iudicate.* Et poſtea ſubdit, *quia Dei eſt iudicium.* 22. *q.* 60. *art.* 2.

Deut. 1. v. 17.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 22. *v.* 1.

DEVTER. Cap. 16. v. 20.

Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris.

EXplicatur infra 1. *Reg. cap.* 16. *v.* 7. ex 12. *q.* 100. *art.* 9.

DEVTER. Cap. 16. v. 21.

Non plantabis lucum.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 20. *v.* 24.

DEVTER. Cap. XVII. v. 6.

In ore duorum vel trium teſtium peribit qui interficietur.

EXplicatur infra 3. *Reg. cap.* 21. *v.* 10. ex. 22. *quæſt.* 70. *art.* 2.

DEVTER. Cap. 17. v. 8.

Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, venies ad ſacerdotes Leuitici generis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.

VIdetur quòd Iudici non liceat iudicare contra veritatem quam nouit, vt patet in textu: ſed quandoque aliqua proponuntur contra veritatem; ſicut cùm aliquid per falſos teſtes probatur; ergo non licet iudici iudicare ſecundùm ea quæ proponuntur & probantur contra veritatem quam ipſe nouit.

2. Homo in iudicando debet diuino iudicio conformari, quia *Dei iudicium eſt* vt dicitur: ſed iudicium *Dei eſt ſecundùm veritatem*, vt dicitur. *Deut. 1. v. 17. Rom. 2. v. 2.*

Et

Eſai. 11. v. 3. Et prædicitur de Chriſto, *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit; neque ſecundùm auditum aurium arguet; ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ*; ergo iudex non debet ſecundùm ea quæ coram ipſo probantur, ſententiam ferre contra ea quæ ipſe nouit.

3. Idcirco in iudicio probationes requiruntur, vt fides fiat iudici de rei veritate. Vnde in his quæ ſunt notoria, non requiritur iudicialis

1. Tim. 5. v. 24. ordo, ſecundùm illud, *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium*; ſi ergo iudex per ſe cognoſcat veritatem, non debet attendere ad ea quæ probantur; ſed ſententiam ferre ſecundùm veritatem quam nouit.

4. Nomen conſcientiæ importat applicationem ſcientiæ ad aliquid agibile; ſed facere contra ſcientiam eſt peccatum, ergo iudex peccat, ſi ſententiam ferat ſecundùm allegata contra conſcientiam veritatis quam habet.

Dicendum quòd iudicare pertinet ad iudicem ſecundùm quod fungitur publicâ poteſtate: & ideo informari debet in iudicando, non

Iudicis officiū. ſecundùm id quod ipſe nouit tanquam priuata perſona; ſed ſecundùm id quod ſibi innoteſcit tanquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit ſibi, & in communi & in particulari: in communi quidem per leges publicas vel diuinas vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, & teſtes, & alia huiuſmodi legitima documenta; quæ debet ſequi in iudicando, magis quàm id quod ipſe nouit tanquam priuata perſona. Ex quo tamen ad hoc adiuuari poteſt, vt diſtrictiùs diſcutiat probationes inductas; vt poſſit earum defectum inueſtigare. Quod ſi eas non poſſit de iure repellere; debet eas in iudicando ſequi.

Ad 1. R. quòd ideo præmittitur in illis verbis de quæſtione iudicibus facienda, vt intelligatur quòd iudicare debent iudices veritatem ſecundùm ea quæ fuerunt ſibi propoſita.

Ad 2. R. quòd Deo competit iudicare ſecundùm propriam poteſtatem. Et ideo in iudicando informatur ſecundùm veritatem quam ipſe cognoſcit; non ſecundùm hoc quod ab aliis accipit. Et eadem ratio eſt de Chriſto, qui eſt verus Deus & homo. Alii autem iudices non iudicant ſecundùm propriam poteſtatem: & ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad 3. R. quod Apoſtolus loquitur in caſu, quando aliquid non ſolùm eſt manifeſtum iudici; ſed ſibi & aliis, ita quòd reus nullo modo crimen inficiari poteſt, vt in notoriis; ſed ſtatim ex ipſa euidentia facti conuincitur. Si autem ſit manifeſtum iudici, & non aliis; vel aliis, & non iudici; tunc eſt neceſſaria iudicis diſcuſſio.

Ad 4. R. quòd homo in his quæ ad propriam perſonam pertinent, debet informare conſcientiam ſuam ex propria ſcientia. Sed in his quæ pertinent ad publicam poteſtatem, debet informare conſcientiam ſuam ſecundùm ea quæ in publico iudicio ſciri poſſunt. 2. 2. quæſt. 67. art. 2.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 22. v. 1.*

Bibliothek S. M. Franz ...

Digitized by Google

DEVTER. Cap. 17. v. 8.

Iudicabit inter lepram & lepram.

VIdetur quòd ſacerdos poſſit vti claue quam habet in quemlibet hominem; poteſtas enim clauium in ſacerdote deſcendit ex illa diuina auctoritate, *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: ſed illud indeterminatè dictum eſt; ergo habens clauem, indeterminatè poteſt eâ vti in quoſlibet.

Ioan. 20. v. 21.

2. Sacerdotium noui Teſtamenti eſt perfectius quàm veteris: ſed ſacerdos veteris Teſtamenti poterat vti ſuâ poteſtate quam habebat, diſcernendi inter lepram & lepram indifferenter in omnes, vt pater in textu; ergo multò fortiùs ſacerdos Euangelicus poteſt vti ſuâ poteſtate in omnes.

Sacerdotum poteſtas.

Sed contra: iudicium ſpirituale debet eſſe ordinatius quàm temporale: ſed in iudicio temporali non poteſt quilibet iudex quemlibet iudicare; ergo cùm vſus clauium ſit iudicium quoddam, non poteſt ſacerdos quilibet ſuâ claui in quemlibet vti.

Dicendum quòd ea quæ circa ſingularia operari oportet, non eodem modo omnibus competunt: Vnde ſicut præter generalia medicinæ præcepta oportet adhiberi medicos, quibus præcepta vniuerſalia medicinæ ſingulis infirmis, ſecundùm quod debent, aptentur; ita in quolibet principatu, præter illum qui vniuerſalia præcepta legis tradit, oportet eſſe aliquos, qui ea ſingulis, ſecundùm quod debent, adaptent.

Et propter hoc etiam in cœleſti hierarchia ſub poteſtatibus quæ indiſtinctè præſunt, præponuntur principatus, qui ſingulis prouinciis diſtribuuntur, & ſub his Angeli, qui ſingulis hominibus in cuſtodiam deputantur. Vnde & ita debet eſſe in prælatione Eccleſiæ militantis, vt apud aliquem eſſet prælatio indiſtinctè in omnes, & ſub hoc eſſent alii qui ſuper diuerſos, diuerſam poteſtatem & diſtinctam acciperent.

Et quia vſus clauium requirit aliquam prælationis poteſtatem, per quam ille in quem vſus clauium communicatur, efficitur materia propria illius actus: ideo ille qui habet indictam poteſtatem ſuper omnes, poteſt vti clauibus in omnes: *illi* autem qui ſub eo diſtinctas poteſtates acceperunt, non in quoſlibet vti poſſunt clauibus, ſed in eos tantùm qui eis in ſortem venerunt, niſi in neceſſitatis articulo, vbi nemini ſunt Sacramenta deneganda.

Ad 1. R quòd ad abſolutionem à peccato requiritur duplex poteſtas, ſcilicet poteſtas ordinis & poteſtas iuriſdictionis. Prima quidem poteſtas eſt æqualiter in omnibus ſacerdotibus, non autem ſecunda: & ideo vbi Dominus dedit omnibus Apoſtolis communiter poteſtatem remittendi peccata, intelligitur de poteſtate quæ conſequitur ordinem: vnde & ſacerdotibus quando ordinantur, illa verba dicuntur: *Matth. 16. v. 19.* ſed Petro ſingulariter dedit poteſtatem dimittendi: vt intelligatur quòd ipſe præ aliis habet poteſtatem iuriſdictionis: poteſtas autem ordinis quantùm eſt de ſe, ſe extendit ad omnes abſoluendos: & ideo indeterminatè Dominus dicit: *Quorum remiſeritis peccata*, intelli-

Digitized by Google

gens tamen quòd vſus illius poteſtatis eſſe deberet præſuppoſitâ poteſtate Petro collatâ, ſecundùm ipſius ordinationem.

Ad 2. R. quòd populus Iſraël vnus populus erat, & vnum tantummodo templum habebat: Vnde non oportebat ſacerdotum iuriſdictiones diſtingui, ſicut nunc in Eccleſia in qua congregantur diuerſi populi & nationes. *ſupplem. q. 20. art. 1.*

DEVTER. Cap. 17. v. 14.

Cùm dixeris, conſtituam ſuper me regem, eum conſtitues &c.

Explicatur ſupra *Exodi capite 18. v. 22.*

DEVTER. Cap. 17. v. 15.

Non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non ſit frater tuus.

Videtur quòd in diſpenſatione ſpiritualium locum non habeat perſonarum acceptio; nam ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ eligendus eſt aliquis de gremio Eccleſiæ: ſed hoc videtur ad acceptionem perſonarum pertinere; quia quandoque ſufficientes alibi inuenirentur; ergo perſonarum acceptio non eſt peccatum in ſpiritualibus.

Acceptio perſonarum peccatū eſt. Dicendum quòd acceptio perſonarum eſt peccatum, inquantum contrariatur iuſtitiæ. Quantò autem in maioribus aliquis iuſtitiam tranſgreditur, tantò grauiùs peccat: Vnde cùm ſpiritualia ſint temporalibus potiora; grauius peccatum eſt perſonas accipere in diſpenſatione ſpiritualium, quàm in diſpenſatione temporalium.

Et quia perſonarum acceptio eſt, cùm aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipſius; conſiderare oportet quòd dignitas alicuius perſonæ poteſt attēdi dupliciter. Vno modo ſimpliciter & ſecundùm ſe; & ſic maioris dignitatis eſt ille qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis.

Alio modo per comparationem ad bonum commune: contingit enim quandoque quòd ille qui eſt minùs ſanctus & minùs ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel induſtriam ſecularem, vel propter aliquid huiuſmodi. Et quia diſpenſationes ſpiritualium principaliùs ordinantur ad vtilitatem communem ſecundùm illud, *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*: ideo quandoque abſque acceptione perſonarum, in diſpenſatione ſpiritualium, illi qui ſunt ſimpliciter minùs boni, melioribus præferuntur. Sicut etiā & Deus gratias gratis datas quādoque cōcedit minùs bonis. 1. Cor. 12. v. 7.

Nota quòd circa conſanguineos prælati diſtinguendum eſt. Quia quandoque ſunt minùs digni, & ſimpliciter, & per reſpectum ad bonum commune. Et ſic ſi dignioribus præferantur, eſt peccatum perſonarum acceptionis in diſpenſatione ſpiritualium, quorum prælatus eccleſiaſticus non eſt dominus, vt poſſit ea dare pro libito: ſed diſpenſator ſecundùm illud, *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* 1. Cor. 4. v. 1.

Quandoque verò conſanguinei prælati Eccleſiaſtici ſunt æquè digni vt alii. Et ſic licitè poteſt abſque perſonarum acceptione con-

Digitized by Google

ſanguineos ſuos præferre; quia ſaltem in hoc præeminent, quòd de ipſis magis confidere poteſt, vel vnanimiter ſecum negotia Eccleſiæ tractant. F ſſet tamen hoc propter ſcandalum dimittendum, ſi ex hoc aliqui exemplum ſumerent etiam præter dignitatem, bona Eccleſiæ conſanguineis dandi.

Nota ſecundò quòd quantùm ad hoc quòd electio impugnari non poſſit in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum; nec oportet eligere meliorem; quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam. Sed quantùm ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem; vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune; quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur; oportet quòd ſit propter aliquam cauſam. Quæquidem ſi pertinet ad negotium, quantùm ad hoc erit ille qui eligitur magis idoneus: ſi verò non pertineat ad negotium id quod conſideratur vt cauſa, erit manifeſtè acceptio perſonæ.

Ad argum. R. quòd ille qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, vt in pluribus conſueuit eſſe vtilior, quantùm ad bonum commune; quia magis diligit Eccleſiam in qua eſt nutritus. 22. q. 63. art. 2.

DEVTER. Cap. 17. v. 19.

Rex diſcat timere Dominum Deum ſuum.

EXplicatur ſupra *Deut. cap.* 4. *v.* 2.

DEVTER. Cap. XVIII. v. 10.

Non inueniatur in te qui obſeruet auguria.

EXplicatur ſupra *Geneſ. cap.* 44. *v.* 14.

DEVTER. Cap. 18. v. 11.

Non ſit qui Pythones conſulat, neque diuinos.

EXplicatur infra *Eſaiæ cap.* 41. *v.* 23. *ex* 22. *q.* 95. *art.* 1. *& lib.* 1. *Reg. cap.* 28. *v.* 17. *ex* 22. *quæſt.* 95. *art.* 4.

DEVTER. Cap. 18. v. 11.

Non inueniatur in te qui quærat à mortuis veritatem.

EXplicatur infra *lib.* 3. *Regum cap.* 3. *v.* 12. *ex* 22. *quæſt.* 96. *art.* 1.

DEVTER. Cap. 18. v. 18.

Prophetam ſuſcitabit eis de medio fratrum ſuorum.

EXplicatur ſupra *Numer. cap.* 12. *v.* 6.

DEVTER. Cap. XIX. v. 15.

In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 22. *v.* 1.

Digitized by Google

DEVTER. Cap. 19. v. 18.

Cùm inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit.

EXplicatur ſupra *Exodi 21. verſ. 24.*

DEVTER. Cap. XX. v. 3.

Non formidetis inimicos; quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit; vt eruat vos de periculo.

VIdetur quòd non conuenienter in lege diuina, præcepta fortitudinis tradantur, lex enim nouæ perfectior eſt veteri lege: ſed in veteri lege ponuntur aliqua præcepta fortitudinis, vt patet in textu; ergo & in noua lege aliqua præcepta fortitudinis danda fuerunt.

2. Præcepta affirmatiua videntur eſſe potiora præceptis negatiuis; quia affirmatiua includunt negatiua, ſed non è conuerſo; inconuenienter ergo in lege diuina ponuntur præcepta fortitudinis ſolùm negatiua, timorem prohibentia.

3. Fortitudo eſt vna de virtutibus principalibus: ſed præcepta ordinantur ad virtutes, ſicut ad fines; vnde debent eis proportionari; ergo & præcepta fortitudinis debuerunt poni inter præcepta decalogi, quæ ſunt principalia legis præcepta.

Dicendum quòd præcepta legis ordinantur ad intentionem legiſlatoris. Vnde ſecundùm diuerſos fines quos intendit legiſlator, oportet diuerſimodè præcepta legis inſtitui. Vnde & in rebus humanis alia ſunt præcepta democratica, alia tyrannica. Finis autem legis diuinæ eſt vt homo inhæreat Deo: & ideo præcepta legis diuinæ, tam de fortitudine quàm de aliis virtutibus dantur, ſecundùm quod conuenit ordinationi mentis in Deum. Fortitudinis neceſſitas.

Leges autem humanæ ordinantur ad aliqua mundana bona, ſecundùm quorum conditionem præcepta fortitudinis in humanis legibus inueniuntur.

Ad 1. R. quòd vetus Teſtamentum habebat temporalia promiſſa, nouum autem ſpiritualia & æterna. Et ideo neceſſarium fuit vt in veteri lege populus inſtrueretur qualiter pugnare deberet, etiam corporaliter pro terrena poſſeſſione acquirenda. In nouo autem Teſtamento inſtituendi fuerunt homines, qualiter ſpiritualiter certando ad poſſeſſionem vitæ æternæ peruenirent, ſecundùm illud, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vnde & Petrus præcipit *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Et *reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* *Matth. 11 v. 12.* *1. Pet. 5. v. 8.* *Iac. 4. v. 7.*

Quia tamen homines ad ſpiritualia bona tendentes, ab eis retrahi poſſunt per corporalia pericula; fuerunt etiam in lege noua danda fortitudinis præcepta, ad ſuſtinenda fortiter temporalia mala, ſecundùm illud *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* *Matth. 10. v. 28*

Ad 2. R. quòd lex in ſuis præceptis habet communem inſtructionem. Ea verò quæ ſunt agenda in

Digitized by Google

periculis, non poſſunt ad aliquod commune reduci, ſicut ea quæ ſunt vitanda. Et ideo præcepta fortitudinis magis dantur negatiuè quàm affirmatiuè.

Ad 3. R. quòd præcepta decalogi ponuntur in lege ſicut prima principia, quæ ſtatim debent eſſe omnibus nota. Et ideo præcepta decalogi debuerunt eſſe principaliter de actibus iuſtitiæ quæ manifeſtè videtur eſſe ratio debiti. Non autem de actibus fortitudinis; quia non ita manifeſtè videtur eſſe debitum quòd aliquis pericula mortis non reformidet. 22. *q.* 140. *art.* 1.

DEVTER. Cap. 20. *v.* 5.

Homo qui ædificauit domum nouam, qui plantauit vineam, qui deſpondit vxorem, vadat.

ARguitur, bonum commune ſecundùm virtutem eſt bono priuato præferendum ab vnoquoque: ſed in bello quod committitur contra hoſtes, quæritur bonum commune; inconuenienter igitur mandatur quòd imminente prælio aliqui domum remittantur, vt patet in textu.

Ad argum. R. quòd nouus ædificator domus, aut plantator vineæ aut deſpōſator vxoris excludebantur à prælio propter duo. *Primò* quidem quia ea quæ homo de nouo habet, vel ſtatim paratus eſt ad habendum, magis ſolet amare; & per conſequens eorum amiſſionem timere. Vnde probabile erat quòd ex tali amore magis mortem timerent; & ſic minùs fortes eſſent ad pugnandum.

Secundò quia infortunium videtur quando aliquis appropinquat ad aliquod bonum habendum, ſi poſtea impediatur ab illo. Et ideo ne propinqui remanentes magis contriſtarentur de morte talium, qui bonis ſibi paratis potiti non fuerunt. Et etiam populus conſiderans hoc horreret, huiuſmodi homines à mortis periculo ſunt ſequeſtrati per ſubtractionem à prælio. 12. *q.* 105. *art.* 3. *ad quintum.*

DEVTER. Cap. 20. *v.* 10.

Quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 48.

DEVTER. Cap. 20. *v.* 19.

Non ſuccides arbores de quibus veſci poteſt.

ARguitur, multò magis appropinquant nobis homines quàm arbores: ſed his, quæ ſunt nobis magis propinqua, magis debemus affectum & effectum dilectionis impendere, ſecundùm illud *Omne animal diligit ſimile ſibi*: ſic & omnis homo proximum ſibi: inconuenienter igitur Dominus mandauit quòd de ciuitatibus hoſtium captis omnes interficerent; & tamen arbores fructiferas non ſuccideren, vt patet in textu. *Eccl.* 13. *v.* 19.

Ad argum. R. quòd circa ciuitates hoſtium, quædam diſtinctio adhibebatur: quædam enim erant remotæ, non de numero illarum vrbium, quæ eis erant repromiſſæ: & in talibus vrbibus expugnatis occidebantur maſculi qui pugnauerant contra populum Dei. Mulieribus autem & infantibus parcebatur.

Digitized by Google

Sed in ciuitatibus vicinis quæ erant eis repromiſſæ, omnes mandabantur interfici propter iniquitates eorum priores; ad quas puniendas Dominus populum Iſraël diuinæ iuſtitiæ executorem mittebat; dicitur enim *quia illæ egerunt impiè, introeunte te deleta ſunt.* Ligna autem fructifera mandabantur reſeruari propter vtilitatem ipſius populi; cuius ditioni ciuitas, & eius territorium erat ſubiiciendum. 12. *q.* 105. *art.* 3. *ad quartum.*

Deut. 9. v. 5.

DEVTER. Cap. XXI. v. 1.

Quando inuentum fuerit cadauer occiſi hominis.

Ex 21. v. 12.

ARguitur, Dominus mandauit quòd homicidium morte hominis puniretur. ſed mors bruti animalis multò minùs reputatur quàm occiſio hominis; ergo non poteſt ſufficienter recompenſari pœna homicidii per occiſionem bruti animalis; inconuenienter igitur mandatur quod *quando inuentum fuerit cadauer occiſi hominis, & ignorabitur cædis reus; ſeniores propinquioris ciuitatis tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram ſcidit vomere, & ducent eam ad vallem aſperam atque ſaxoſam, quæ nunquam arata eſt, nec ſementa recepit; & cædent in ea ceruices vitulæ.*

Ad argum. R. quòd ratio literalis iſtius mandati fuit, quia frequenter interfector eſt de ciuitate propinquiori. Vnde occaſio vitulæ fiebat ad explorandum homicidium occultum, quod quidem fiebat per tria. Quorum vnum eſt quòd ſeniores ciuitatis iurabant nihil ſe prætermiſiſſe in cuſtodia viarum. Aliud eſt, quia ille, cuius erat vitula, damnificabatur in occiſione animalis: & ſi priùs manifeſtaretur homicidium, animal non occideretur.

Tertium eſt quia locus in quo occidebatur vitula, remanebat incultus: & ideo ad euitandum vtrumque damnum, homines ciuitatis de facili manifeſtarent homicidam, ſi ſcirent: & rarò poterat eſſe quin aliqua verba, vel indicia ſuper hoc facta eſſent. Vel hoc fiebat ad terrorem in deteſtationem homicidii. Per occiſionem enim vitulæ, quæ eſt animal vtile, & fortitudine plenum; præcipuè antequam laboret ſub iugo; ſignificabatur quod quicunque homicidium feciſſet, quamuis eſſet vtilis & fortis, occidendus erat; & morte crudeli, quòd ceruicis conciſio ſignificabat; & quòd tanquam vilis & abiectus à conſortio hominum excludendus; quod ſignificabatur per hoc quòd vitula occiſa in loco aſpero & inculto relinquebatur, in putredinem conuertenda.

Myſticè autem per vitulam de armento, ſignificatur caro Chriſti; quæ non traxit iugum; quia non fecit peccatum: nec terram ſcidit vomere, id eſt, ſeditionis maculam non admiſit. Per hoc enim quòd in valle inculta occidebatur ſignificabatur deſpecta mors Chriſti, per quam purgantur omnia peccata; & diabolus eſſe homicidii auctor oſtenditur. 12. *q.* 105. *art.* 2. *ad duodecimum.*

Digitized by Google

DEVTER. Cap. 21. v. 11.

Si egreſſus ad pugnam videris mulierem pulchram in medio captiuorum, & adamaueris eam, introeas ad eam, & erit tibi vxor.

ARguitur. Eadem eſt fides quam docet vetus lex, & noua lex: ſed ſecundùm veterem legem poterat eſſe matrimonium inter fidelem & infidelem; vt patet in textu; ergo in noua lege licet.

Ad argum R. quòd lex illa vel loquitur de aliis nationibus cum quibus licitè poterant inire connubia; vel loquitur quando illa captiua ad fidem & cultum Dei conuerti volebat. *Lib. 4. ſent. diſt. 39. art. 1. ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 21. v. 2.*

DEVTER. Cap. 21. v. 15.

Si habuerit homo vxores duas.

EXplicatur ſupra *Geneſ. cap. 16. v. 3.*

DEVTER. Cap. 21. v. 18.

Si genuerit homo filium contumacem.

ARguitur, pater habet filii ſui poteſtatem: ſed eius eſt punire exceſſus qui habet poteſtatem ſuper peccantem; inconuenienter igitur mandatur quòd pater ducat filium ſuum ad ſeniores ciuitatis puniendum, vt patet in textu.

Ad argum. R quòd principatus paternus habet ſolùm admonendi poteſtatem; non autem habet vim coactiuam, per quam rebelles & contumaces comprimi poſſunt. Et ideo in hoc caſu lex mandabat vt filius contumax à principibus ciuitatis puniretur. 12. *q. 105. art. 4. ad quintum.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 22. v. 1. & v. 2.*

DEVTER. Cap. 21. v. 23.

Maledictus eſt à Deo qui pendet in ligno.

EXplicatur infra *Pſ. 68. v. 5. Ex 3. p. q. 46. art. 4.*

DEVTER. Cap. XXII. v. 1.

Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem & praeteribis.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 21. v. 1. & infra Prouerb. cap. 24. v. 1. ex quaeſt. diſp. q. de correct. fraterna art. 1.*

DEVTER. Cap. 22. v. 4.

Si videris aſinum fratris tui aut bouem cecidiſſe in via, ſubleuabis cum eo.

EXplicatur infra *Eccli. cap. 4. v. 30. ex 22. q. 75. art. 4. ad primum.*

DEVTER. Cap. 22. v. 5.

Non induetur mulier veſte virili, nec vir veſte muliebri.

EXplicatur ſupra *Leuit. 19. v. 19. & infra Prouerb. 7. v. 10. ex 22. q. 169. art. 2. ad tertium.*

DEVTER.

DEVTER. Cap. 22. v. 6.

Si nidum auis inueneris, non tenebis matrem cum filijs.

EXplicatur infra *Prouerb. cap. 12. v. 10. ex 12. quæſt. 102. art. 6. ad octauum.*

DEVTER. Cap. 22. v. 9.

Non ſeres vineam tuam altero ſemine.

EXplicatur ſupra *Leuit. cap. 19. v. 19.*

DEVTER. Cap. 22. v. 10.

Non arabis in boue ſimul & aſino.

NOn eſt ſimul arandum in boue & aſino; quia fatuus ſapienti in prædicatione non eſt ſociandus; quia vnus impedit alium. 12. *q.* 102. *art. 6. ad nonum.*

DEVTER. Cap. 22. v. 13.

Si duxerit vir vxorem, & poſtea odio habuerit eam, &c.

ARguitur, homo obiiciens ſtuprum vxori ante coniugium, ſi in probatione defecerit, verberabitur, & centum ſiclis argenti condemnabitur; & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ ſuæ; ergo odium non eſt ſufficiens cauſa repudii.

Ad argum. R. quòd dabatur in pœnam viri quòd non poſſet in perpetuum repudiare vxorem in caſu illo ſicut etiam in alio caſu quando puellam deflorauerat. *Supplem. q. 67. art. 6. ad quintum.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 21. v. 2.*

DEVTER. Cap. 22. v. 20.

Si non eſt in puella inuenta virginitas, lapidibus obruent eam viri ciuitatis illius, & morietur; quia fecit nefas in Iſrael, vt fornicaretur in domo patris ſui.

IVdicio adulterarum lapidabatur ſecundùm legem, non ſolùm illa quæ iam erat deſponſata vel nupta; ſed etiam illa quæ in domo patris cuſtodiebatur vt virgo quandoque nuptura, vt patet in textu. 3. *p. q.* 29. *art.* 1. *ad quartum.*

DEVTER. Cap. 22. v. 21.

Lapidibus obruent eam.

VIdetur quòd inter Ioſeph, & beatam virginem verum matrimonium non fuerit; vouentes enim virginitatem matrimonium non poſſunt contrahere ſine peccato; ſed beata virgo virginitatem vouerat; cùm ergo fuerit immunis ab omni peccato, videtur quòd in matrimonio non conſenſit; & ita inter eam & Ioſeph verum matrimonium non fuit.

2. Matrimonium eſt perpetuum vinculum: ſed *Ioſeph quamuis eſſet iuſtus, volebat occultè dimittere beatam virginem* vt dicitur; ergo non erat inter eos verum matrimonium. *Matt. 1. v. 19.*

3. Nulla cauſa rationalis poteſt aſſignari qualiter matrimonio fuerit iuncta; non enim per hoc virginitas matris Dei diabolum latere potuit; quia corporum conditiones naturali ſenſu cognoſcit: nec iterum ſi nupta non eſſet poterat lapidari propter ſuſpicionem fornicationis, quaſi adultera: nec iterum

decuit vt Chriſtus qui labores noſtros portare venerat, ſolatium viri ad ſuſtentationem matris præpararet; quæ tamen cauſæ à patribus ponuntur; ergo non decuit quòd beata Virgo matrimonio iuncta eſſet.

Matt 1. v. 20. Sed contra eſt quod dicitur, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Præterea, Chriſtus ſuâ natiuitate omnem licitum ſtatum debuit approbare: ſed matrimonium aliter approbari meliùs non potuit quàm quòd ex matrimonio iuncta naſceretur; ergo mater Chriſti debuit eſſe matrimonio iuncta.

Dicendum quòd matrimonium habet duplicem perfectionem, ſcilicet primam, ex qua dicitur matrimonium verum: & ſecundam ex qua dicitur conſummatum. Prima ergo perfectio fuit in matrimonio Beatæ Virginis; quod patet ex hoc quòd fuerunt perſonæ legitimæ ad contrahendum, & fuit ibi conſenſus mutuus per verba expreſſus; quæ ſunt quaſi materia & forma huius Sacramenti. Sed ſecunda perfectio defuit, quia carnalis copula nunquam fuit ſubſecuta; Virgo enim in æuum permanſit. Vnde matrimonium illud fuit verum, ſed tamen nunquam conſummatum.

Matrimonii perfectio duplex.

Ad 1. R. quòd votum dupliciter poteſt fieri: vno modo abſoluté, & ſic votum virginitatis, ſi ſit ſolenne, impedit matrimonium ſequens, & de iure, & de facto. Si autem ſit ſimplex, impedit vt non fiat de iure, quamuis poſſit fieri de facto. Alio modo fit votum virginitatis vel continentiæ ſub conditione, & tunc ſecundùm tenorem conditionis appoſitæ poterit vel nõ poterit matrimonium ſequi. Sic autẽ Beata Virgo virginitatem vouerat, ſub hac ſcilicet conditione, ſi Deo placeret, non quia ei deficeret virginitatis voluntas ſeruandæ; ſed quia in veteri lege nondum perfectionis virginalis tempus aduenerat. Et ideo ex familiari conſilio Spiritus-Sancti in matrimonium conſenſit abſolutè, virginitatem ſuam Deo committens. Et ſic patet quòd conſenſus in matrimonium neque voto fuit contrarius, neque voluntatem virginitatis abſtulit.

Ad 2. R. quòd Ioſeph noluit eam dimittere quaſi aliam ducturus, vel propter aliquam ſuſpicionem, ſed propter timorem reuerentiæ.

Ad 3. R. quòd diabolus potuiſſet cognitione virginitatem matris Dei perpendere matrimonio non obſtante, niſi diuinâ virtute prohibitus eſſet à diligenti examinatione eorum quæ circa virginem erant. Hoc etiam quod de lapidatione dicitur, intelligitur de lapidatione infamiæ, vel quia erat de ſtirpe ſacerdotali, in qua puellis non nuptis deprehenſis in ſtupro, lapidatio inferebatur vt patet in textu. Chriſtus etiam neceſſitatis ſolatia refutare non debuit, nec quantùm ad ſe, nec quantùm ad matrem. *Lib. 4. ſent. ad Annibald. diſt. 30. art. 4. V. Lib. 4. ſent. diſt. 30. q. 2. art. 1. q. 3. & 3. p. q. 29. art. 1.*

DEVTER. Cap. 22. *v.* 25.

Puella quæ opprimitur in agro; non eſt rea mortis, quia clamauit, & nullus affuit qui liberaret eam.

EXplicatur ſupra *Exodi capite* 22. *v.* 1.

DEVTER. Cap. 22. v. 28.

Si inuenerit vir puellam virginem quæ non habet ſponſum & concubuerit cum illa, &c.

EXplicatur infra *Eccleſ. cap. 42. v. 11. ex 22 q. 154. art. 6.*

DEVTER. Cap. XXIII. v. 1.

Non intrabit Eunuchus Eccleſiam Domini.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 12. v. 48.*

DEVTER. Cap. 23. v. 2.

Non ingreditur manzer, hoc eſt, de ſcorto natus in Eccleſiam Domini, vſque ad decimam generationem.

VIdetur quòd illigitimè nati non debeant ab ordinibus ſuſcipiendis impediri; quia filius non debet portare iniquitatem patris; portaret autem ſi propter hoc impediretur ab ordinibus ſuſcipiendis; ergo.

2. Magis impeditur aliquis propter defectum proprium, quàm alienum: ſed à ſuſceptione ordinum propter illicitum concubitum ſuum, non ſemper aliquis impeditur; ergo nec propter illicitum concubitum patris ſui.

Dicendum quòd ordinati in quadam dignitate præ aliis conſtituuntur; ideo ex quadam honeſtate requiritur in eis claritas quædam, non de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti; vt ſcilicet ſint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publicè pœnitentes. Et quia obſcuratur hominis claritas ex vitioſa origine; ideo etiam ex illegitimo thoro nati à ſuſceptione ordinum repelluntur, niſi cum eis diſpenſetur: & tantò eſt difficilior eorum diſpenſatio, quantò eorum origo eſt turpior.

Ad 1. R. quòd irregularitas non eſt pœna iniquitati debita; & ideo patet quòd illegitimè nati non portant iniquitatem patris ex hoc quòd irregulares ſunt.

Ad 2. R. quòd ea quæ per actum proprium committuntur, poſſunt per pœnitentiam ad actum contrarium aboleri; non autem ea quæ ex natura ſunt. Et ideo non eſt ſimile de vitioſo actu, & de vitioſa origine. *Supplem. q. 39. art. 5.*

DEVTER. Cap. 23. v. 3.

Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt in Eccleſiam Domini.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 12. v. 48.*

DEVTER. Cap. 23. v. 7.

Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt; nec Ægyptium; quia aduena fuiſti in terra eius.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 12. v. 48.*

DEVTER. Cap. 23. v. 15.

Non tradas ſeruum Domino ſuo qui ad te confugerit.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 21. v. 2.*

Digitized by Google

Devter. Cap. 23. *v.* 18.

Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domum Dei tui.

Videtur per textum quod de turpi lucro non poſſit fieri eleemoſina, ſicut de meretricio & aleaτo, & quod per ſimoniam acquiritur.

Dicendum quod quando lucrum ipſum eſt lege prohibitum, vt rapina, vſura, & ſimonia; non ſolùm dicitur turpe lucrum, ſed iniquum; & de hoc eleemoſina fieri non poteſt. Sed quando actus quo quis lucratus eſt, lege prohibitus eſt, non autem ipſum lucrum; tunc vocatur turpe lucrum; ſicut eſt in meretricio vel in ſimilibus: & tunc de tali eleemoſina fieri poteſt; quia non tenetur ad reſtitutionem.

Eleemoſina ex turpi lucro an licita.

Ad argum. R quòd de tali lucro non debet fieri oblatio ad altare, præcipuè manifeſtè propter ſcandalum, & reuerentiam ſacrorum, vel ſceleris abominationem. Sed hæ cauſæ non prohibent, quin ex tali eleemoſina fieri poſſit. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 3. *ſimile* 22. *q.* 32. *art.* 7.

Idem locus explicatur infra *prouerb. cap.* 3. *v.* 9. *ex* 22. *quæſt.* 86. *art.* 3.

Devter. cap. 23. *v.* 19.

Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram.

Explicatur infra *Pſ.* 14. *v.* 5. *ex quæſt. diſput. q.* 13. *de malo art.* 4. *ſimile* 22. *q.* 78. *art.* 1.

Devter. cap. 23. *v.* 21.

Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.

Explicatur ſupra *Geneſis cap.* 28. *v.* 20.

Devter. Cap. 23. *v.* 22.

Si nolueris polliceri, abſque peccato eris.

Explicatur infra *Iudicum cap.* 11. *v.* 30. *ex* 22. *q.* 88. *art.* 2.

Devter. Cap. 23. *v.* 23.

Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis.

Explicatur ſupra *Numeror.* 30. *v.* 3. *& infra Eccleſiaſt.* 5. *v.* 3. *ex* 22. *q.* 88. *art.* 3.

Devter. Cap. 23. *v.* 24.

Ingreſſus vineam proximi tui comede vuas quantùm tibi placuerit.

Explicatur ſupra *Exodi capite* 22. *v.* 1.

Devter. Cap. XXVI. *v.* 1.

Scribet libellum repudij, & dabit in manu illius.

Cauſæ repudii in ſpeciali non ſcribebantur in libello, ſed in generali; vt oſtenderetur iuſtum repudium. Sed ſecundùm Ioſephum, vt mulier habens libellum conſcriptum de repudio, alteri nubere poſſet; alias enim ei creditum non fuiſſet. Vnde in eo erat ſcriptura talis ſecundùm eum, promitto tibi quòd nunquam re-

Digitized by Google

cum conueniam Sed ſecundùm Auguſtinum ideo libellus ſcribebatur, vt morâ interueniente, & conſilio ſcribarum diſſuadente, vir à propoſito repudiandi deſiſteret. *Supplem q. 67. art. 7.*

Scribet libellum repudij, & dabit in manu illius. Videtur quòd licet vxori repudiatæ alium virum habere; quia in repudio magis erat iniquitas viri repudiantis quàm vxoris repudiatæ: ſed vir poterat ſine peccato aliam ducere vxorem; ergo & vxor ſine peccato alium virum ducere poterat.

Matth. 5. v. 20. 1. Dominus iuſtitiam noui Teſtamenti oſtendit ſuperabundantem eſſe reſpectu iuſtitiæ veteris Teſtamenti: Hoc autem dicit ad iuſtitiam noui Teſtamenti ſuperabundantem pertinere, quòd vxor repudiata non ducit alterum virum; ergo in veteri lege licebat.

Matt. 5. v. 32. Sed contra eſt quod dicitur, *qui dimiſſam duxerit, mœchatur:* ſed mœchia nunquam fuit in veteri Teſtamento licita; ergo nec vxori repudiatæ licuit alium virum habere.

Pro intelligentia huius quæſtionis priùs ſciendum eſt vtrum ſub lege Moyſi licitum fuerit vxorem dimittere. Et videtur quòd ſic; quia vnus modus conſentiendi eſt non prohibere cùm prohibere poſſit aliquis: conſentire autem illicito eſt illicitum; cùm ergo Moyſes non prohibuerit vxoris repudium, nec peccauerit; videtur quòd repudium fuerit aliquando licitum.

Malac. 2. v. 16. 2. Prophetæ locuti ſunt Spiritu-Sancto inſpirati: ſed dicitur, *Cùm odio habueris, dimitte*; ergo cùm illud quòd Spiritus-Sanctus inſpirat, non ſit illicitum; videtur quòd repudium vxoris non ſemper fuerit illicitum.

3. Sicut Apoſtoli permiſerunt ſecundas nuptias, ita Moyſes permiſit libellum repudii: ſed ſecundæ nuptiæ non ſunt peccatum; ergo nec repudium vxoris ſub lege Moyſi.

Sed contra eſt quod Dominus dicit, quòd libellus repudii datus eſt à Moyſe Iudæis propter duritiam cordis eorum: ſed duritia cordis eorum non excuſabat eos à peccato; ergo neque lex de libello repudii.

Dicendum quòd circa hoc eſt duplex opinio; quidam enim dicunt quòd illi qui ſub lege vxorem dato libello repudii dimittebant, non excuſabantur à peccato; quamuis excuſarentur à pœna ſecundùm legem infligenda. Et propter hoc dicitur Moyſes libellum repudii permiſiſſe: & ſic ponunt quatuor modos permiſſionis. Vnum per priuationem præceptionis, vt quando maius bonum non præcipitur, minus bonum permitti dicitur; ſicut Apoſtolus non præcipiendo virginitatem, matrimonium permiſit. Secundum per priuationem prohibitionis; ſicut venialia dicuntur permiſſa quia non ſunt prohibita. Tertium per priuationem cohibitionis; & ſic peccata omnia dicuntur permitti à Deo, inquantum non impedit, cùm impedire poſſit. Quartum per priuationem punitionis; & ſic libellus repudii in lege permiſſus fuit; non quidem propter aliquod maius bonum conſequendum (ſicut fuit diſpenſatio de pluribus vxoribus habendis, ſed propter maius malum cohibendum, ſcilicet vxoricidium, ad quod Iudæi proni erant propter corruptionem *1. Cor. 7. v. 25.*

Digitized by Google

iraſcibilis. Sicut & permiſſum eſt eis extraneis fœnerari propter corruptionem aliquam in concupiſcibili; ne ſcilicet fratribus ſuis fœnerarentur. Et ſicut etiam propter corruptiònem ſuſpicionis in rationali, fuit permiſſam ſacrificium zelotypiæ, ne ſola ſuſpicio apud eos iudicium corrumperet.

Sed quia lex vetus quamuis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat vt peccatum oſtenderet; ideo aliis videtur, quòd ſi repudiando vxorem peccaſſent; hoc ſaltem eis per legem aut prophetas indicari debuiſſet, *Annuntia populo meo ſcelera eorum*. Aliàs viderentur nimis eſſe neglecti, ſi ea quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, quæ non cognoſcebant, nunquam eis nuntiata fuiſſent; quod non poteſt dici, cùm iuſtitia legis tempore ſuo obſeruata, vitam mereretur æternam.

Eſai. 58. v. 1.

Et propter hoc dicunt quòd quamuis repudiare vxorem per ſe ſit malum, tamen ex permiſſione diuina licitum fiebat. Et quamuis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communiùs ſuſtinetur. Ideo ad vtraſque rationes reſpondendum eſt.

Ad 1 R. quòd aliquis qui poteſt prohibere non peccat, ſi à prohitione abſtineat, non ſperans correctionem; ſed maius malum æſtimans ex tali prohibitione occaſionem ſumere: & ſic accidit Moyſi, vnde diuinâ auctoritate fretus, libellum repudii non prohibuit.

Ad 2. R. quòd prophetæ ſpiritu ſancto inſpirati, non dicebant dimittendam eſſe vxorem, quaſi Spiritus-Sancti præceptum ſit, ſed quaſi permiſſum; ne mala peiora fierent.

Ad 3. R. quòd illa permiſſionis ſimilitudo, non eſt intelligenda quantùm ad omnia; ſed ſolùm quantùm ad cauſam eandem: quia vtraque permiſſio ad vitandum turpitudinem facta eſt.

Ad 4. R. quòd quamuis duritia cordis non excuſaret à peccato, tamen permiſſio ex duritie facta excuſat. Quædam enim prohibentur ſanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter: nec tamen infirmi peccant, permiſſione ſibi factâ vtentes.

Nota quòd aliquod bonum poteſt intermitti dupliciter. Vno modo propter aliquod maius bonum conſequendum; & tunc intermiſſio illius boni ex ordine ad maius bonum, accipit honeſtatem: ſicut intermittebatur ſingularitas vxoris honeſtæ à Iacob propter bonum prolis. Alio modo bonum aliquod intermittitur ad vitandum maius malum: & tunc ſi auctoritate eius qui diſpenſare poteſt, hoc fiat; reatum talis boni intermiſſio non habet, ſed honeſtatem etiam non acquirit: & ſic indiuiſibilitas matrimonii in lege Moyſi intermittebatur propter maius malum vitandum, ſcilicet vxoricidium.

Dicendum ad ſuperiorem quæſtionem, quòd ſecundùm primam opinionem, poſt repudium vxor peccabat alium virum ducendo; quia adhuc primum matrimonium non erat ſolutum; *Mulier enim quanto tempore viuit, alligata eſt legi viri*. Non autem poterat ſimul plures viros habere. Sed ſecundùm aliam opinionem, ſicut licebat viro ex diſpenſatione diuina vxorem repudiare; ita vxori alium virum ducere; quia inſeparabilitas matrimo-

Rom. 7. v. 7.

nii ex cauſa diuinæ diſpenſationis tollebatur, qua inſeparabilitate manente, intelligitur verbum Apoſtoli. Vt ergo ad vtraſque rationes reſpondeamus,

Ad 1. R. quòd viro licebat plures vxores ſimul habere ſecundùm diſpenſationem diuinam; & ideo vnâ dimiſsâ, etiam matrimonio non ſoluto, poterat aliam ducere: ſed nunquam vxori licuit habere plures viros. Et ideo non eſt ſimile.

Ad 2. R. quòd Dominus oſtendit nouam legem abundare per conſilia ad veterem; non ſolùm quantùm ad ea quæ lex vetus licita faciebat: ſed etiam quantùm ad ea quæ in veteri lege illicita erant, ſed à multis licita putabantur per non rectam præceptorum expoſitionem; ſicut patet de odio inimici; & ita eſt etiam de repudio.

Ad 3. R. quòd verbum Domini intelligitur quantùm ad tempus nouæ legis, in quo dicta permiſſio eſt ſublata. *Suppl. q.* 67. *art.* 3. & 4.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 21. *v.* 2.

DEVTER. Cap. 24. *v.* 4.

Non poterit prior maritus recipere eam.

Videtur quòd licebat viro repudiatam à ſe, iterum accipere; licet enim corrigere quod malè factum eſt: ſed malè factum erat quòd vir vxorem repudiabat; ergo licebat hoc corrigere reducendo vxorem ad ſe.

2. Semper licuit peccanti indulgere, cùm ſit morale præceptum, quod in omni lege manet: ſed vir accipiendo vxorem repudiatam, ei peccanti indulgebat; ergo hoc licitum erat.

3. Ponitur pro cauſa quare vxor repudiata non poſſit iterum accipi, quia polluta eſt: ſed repudiata non polluitur, niſi alterum virum ducendo; ergo ſaltem antequam alium virum duceret, licebat eam accipere.

Dicendum quòd in lege de libello repudii duo erant permiſſa, ſcilicet dimittere vxorem, & vxorem dimiſſam alteri iungi; & duo præcepta, ſcilicet ſcriptura libelli repudii; & quòd iterum maritus repudians eam accipere non poſſit: Quodquidem ſecundùm eos qui primam opinionem tenent, factum fuit in pœnam mulieris quæ alteri nupſit; & in hoc peccato polluta eſt. Sed ſecundùm alios, vt vir non de facili vxorem repudiaret, quam poſtea nullomodo recuperare poſſet.

Ad 1. R. quòd ad illius mali impedimentum, quod committebat aliquis repudiando vxorem, ordinabatur, quòd vir vxorem repudiatam aſſumere iteratò non poſſet; & ideo diuinitus ordinatum fuit.

Ad 2. R. quòd ſemper licuit indulgere peccanti, quantùm ad rancorem cordis, ſed non quantùm ad pœnam diuinitus taxatam.

Ad 3. R. quòd in hoc duplex eſt opinio; quidam enim dicunt quòd licuit vxorem repudiatam viro reconciliari, niſi matrimonio alteri viro eſſet iuncta; tunc enim propter adulterium cui ſe mulier voluntariè ſubdidit in pœnam dabatur ei, quòd ad priorem virum non rediret. Sed quia lex vniuerſaliter prohibet, ideo dicunt alii quòd etiam antequam alteri nuberet, non poterat reuocari, ex quo repudiata erat; quia pollutio non intelligitur

quantùm ad culpam: ſed dicitur polluta eo modo quo immundus dicebatur qui mortuum tangebat, vel leproſum; non immunditiâ culpæ, ſed cuiuſdam irregularitatis legalis: vnde & ſacerdoti non licebat viduam, aut repudiatam ducere in vxorem. *Supplem. quaſt.* 67. *art.* 5.

Non poterit prior maritus, &c. Cauſa permiſſionis repudiandi vxorem, fuit vitatio vxoricidii: proxima autem cauſa homicidii eſt odium; & ideo proxima cauſa repudii eſt odium. Sed odium ex aliqua cauſa cauſatur ſicut & amor: & ideo oportet etiam aliquas cauſas repudii ponere remotas, quæ erant cauſa odii. Multæ autem erant in lege (ex Aug.) cauſæ dimittendi vxorem, ſolam Chriſtus fornicationem excepit; cæteras verò moleſtias iubet pro fide & caſtitate coniugii ſuſtineri. Hæ autem cauſæ intelliguntur fœditates in corpore, putà infirmitas, vel aliqua notabilis macula; vel in anima, ſicut fornicatio; vel aliqua huiuſmodi quæ in moribus inhoneſtatem facit.

Sed quidam has cauſas ſatis probabiliter magis coarctant, dicentes, quòd non licebat repudiare niſi propter aliquam cauſam poſt matrimonium ſuperuenientem; nec propter quamlibet talem, ſed propter illas ſolùm quæ poſſunt bonum prolis impedire; vel in corpore, vt ſterilitas aut lepra, aut aliquid huiuſmodi: vel in anima, vt ſi eſſet malorum morum, quos filii ex conuerſatione ad ipſam imitarentur. *Supplem. q.* 67. *art.* 6.

Devter. Cap. 24. *v.* 6.

Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam.

Explicatur ſupra *Deut. cap.* 15. *v.* 2.

Devter. Cap. 24. *v.* 10.

Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingrederis domum eius, vt pignus auferas.

Explicatur ſupra *Deuter. cap.* 15. *v.* 2.

Devter. Cap. 24. *v.* 12.

Non pernoctabit apud te pignus, ſed ſtatim reddes proximo.

Explicatur ſupra *Deuter. cap.* 15. *v.* 2.

Devter. Cap. 24. *v.* 16.

Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus.

Explicatur ſupra *Exodi cap.* 20. *v.* 6.

Devter. Cap. XXV. *v.* 2.

Pro menſura peccati erit & plagarum modus.

Videtur quòd peccato debeatur pœna infinita ſecundùm quantitatem, dicitur enim, *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo; ne fortè ad nihilum redigas me:* *Hiere.* 10. v. 24
Ira autem Dei vel furor metaphoricè ſignificat vindictam diuinæ iuſtitiæ.

Digitized by Google

iuſtitiæ. Redigi autem in nihilum eſt pœna infinita; ſicut & ex nihilo aliquid facere eſt virtutis infinitæ; ergo ſecundùm vindictam diuinam peccatum punitur pœnâ infinitâ ſecundùm quantitatem.

2. Quantitati culpæ reſpondet quantitas pœnæ, vt patet in textu: ſed peccatum quod contra Deum committitur, eſt infinitum. Tantò enim grauius eſt peccatum, quantò maior eſt perſona contra quam peccatur; ſicut grauius peccatum eſt percutere principem, quàm percutere hominem priuatum: Dei autem magnitudo eſt infinita; ergo pœna infinita debetur pro peccato quod contra Deum committitur.

3. Dupliciter eſt aliquid infinitum, duratione ſcilicet & quantitate: ſed duratione eſt pœna infinita; ergo & quantitate.

Sed contra eſt; quia ſecundùm hoc omnium peccatorum mortalium pœnæ eſſent æquales; non enim eſt infinitum infinito maius.

Pœna peccati qualis. Dicendum quòd pœna proportionatur peccato: in peccato autem duo ſunt, quorum vnum eſt auerſio ab incommutabili bono, quod eſt infinitum: vnde ex hac parte peccatum eſt infinitum. Aliud quod eſt in peccato, eſt inordinata conuerſio ad commutabile bonum: & ex hac parte peccatum eſt finitum; tum quia ipſum bonum commutabile eſt finitum; tum etiam quia ipſa conuerſio eſt finita; non enim poſſunt eſſe actus creaturæ infiniti.

Ex parte igitur auerſionis reſpondet peccato pœna damni, quæ etiam eſt infinita; eſt enim amiſſio infiniti boni, ſcilicet Dei. Ex parte autem inordinatæ conuerſionis reſpondet ei pœna ſenſus, quæ etiam eſt finita.

Ad 1. R. quòd omnino redigi in nihilum eum qui peccat, non conuenit diuinæ iuſtitiæ; quia repugnat perpetuitati pœnæ, quæ eſt ſecundùm diuinam iuſtitiam. Sed in nihilum redigi dicitur, qui ſpiritualibus bonis priuatur, ſecundùm illud: *Si non habuero charitatem nihil ſum.* 1. Cor. 13. v. 2.

Ad 2. R. quòd ratio illa procedit de peccato ex parte auerſionis, ſic enim homo contra Deum peccat.

Ad 3. R. quòd duratio pœnæ reſpondet durationi culpæ, non quidem ex parte actus, ſed ex parte maculæ, qua durante manet reatus pœnæ: ſed acerbitas pœnæ reſpondet grauitati culpæ. Culpa autem quæ eſt irreparabilis, de ſe habet quòd perpetuò duret, & ideo debetur ei pœna æterna. Non autem ex parte conuerſionis habet infinitatem: & ideo non debetur ei ex hac parte pœna infinita ſecundùm quantitatem. 12. q. 87. art. 4.

Pro menſura peccati erit & plagarum modus. Videtur quòd per ingratitudinem peccati ſequentis conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum; quia ſecundùm magnitudinem peccati eſt magnitudo beneficii, quo peccatum remittitur; & per conſequens magnitudo ingratitudinis, qua hoc beneficium contemnitur: ſed ſecundùm quantitatem ingratitudinis, eſt quantitas reatus conſequentis; ergo tantus eſt reatus qui conſurgit ex ingratitudine ſequentis peccati, quantus fuit reatus omnium præcedentium peccatorum.

2. Magis peccat qui Deum offen-

Digitized by Google

dit, quàm qui offendit hominem: ſed ſeruus manumiſſus ab aliquo Domino, reducitur in eandem ſeruitutem à qua priùs fuit liberatus, vel etiam in grauiorem; ergo multò magis ille, qui contra Deum peccat poſt liberationem à peccato, reducitur in tantum reatum pœna, quantùm primò habuerat.

Matth. 18. v. 34 3. Dicitur quòd *iratus Dominus tradidit eum* (cui replicantur peccata dimiſſa propter ingratitudinem) *tortoribus quoadvſque redderet vniuerſum debitum*: Sed hoc non eſſet niſi conſurgeret ex ingratitudine tantus reatus, quantus fuit omnium præteritorum peccatorum; ergo æqualis reatus per ingratitudinem redit.

Sed contra eſt quod dicitur in textu; ex quo patet quòd ex paruo peccato non conſurgit magnus reatus: ſed quandoque peccatum mortale ſequens, eſt multò minus quolibet peccatorum priùs dimiſſorum; non ergo ex peccato ſequenti redit tantus reatus, quantus fuit peccatorum priùs dimiſſorum.

Dicendum quòd quidam dixerunt quòd ex peccato ſequenti propter ingratitudinem conſurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum priùs dimiſſorum ſuper reatum proprium huius peccati: ſed hoc non eſt neceſſarium; quia reatus præcedentium peccatorum non redit per peccatum ſequens, inquantum ſequebatur ex actibus præteritorum peccatorum; ſed inquantum conſequitur actum ſequentis peccati. Et ideo oportet quòd quantitas reatus redeuntis ſit ſecundùm grauitatem peccati ſubſequentis.

Poteſt autem contingere quòd grauitas peccati ſubſequentis adæquetur grauitati omnium peccatorum præcedentium: ſed hoc non ſemper eſt neceſſe, ſiue loquamur de grauitate eius quam habet ex ſua ſpecie (cùm quandoque peccatum ſequens ſit fornicatio ſimplex; peccata verò præterita fuerunt adulteria, vel homicidia ſeu ſacrilegia.) ſiue etiam loquamur de grauitate quam habet ex ingratitudine annexa. Non enim oportet quòd quantitas ingratitudinis ſit abſolutè æqualis quantitati beneficii ſuſcepti, cuius quantitas attenditur ſecundùm quantitatem peccatorum priùs dimiſſorum.

Contingit enim quòd contra idem beneficium vnus eſt multùm ingratus, vel ſecundùm intenſionem contemptus beneficii, vel ſecundùm grauitatem culpæ contra benefactorem commiſſæ; alius autem parum; vel quia minùs contemnit; vel quia minùs contra benefactorem agit. Sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficii: ſuppoſito enim æquali contemptu beneficii, vel offenſâ benefactoris, tantò erit grauior ingratitudo, quantò beneficium fuit maius.

Vnde manifeſtum eſt quòd non eſt neceſſe quòd propter ingratitudinem, ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: ſed neceſſe eſt quòd proportionaliter quantò peccata priùs dimiſſa fuerunt plura & maiora, tantò redeat maior reatus per qualecunque ſequens mortale peccatum.

Ad 1. R. quòd beneficium remiſſionis culpæ reſpicit quantitatem abſolutam ſecundùm quantitatem

Digitized by Google

peccatorum priùs dimiſſorum. Sed peccatum ingratitudinis non reſpicit quantitatem abſolutam ſecundùm quantitatem beneficii; ſed ſecundùm quantitatem contemptus vel offenſæ; & ideo ratio non ſequitur.

Ad 2. R quòd etiam ſeruus manumiſſus non reducitur in priſtinam ſeruitutem pro qualicunque ingratitudine, ſed pro aliqua graui.

Ad 3. R quòd illi cui peccata dimiſſa replicantur propter ſubſequentem ingratitudinem redit vniuerſum debitum; inquantum quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter inuenitur in ingratitudine ſubſequenti, non autem abſolutè, vt dictum eſt in corp. art. 3. p. q. 88. art. 3.

Secundùm menſuram delicti, ſic erit & plagarum modus. Videtur quòd non debeat eſſe maior dolor de vno peccato, quàm de alio; nam de peccato præcipuè eſt contritio ſecundùm quod à Deo auertit: ſed in auerſione omnia peccata mortalia conueniunt, quia omnia tollunt gratiam, qua anima Deo coniungitur; ergo de omnibus peccatis mortalibus æqualis debet eſſe contritio.

Dicendum quòd de contritione dupliciter poſſumus loq[illegible]: Vno modo ſecundùm quod ſigilatim ſingulis peccatis reſpondet: & ſic quantùm ad dolorem ſuperioris affectus, requiritur quòd de maiori peccato quis doleat magis; quia ratio doloris eſt maior in vno quàm in alio, ſcilicet offenſa Dei; ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur.

Pecca- torum contritionæquaiis.

Alio modo poteſt accipi contritio ſecundùm quod eſt ſimul de omnibus peccatis, ſicut in actu iuſtificationis; & hæc quidem contritio vel ex ſingulorum conſideratione peccatorum procedit: & ſic quamuis ſit actus vnus, tamen diſtinctio peccatorum virtute manet in ipſo, vel ad minus habet propoſitum de ſingulis cogitandi annexum. Et ſic etiam habitualiter eſt magis de vno quàm de alio.

Ad argum. R. quòd quamuis quodlibet peccatum mortale à Deo auertat, & gratiam tollat; tamen quoddam plus elongat quàm aliud, inquantum maiorem habet diſſonantiam ex ſua inordinatione ad ordinem diuinæ bonitatis quàm aliud. *Supplem. q. 3. art. 3.*

Secundùm menſuram delicti. Videtur quòd per indulgentiam non poſſit aliquid remitti de pœna ſatisfactoria taxata ſecundùm quantitatem culpæ, id enim docet textus.

2. Inferior non poteſt abſoluere ab eo ad quod ſuperior obligauit: ſed D[illegible]us in abſoluendo à culpa, oblig[illegible] ad pœnam temporalem; ergo n[illegible]us homo abſoluere poteſt à pœna illa, aliquid inde dimittendo.

3. Hoc ad poteſtatem excellentiæ pertinet vt ſine Sacramentis, effectus Sacramentorum tradatur: ſed nullus habet poteſtatem excellentiæ in Sacramentis, niſi Chriſtus; cùm ergo ſatisfactio ſit pars Sacramenti pœnitentiæ, operans ad dimiſſionem pœnæ debitæ; videtur quòd nullus homo purus poſſit dimittere debitum pœnæ ſine ſatisfactione.

4. Poteſtas miniſtris Eccleſiæ non eſt tradita in deſtructionem, ſed in ædificationem: ſed hoc ad deſtru-

Digitized by Google

ctionem pertineret, ſi ſatisfactio quæ ad vtilitatem noſtram inducta eſt, inquantum remedium præbet, tolleretur; ergo poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ ad hoc ſe non extendit.

Sed contra, Eccleſia vniuerſalis non poteſt errare: nam Chriſtus dixit Petro, ſuper cuius confeſſione Eccleſia fundata eſt, *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua*: ſed Eccleſia vniuerſalis indulgentias approbat & facit; ergo indulgentiæ aliquid valent. *Luca 22. v. 32*

Indulgentiæ ad quid valent. Dicendum quòd indulgentiæ valent & quantùm ad forum Eccleſiæ, & quantùm ad iudicium Dei, ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem & abſolutionem, & confeſſionem, ſiue ſit iniuncta ſiue non. Ratio autem quare valere poſſint, eſt vnitas corporis myſtici, in qua multi in operibus pœnitentiæ ſupererogauerunt ad menſuram debitorum ſuorum; & multas etiam tribulationes iniuſtas ſuſtinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, ſi eis deberetur: Quorum meritorum tanta eſt copia, quòd omnem pœnam debitam nunc viuentibus excedunt; & præcipuè propter meritum Chriſti, quod etſi in Sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in Sacramentis includitur; ſed ſuâ infinitate excedit efficaciam Sacramentorum.

Cùm autem vnus pro alio ſatisfacere poſſit, ſancti in quibus ſuperabundantia operum ſatisfactionis inuenitur, non determinatè pro iſto qui remiſſione indiget, huiuſmodi opera fecerunt; aliàs abſque omni indulgentia remiſſionem conſequeretur; ſed communiter pro tota Eccleſia, ſicut Apoſtolus ait, ſe *adimplere ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore ſuo*, pro Eccleſia ad quam ſcribit. Et ſic prædicta merita ſunt communia totius Eccleſiæ. Ea autem quæ ſunt alicuius multitudinis communia, diſtribuuntur ſingulis de multitudine, ſecundùm arbitrium eius qui multitudini præeſt. Vnde ſicut aliquis conſequeretur remiſſionem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfeciſſet; ita ſi ſibi ſatisfactio alterius per eum qui poteſt, diſtribuatur. *Coloſſ. 1. v. 24.*

Ad 1. R. quòd remiſſio quæ per indulgentias fit, non tollit quantitatem pœnæ ad culpam; quia pro culpa vnius, alius ſponte pœnam ſuſtinuit.

Ad 2. R. quòd ille qui indulgentias ſuſcipit, non abſoluitur ſimpliciter loquendo à debito pœnæ; ſed datur ſibi vnde debitum ſoluat.

Ad 3. R. quòd effectus Sacramentalis abſolutionis eſt diminutio reatus: & hic effectus non inducitur per indulgentias; ſed pro eo faciens indulgentias ſoluit pœnam, quam debuit, de bonis Eccleſiæ communibus.

Ad 4. R. quòd maius remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quàm ex aſſuetudine noſtrorum operum. Et quia ex affectu, quem accipiens indulgentias concipit ad cauſam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam diſponitur; ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur: & ita non eſt in deſtructionem indulgentias dare, niſi inordinatè dentur.

Tamen conſulendum eſt eis qui indulgentias conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ

iniunctis abſtineant; vt etiam ex his remedium conſequantur, quamuis à debito pœnæ eſſent immunes; & præcipuè quia quandoque ſunt plurium debitores quàm credant. *Supplem. q.* 25. *art.* 1.

Pro menſura peccati erit & plagarum modus. Videtur quòd ex diuina iuſtitia non inferatur peccatoribus pœna æterna; pœna enim non debet excedere culpam vt patet in textu: ſed culpa eſt temporalis; ergo pœna non debet eſſe æterna.

2. Duorum peccatorum mortalium vnum eſt altero maius; ergo vnum debet maiori pœna quàm alterũ puniri: ſed nulla pœna eſt maior quàm æterna, cũ ſit infinita; ergo non cuilibet peccato mortali debetur pœna æterna; & ſi vni non debetur, nulli debetur; cùm eorum diſtantia non ſit infinita.

3. A iuſto iudice non infertur pœna niſi ad correctionem; quia pœnæ ſunt quædam medicinæ: ſed quòd impii in æternum puniantur, hoc non eſt ad correctionem eorum, nec aliquorum aliorum; cùm tunc non ſint aliqui futuri, qui per hoc corrigi poſſint; ergo ſecundùm diuinam iuſtitiam non infertur pro peccatis pœna æterna.

4. Omne quod non eſt per ſe volitum, nullus vult niſi propter aliquam vtilitatem: ſed pœnæ non ſunt à Deo per ſe volitæ, non enim delectatur in pœnis; cùm ergo nulla vtilitas accedere poſſit ex pœnæ perpetuatione, videtur quòd perpetuam pœnam pro peccato non inferet.

5. Nihil quod eſt per accidens eſt perpetuum: ſed pœna eſt eorum quæ ſunt per accidens, cùm ſit contra naturam; ergo non poteſt eſſe perpetua.

6. Iuſtitia Dei hoc requirere videtur vt peccatores ad nihilum redigantur; quia per ingratitudinem meretur quis beneficia amittere: inter cætera autem Dei beneficia eſt, ipſum eſſe: vnde videtur iuſtum vt peccator qui ingratus Deo exiſtit, ipſum eſſe amittat. Sed ſi in nihilum redigantur, eorum pœna non poteſt eſſe perpetua; ergo non videtur eſſe conſonum diuinæ iuſtitiæ vt peccatores perpetuò puniantur.

Sed contra eſt quod dicitur *Ibunt hi*, ſcilicet peccatores, *in ſupplicium æternum*. *Matth.* 25. v. 46

Præterea, ſicut ſe habet præmium ad meritum, ita pœna ad culpam: ſed ſecundùm diuinam iuſtitiam merito temporali debetur præmium æternum, *Omnis qui videt filium & credit in eum habet vitam æternam*; ergo & culpæ temporali ſecundùm diuinam iuſtitiam debetur pœna æterna. *Ioan.* 6. v. 40.

Præterea, pœna taxatur ſecundùm dignitatem eius in quem peccatur: vnde maiori pœnâ punitur qui percutit alapâ principem, quàm alium quemcunque. Sed quicunque mortaliter peccat, contra Deum peccat, cuius præcepta tranſgreditur, & cuius honorem alii impertitur, dum in alio finem conſtituit: maieſtas autem Dei eſt infinita; ergo quicunque peccat mortaliter, dignus eſt infinitâ pœnâ; & ita videtur quòd iuſtè pro peccato mortali aliquis perpetuò puniatur.

Dicendum quòd cùm pœna duplicem habeat quantitatem, ſcilicet ſecundùm intenſionem acerbitatis, & ſecundùm durationem temporis; quantitas pœnæ reſpon-

Digitized by Google

det quantitati culpæ ſecundùm intenſionem acerbitatis, vt ſecundùm quòd grauiùs quis peccauit; ſecundùm hoc grauior pœna ei infligatur. Vnde *quantùm glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum & luctum*: non autem reſpondet duratio pœnæ durationi culpæ: non enim adulterium quod in momento temporis perpetratur, momentaneâ pœnâ punitur etiam ſecundùm leges humanas.

App. 18 v. 7.

Pœna damnatorum æterna.

Sed duratio pœnæ reſpicit diſpoſitionem peccantis: quandoque enim ille qui peccat in aliqua ciuitate, ex ipſo peccato efficitur dignus, vt totaliter à ciuium conſortio repellatur, vel per exilium perpetuum, vel etiam per mortem. Quandoque verò non redditur dignus vt totaliter à ſocietate ciuium excludatur: & ideo vt poſſit eſſe conueniens membrum ciuitatis, pœna ei prolongatur, vel breuiatur ſecundùm quod expedit eius curationi; vt in ciuitate conuenienter & pacificè viuere poſſit.

Et ita etiam ſecundùm diuinam iuſtitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus à ciuitatis Dei conſortio ſeparari; quod fit per omne peccatum quo contra charitatem peccat, quæ eſt vinculum ciuitatem prædictam vniens. Et ideo pro peccato mortali, quod eſt contrarium charitati, aliquis eſt in æternum à ſocietate ſanctorum excluſus, & æternæ pœnæ addicitur.

Quòd autem pœna quam ciuitas mundana infligit, perpetua non reputatur, hoc eſt per accidens, vel in quantũ homo perpetuo non manet vel inquantum etiam ipſa ciuitas deficit. Vnde ſi homo in perpetuũ viueret, pœna exilii vel ſeruitutis, quæ per legem humanam infertur, in eo perpetuò maneret.

Qui verò hoc modo peccant, vt tamen inde non reddantur digni totaliter ſeparari à ſanctæ ciuitatis conſortio, ſicut peccantes venialiter; tantò eorum pœna erit breuior, vel diuturnior, quantò magis vel minùs purgabiles erunt; ſecundùm quod eis peccata vel plus vel minùs inhæſerunt: Quod in pœnis huius mundi & purgatorii ſecundùm diuinam iuſtitiam ſeruatur.

Cur pœna damnatorum æterna.

Poteſt & alia ratio aſſignari quare pœna culpæ mortalis ſit æterna; quia per eam contra Deum, qui eſt infinitus, peccatur. Vnde cùm non poſſit eſſe infinita pœna per intenſionem; quia creatura non eſt capax alicuius qualitatis infinitæ; requiritur quòd ſit ſaltem duratione infinita.

Eſt etiam alia ratio ad hoc idem, quia culpa manet in æternum; cùm culpa non poſſit remitti ſine gratia, quam homo non poteſt poſt mortem acquirere; nec debet pœna ceſſare quandiu culpa manet.

Ad 1. R. quòd pœna non debet æquari culpæ ſecundùm quantitatem durationis; vt videtur etiam ſecundùm leges humanas accidere. Vel dicendum quòd quamuis culpa ſit actu temporalis, voluntate tamen eſt æterna.

Ad 2. R. quòd quantitati peccati reſpondet quantitas pœnæ ſecundùm intenſionem, & ideo peccatorum mortalium inæqualium erunt pœnæ inæquales intenſione, æquales autem duratione.

Ad 3. R. quòd pœnæ quæ infliguntur his, qui à ciuitatis ſocietate non penitus eiiciuntur, ſunt ad correctionem eorum ordinatæ: ſed

Digitized by Google

illæ pœnæ per quas aliqui totaliter à ciuitatis ſocietate exterminantur, non ſunt ad correctionem eorum: poſſunt tamen eſſe ad correctionem & tranquillitatem aliorum qui in ciuitate remanent. Et ita damnatio æterna impiorum eſt ad correctionem eorum qui nunc ſunt in Eccleſia: Non enim pœnæ ſunt ad correctionem ſolùm quando infliguntur: ſed etiam quando determinantur.

Ad 4. R. quòd impiorum pœnæ in perpetuum duraturæ non erunt omnino inutiles: vtiles enim erunt ad duo, *Primò* ad hoc quòd in eis diuina iuſtitia conſeruatur, quæ eſt Deo accepta propter ſeipſam: *Secundò* ad hoc ſunt vtiles, vt de his electi gaudeant; dum in his Dei iuſtitiam contemplantur, & dum cognoſcunt ſe euaſiſſe. Vnde *lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam*. Et *erunt* (ſcilicet impii) *vſque ad ſatietatem viſionis* ſcilicet ſanctis.

Pſ. 57. v. 11.
Eſaiæ vlt. v. 24.

Ad 5. R. quòd quamuis pœna per accidens reſpondeat animæ; tamen per ſe reſpondet animæ culpâ infectæ. Et quia culpa in perpetuum in ea manebit; ideo etiam pœna erit perpetua.

Ad 6. R. quòd pœna reſpondet culpæ propriè loquendo, ſecundùm inordinationem quæ inuenitur in ipſa, & non ſecundùm dignitatem eius in quem peccatur; quia ſic cuilibet reſpondet pœna infinita intenſione. Quamuis ergo ex hoc quòd aliquis peccat contra Deum, qui eſt auctor eſſendi, mereatur ipſum eſſe amittere; conſideratâ tamen ipſius actus inordinatione, non debetur ei amiſſio eſſe: quia eſſe præſupponitur ad meritum & demeritum, nec per inordinationem peccati, eſſe tollitur, vel corrumpitur. Et ideo non poteſt eſſe debita pœna alicuius culpæ, priuatio ipſius eſſe. *Supplem. q. 99. art. 1.*

Idem locus explicatur ſupra *Gen. cap. 2. v. 17. Exodi capite 22. v. 1. & Exodi cap. 32. v. 27.*

DEVTER. Cap. 25. v. 5.

Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit; vxor defuncti non nubet alteri.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 21. v. 2.*

DEVTER. Cap. 25. v. 13.

Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus.

EXplicatur infra *Eccleſiaſtici cap. 26. v. 28. ex 22. q. 96. art. 2. ad ſecundum. Et Eſaiæ cap. 1. v. 22. ex 22. q. 77. art. 2.*

DEVTER. Cap. XXVI. v. 2.

Tolles de cunctis frugibus tuis primitias.

VIdetur quòd oblatio ſacrificii non ſit ſpecialis actus virtutis; nam maceratio corporis quæ fit per ieiunium pertinet ad abſtinentiam: quæ autem fit per continentiam pertinet ad caſtitatem: quæ autem eſt in martyrio, pertinet ad fortitudinem: quæ omnia videntur comprehendi ſub ſacrificii oblatione, ſecundùm illud *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam.* *Rom. 12. v. 1.*
Dicitur etiam *beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim* *Hebr. 13. v. 16.*

hoſtis promeretur Deus. Beneficentia autem & commúnio pertinent ad charitatem, miſericordiam & liberalitatem; ergo ſacrificii oblatio non eſt ſpecialis actus determinatæ virtutis.

2. Sacrificium videtur quod Deo exhibetur: ſed multa ſunt quæ Deo exhibentur, ficut deuotio, oratio, decimæ, primitiæ, oblationes, & holocauſta; ergo ſacrificium non videtur eſſe aliquis ſpecialis actus determinatæ virtutis.

Dicendum quòd quando actus vnius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, participat quodammodo ſpeciem eius; ſicut cùm quis furatur vt fornicetur, ipſum furtum accipit quodammodo fornicationis deformitatem: ita quòd ſi etiam aliàs non eſſet peccatum, ex hoc iam peccatum eſſet, quod ad fornicationem ordinatur. Sic ergo Sacrificium eſt quidam ſpecialis actus laudem habens ex hoc quòd in diuinam reuerentiam fit; propter quod ad determinatam virtutem pertinet, ſcilicet ad religionem.

Contingit autem & ea quæ ſecundùm alias virtutes fiunt, in diuinam reuerentiam ordinari; putà cùm aliquis eleemoſinam facit de rebus propriis propter Deum: vel cùm aliquis proprium corpus alicui afflictioni ſubiicit propter diuinam reuerentiam. Et ſecundùm hoc etiam actus aliarum virtutum ſacrificia dici poſſunt.

Sunt tamen quidam actus qui non habent ex alio laudem, niſi quia fiunt propter reuerentiam diuinam. Et iſti actus propriè ſacrificia dicuntur, & pertinent ad virtutem religionis.

Ad 1. R. quòd triplex eſt hominis bonum: *Primum* quidem eſt bonum animæ quod Deo offertur interiori quidam ſacrificio per deuotionem, & orationem, & alios huiuſmodi interiores actus. Et hoc eſt principale Sacrificium. *Secundum* eſt bonum corporis quod Deo quodammodo offertur per martyrium, & abſtinentiam, ſeu continentiam. *Tertium* eſt bonum exteriorum rerum de quo Sacrificium offertur Deo; directè quidem quando immediatè res noſtrás Deo offerimus; mediatè autem quando eas communicamus proximis propter Deum. **Bonum hominis triplex.**

Ad 2. R. quòd ſacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: ſicut quod animalia occidebantur, & comburebantur; quòd panis frangitur & comeditur & benedicitur; & hoc ipſum nomen ſonat: Nam ſacrificium dicitur ex hoc quòd homo facit aliquid ſacrum. Oblatio autem directè dicitur, cùm Deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circa ipſum fiat; ſicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, circa quos nihil fit. Vnde omne ſacrificium eſt oblatio, ſed non conuertitur. Primitiæ autem oblationes ſunt; quia Deo offerebantur, vt patet in textu. Non autem ſunt ſacrificia; quia nihil ſacrum circa eas fiebat. Decimæ autem propriè loquendo, non ſunt ſacrificia neque oblationes: quia non immediatè Deo, ſed miniſtris diuini cultus exhibentur. 22. *quæſt.* 85. *art.* 3.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 13. *v.* 9.

Digitized by Google

DEVTER. Cap. 26. v. 3.

Profiteor hodie coram Domino Deo tuo.

EXplicatur ſupra *Numer. cap. 6. v. 23.*

DEVTER. cap. 26. v. 10.

Offero primitias frugum terræ quas Dominus dedit mihi.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 23. v. 9.*

DEVTER. Cap. XXVII. v. 26.

Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius.

EXplicatur ſupra *Deuter. cap. 4. v. 8. & infra 4. Reg. cap. 2. v. 24. ex. 22. quæſt. 76. art. 1.*

DEVTER. Cap. XXVIII. v. 1.

Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra.

VIdetur quòd lex noua ſit grauior quàm lex vetus; nam facilius eſt terrenâ proſperitate vti quàm tribulationes perpeti: ſed in veteri Teſtamento obſeruationem veteris legis conſequebatur proſperitas temporalis, vt patet in textu: obſeruationem autem nouæ legis conſequitur multiplex aduerſitas; prout dicitur *Ex-*
hibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, &c Ergo lex noua eſt grauior quàm lex vetus. 2. Cor. 6. v. 4.

2. Quod ſe habet ex additione ad alterum, videtur eſſe difficilius: ſed lex noua ſe habet ex additione ad veterem; nam lex vetus prohibuit periurium; lex noua etiam iuramentum: lex vetus prohibuit diſſidium vxoris ſine libello repudii; lex autem noua omnino diſſidium prohibuit, vt patet ſecundùm expoſit. Auguſt. ergo idem quod priùs. Matth. 5. v. 32.

Dicendum quòd circa opera virtutis, de quibus præcepta legis dantur, duplex difficultas attendi poteſt: vna quidem ex parte exteriorum operum, quæ ex ſeipſis quandam difficultatem habent & grauitatem. Et quantùm ad hoc lex vetus eſt multò grauior quàm noua; quia ad plus actus exteriores obligat lex vetus in multiplicibus cæremoniis quàm lex noua; quæ præter præcepta legis naturæ pauciſſima ſuperaddidit in doctrina Chriſti, & Apoſtolorum: licet aliqua ſint poſtmodum ſuperaddita ex inſtitutione ſanctorum patrum.

Alia autem difficultas eſt circa opera virtutum in interioribus actibus, putà quòd aliquis opus virtutis exerceat promptè & delectabiliter: & circa hoc difficile eſt virtus. Hoc enim non habenti virtutem eſt valde difficile; ſed per virtutem redditur facile. In quibus lex noua eſt facilior ege veteri.

Et quantùm ad hoc præcepta nouæ legis ſunt grauiora præceptis veteris legis; quia in noua lege prohibentur interiores motus animi, qui expreſsè in veteri lege non prohibebantur in omnibus, etſi in ali-

quibus prohiberentur: in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur. Hoc autem eſt difficillimum non habenti virtutem.

Ad 1. R. quòd aduerſitates quas patiuntur obſeruatores nouæ legis, non ſunt ab ipſa lege impoſitæ: ſed tamen propter amorem, in quo ipſa lex conſiſtit faciliter tolerantur.

Ad 2. R. quòd illæ additiones ad præcepta veteris legis, ad hoc ordinantur, vt faciliùs impleatur quod vetus lex mandabat. Et ideo per hoc non oſtenditur quòd noua lex ſit grauior, ſed magis quòd ſit facilior. 12. *q.* 107. *art.* 4.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 21. *v.* 26. *& infra Pſ.* 33. *v.* 11. ex 12. *q.* 114. *art.* 10.

DEVTER. Cap. 28. *v.* 12.

Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies.

EXplicatur infra *Pſalm.* 14. *v.* 5. *ex quæſt. diſput. q.* 13. *de malo art.* 4.

DEVTER. Cap. 28. *v.* 32.

Filij tui & filiæ tuæ tradentur alteri populo videntibus oculis tuis.

EXplicatur infra *Eccl. cap.* 35. *v.* 17. *ex* 22. *q.* 65. *art.* 4.

DEVTER, cap. 28. *v.* 56.

Tenera mulier & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter mollitiem.

VIdetur quòd mollities non opponatur perſeuerantiæ; nam delicia mollities quædam eſt: ſed eſſe delicioſum videtur pertinere ad intemperantiam; ergo mollities non opponitur perſeuerantiæ, ſed magis temperantiæ.

2. Luſiuus eſt mollis: ſed eſſe immoderatè luſiuum apponitur Eutrapeliæ, quæ eſt virtus circa delectationes ludorum; ergo mollities non opponitur perſeuerantiæ.

Dicendum quòd laus perſeuerantiæ in hoc conſiſtit quòd aliquis non recedit à bono propter diuturnam tolerantiam difficilium & laborioſorum; cui directè videtur opponi quòd aliquis de facili recedat à bono, propter aliqua difficilia quæ ſuſtinere non poteſt. Et hoc pertinet ad rationem mollitiei: nam molle dicitur quod facilè cedit tangenti.

Non autem iudicatur molle ex hoc quòd cedit fortiter impellenti; nam & parietes cedunt machinæ percutienti. Et ideo non reputatur aliquis mollis, ſi cedat aliquibus valde grauiter impellentibus. Manifeſtum eſt autem quòd grauiùs impellit metus periculorum, quàm cupiditas delectationum. Vnde non eſt conſentaneum qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec qui inuictum ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate. Ipſa etiam voluptas fortiùs mouet attrahendo, quàm triſtitia de carentia voluptatis retrahendo; quia carentia voluptatis eſt purus defectus. Et ideo propriè mollis dicitur qui recedit à bono propter triſtitias cauſatas ex defectu delectationum, quaſi cedens debili mouenti.

Nota quòd prædicta mollities cauſatur dupliciter: vno modo ex conſuetudine; cùm enim aliquis conſuetus eſt voluptatibus frui, diſ-

ficiliùs poteſt earum abſentiam ſuſtinere. Alio modo ex naturali diſpoſitione; quia videlicet habet animum minùs conſtantem propter fragilitatem complexionis.

Ad 1. R. quòd voluptati corporali opponitur labor. Et ideo res laborioſæ tantùm impediunt voluptates. Delicioſi autem dicuntur qui non poſſunt ſuſtinere aliquos labores, nec aliquid quod voluptatem diminuat, vt patet in textu. Et ideo delicia mollities quædam eſt. Sed mollities propriè reſpicit defectum delectationum: deliciæ autem cauſam impeditiuam delectationis, putà, laborem, vel aliquid huiuſmodi.

Ad 2. R. quòd in ludo duo eſt conſiderare: vno quidem modo delectationem; & ſic inordinatè luſiuus opponitur Eutrapeliæ. Alio modo in ludo conſideratur quædam remiſſio, ſiue quies quæ opponitur labori. Et ideo ſicut non poſſe ſuſtinere laborioſa, pertinet ad mollitiem; ita etiam nimis appetere remiſſionem ludi, vel quamcumque aliam quietem. 22. *q.* 138. *art.* 1.

DEVTER. Cap. XXX. *v.* 15.

Conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è conuerſo mortem & malum.

ELectiones & voluntates humanæ ſubduntur diuinæ prouidentiæ; omnia enim quæ Deus agit, ex ordine prouidentiæ ſuæ agit; cùm igitur ipſe ſit cauſa electionis & voluntatis noſtræ, & electiones & voluntates noſtræ diuinæ prouidentiæ ſubduntur.

Ampliùs, Omnia corporalia per ſpiritalia adminiſtrantur: ſpiritualia autem agunt in corporalia per voluntatem. Si igitur electiones & motus voluntatum intellectualium ſubſtantiarum ad Dei prouidentiam non pertinent; ſequitur quòd etiam corporalia ipſius prouidentiæ ſubtrahantur; & ſic totaliter nulla erit prouidentia. Voluntates humanæ ſubduntur diuinæ prouidentiæ.

Item, ea quæ ſunt propinquiora fini, magis cadunt ſub ordine qui eſt ad finem: nam eis mediantibus etiam aliam ordinantur in finem: Actiones autem ſubſtantiarum intellectualium propinquiùs ordinantur in Deum ſicut in finem, quàm actiones aliarum rerum; magis igitur cadunt actiones intellectualium ſubſtantiarum ſub ordine prouidentiæ qua Deus omnia in ſeipſum ordinat, quàm actiones aliarum rerum.

Præterea, gubernatio prouidentiæ ex amore diuino procedit, quo Deus res à ſe creatas amat; in hoc enim præcipuè conſiſtit amor quòd amans amato bonum velit; quantò ergo Deus aliqua magis amat, tantò magis ſub eius prouidentia cadunt. Hoc autem docet Scriptura dicens, *Dominus cuſtodit omnes diligentes ſe.* Pſ. 144. v. 20.

Adhuc, bona interiora hominis quæ ex voluntate & electione dependent, ſunt magis propria hominis, quàm illa quæ extra ipſum ſunt; vt adeptio diuitiarum, vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi: vnde per illa homo dicitur eſſe bonus; non autem per iſta. Si igitur electionis humanæ & voluntatis motus non cadunt ſub diuina prouidentia, ſed ſolùm exteriores prouentus; veriùs erit quòd res humanæ ſint extra

prouidentiam, quàm quòd prouidentiæ ſubſint. Quod quidem ex
Iob 22. v. 14. perſona blaſphemantium inducitur, *Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.*
Ezech. 9. v. 9. Et, *dereliquit Dominus terram.*

Videtur autem quædam in doctrina ſacra ſecundùm prædictam ſen-
Eccl. 15. v. 14. tentiam ſonare; dicitur enim *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.*
Eccle. 15 v. 17. Et infra: *Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Et, conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è conuerſo mortem & malum, vt patet in textu. Hæc autem verba ad hoc inducuntur, vt homines eſſe liberi arbitrii oſtendantur; non vt eorum electiones à diuina prodentia ſubtrahantur. *Contra gentiles lib. 3. cap. 90.*

DEVTER. Cap. 30. v. 20.

Ipſe eſt vita tua.

Explicatur ſupra *Geneſ. cap. 39. v. 21.*

DEVTER. Cap. XXXII. v. 4.

Dei perfecta ſunt opera.

Explicatur ſupra *Gen. cap. 1. v. 31. & infra Eccle. cap. 3. v. 14. ex 12. q. 98. act. 2.*

DEVTER. Cap. 32. v. 4.

Deus fidelis & abſque vlla iniquitate.

Explicatur infra *Eſaiæ cap. 53. v. 6. ex 3. p. q. 47. art 3.*

DEVTER. Cap. 32. v. 6.

Nonne eſt ipſe pater tuus qui poſſedit & fecit & creauit te?

Videtur quòd hoc nomen *Pater* non dicatur in diuinis ſecundùm quod perſonaliter ſumitur; commune enim ſecundùm intellectum eſt prius proprio: ſed hoc nomen *Pater* ſecundùm quod perſonaliter ſumitur, eſt proprium perſonæ patris: ſecundùm verò quod ſumitur eſſentialiter, eſt commune toti Trinitati; nam toti Trinitati dicimus Pater noſter; ergo per prius dicitur pater eſſentialiter ſumptum, quàm perſonaliter.

Sed contra eſt, quòd æternum prius eſt temporali: ab æterno autem Deus eſt pater filii, ex tempore autem pater eſt creaturæ; ergo per prius dicitur paternitas in Deo reſpectu filii, quàm reſpectu creaturæ.

Dicendum quòd per prius dicitur nomen de illo, in quo ſaluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de illo in quo ſaluatur ſecundùm aliquid: de hoc enim dicitur quaſi per ſimilitudinem ad id in quo perfectè ſaluatur, quia omnia imperfecta ſumuntur à perfectis. Et inde eſt quòd hoc nomen *Leo* per prius dicitur de animali, in quo tota ratio leonis ſaluatur, quod propriè dicitur leo; quàm de aliquo homine in quo inuenitur aliquid de ratione leonis, vt putà audacia, vel fortitudo, vel aliquid huiuſmodi. De hoc enim per ſimilitudinem dicitur.

Manifeſtum eſt autem quòd perfecta ratio paternitatis & filiationis, inuenitur in Deo patre, & Deo

filio; quia Patris & Filii vna eſt natura & gloria. Sed in creatura filiatio inuenitur reſpectu Dei, non ſecundùm perfectam rationem; cùm non ſit vna natura creatoris & creaturæ: ſed ſecundùm aliqualem ſimilitudinem. Quæ quantò perfectior fuerit, tantò propinquiùs accedit ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicuius creaturæ pater propter ſimilitudinem veſtigii tantùm, vt pote irrationalium creaturarum, ſecundùm illud *Quis eſt pluuiæ pater? aut quis genuit ſtellas roris?* Alicuius verò creaturæ, ſcilicet rationalis, ſecundùm ſimilitudinem imaginis, vt patet in textu. Aliquorum verò eſt pater ſecundùm ſimilitudinem gratiæ, qui etiam dicuntur filii adoptiui, ſecundùm quod ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum. Aliquorum verò ſecundùm ſimilitudinem gloriæ; prout iam gloriæ hæreditatem poſſident.

Deus quomodo dicitur pater filii ſui & creaturarum.

Iob. 38. v. 28.

Sic igitur patet quòd per prius paternitas dicitur in diuinis ſecundùm quod importat reſpectus perſonæ ad perſonam, quàm ſecundùm quod importatur reſpectus Dei ad creaturam.

Ad argum. R. quòd communia abſolutè dicta, ſecundùm ordinem intellectus noſtri ſunt priora quàm propria; quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non è conuerſo. In intellectu enim perſonæ patris intelligitur Deus; ſed non conuertitur. Sed communia quæ important reſpectum ad creaturam, per poſterius dicuntur quàm propria, quæ important reſpectus perſonales; quia perſona procedens in diuinis, procedit vt principium productionis creaturarum. Sicut enim verbum conceptum in mente artificis, per prius intelligitur procedere ab artifice quàm artificiatum quod producitur ad ſimilitudinem verbi concepti in mente: ita per prius procedit filius à patre quàm creatura, de qua nomen filiationis dicitur; ſecundùm quod aliquid participat de ſimilitudine filii, vel patris; vt patet per illud quod dicitur, quos præſciuit & prædeſtinauit fieri conformes imaginis filii eius. 1. *p. q.* 33. *art.* 3. Rom. 8. v. 29.

Nonne eſt ipſe pater tuus. Videtur quòd Spiritus-Sanctus debeat dici pater Chriſti ſecundùm humanitatem; quia pater dat principium actiuum in generatione, mater verò miniſtrat materiam: ſed beata Virgo dicitur mater Chriſti propter materiam quam in conceptione eius miniſtrauit; ergo videtur quòd etiam Spiritus-Sanctus poſſit dici pater eius propter hoc quòd fuit principium actiuum in conceptione ipſius.

2. Sicut mentes aliorum Sanctorum formantur per Spiritum-Sanctum, ita etiam corpus Chriſti eſt per Spiritum-Sanctum formatum: ſed alii ſancti propter prædictam formationem dicuntur filii totius Trinitatis, & per conſequens Spiritus-Sancti. Videtur ergo quòd Chriſtus debeat dici filius Spiritus-Sancti, inquantum corpus eius eſt à ſpiritu ſancto formatum.

3. Deus dicitur pater noſter ſecundùm hoc quod nos fecit, vt patet in textu: ſed Spiritus-Sanctus fecit corpus Chriſti; ergo idem quod prius.

Dicendum quòd nomina paternitatis & maternitatis & filiationis,

Digitized by Google

generationem conſequuntur; non tamen quamlibet, ſed propriè generationem viuentium, & præcipuè animalium. Non enim dicimus quòd ignis generatus, ſit filius ignis generantis, niſi fortè ſecundùm metaphoram: ſed hoc ſolùm dicimus in animalibus, quorum generatio eſt magis perfecta.

Nec tamen omne quod in animalibus generatur, filiationis accipit nomen: ſed ſolùm illud quod generatur in ſimilitudinem generantis: vnde non dicimus quòd capillus qui naſcitur ex homine, ſit filius hominis: nec etiam dicimus quòd homo qui naſcitur, ſit filius ſeminis; quia nec capillus habet ſimilitudinem hominis; nec homo qui naſcitur ex ſemine, habet ſimilitudinem ſeminis; ſed hominis generantis.

Et ſi quidem perfecta ſit ſimilitudo, erit perfecta filiatio, tam in diuinis quàm in humanis. Si autem ſit ſimilitudo imperfecta, erit etiam filiatio imperfecta. Sicut in homine eſt quædam ſimilitudo Dei imperfecta, & inquantum creatus eſt ad imaginem Dei, & inquantum creatus eſt ſecundùm ſimilitudinem gratiæ: & ideo vtroque modo poteſt homo dici filius Dei. Et quia ſcilicet eſt creatus ad imaginem eius; & quia eſt ei aſſimilatus per gratiam.

Eſt autem conſiderandum quòd illud quod de aliquo dicitur ſecundùm perfectam rationem, non eſt dicendum de eo ſecundùm rationem imperfectam: ſicut quia ſortes dicitur naturaliter homo ſecundùm propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo ſecundùm illam ſignificationem, qua pictura hominis dicitur homo; licet fortè ipſe aſſimiletur alteri homini.

Chriſtus autem eſt filius Dei ſecundùm perfectam rationem filiationis: vnde quamuis ſecundùm humanam naturam ſit creatus & iuſtificatus; non tamen debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iuſtificationis; ſed ſolùm ratione generationis æternæ, ſecundùm quam eſt filius patris ſolius. Et ideo nullo modo debet dici Chriſtus filius Spiritus-Sancti; nec etiam totius Trinitatis. *Chriſtus nō eſt filius Spiritus Sancti.*

Ad 1. R. quòd Chriſtus conceptus eſt de Maria Virgine materiam miniſtrante in ſimilitudinem ſpeciei; & ideo dicitur filius eius. Chriſtus autem ſecundùm quod homo, conceptus eſt de Spiritu-Sancto, ſicut de actiuo principio; non tamen ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, ſicut homo naſcitur de patre ſuo: & ideo Chriſtus non dicitur filius Spiritus Sancti. *Quomodo Chriſtus eſt filius B. Virginis.*

Ad 2. R. quòd homines qui ſpiritualiter formantur à Spiritu-Sancto, non poſſunt dici filii Dei ſecundùm perfectam rationem filiationis: & ideo dicuntur filii Dei ſecundùm filiationem imperfectam, quæ eſt ſecundùm ſimilitudinem gratiæ, quæ eſt à tota Trinitate. Sed de Chriſto eſt alia ratio, vt dictum eſt in corp. art. Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium. 3. *p. q.* 32. *art.* 3.

DEVTER. Cap. 32. *v.* 7.

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi.

EXplicatur infra *Pſalm.* 118. *v.* 100. *ex* 22. *q.* 1. *art.* 7.

DEVTER. Cap. 32. *v.* 35.

Mea eſt vltio.

*Pſ.*144. *v.* 9. ARguitur, Dicitur, *Miſeratio-nes eius ſuper omnia opera eius*; ergo plus decuit quòd Deus oſtenderet immenſitatem ſuæ miſericordiæ quàm ſeueritatem ſuæ iuſtitiæ: ſed ad magnitudinem miſericordiæ pertinet vt peccata ſine ſatisfactione remittantur. Vnde & à Deo nobis præcipitur vt debitoribus noſtris gratis dimittamus; ergo & Deus naturam humanam gratis reparare debuit, non expetendo ſatisfactionem; & ita non fuit oportunum vt Deus homo fieret ad ſatisfaciendum pro hominibus

Ad argum. R. quòd quamuis Deus ſit ſummè miſericors, ſua tamen miſericordia nullo modo iuſtitiæ ſuæ obuiat: miſericordia enim quæ iuſtitiam tollit, magis ſtultitia quàm virtus dici debet; & ita Deum non decet; propter quod Deus miſericordiam infinitam ſic manifeſtare voluit vt in nullo eius iuſtitiæ derogaretur, quod factum eſt dum pro nobis homo factus eſt; vt pro nobis ſatisfaceret, in quo etiam eius abundantior miſericordia oſtenſa eſt ad nos, quàm ſi peccatum ſine ſatisfactione dimiſiſſet, inquantum naturam noſtram magis exaltauit, & pro nobis mortem pertulit.

Nec tamen eſt ſimile de homine & de Deo propter duo: *Primò* quia ipſe Deus eſt iudex omnium; ad quem pertinet iuſtitiæ ordinem ſeruare; non autem homo quilibet: Vnde & iudex non debet proprio arbitrio peccata dimittere impunita. *Secundò* quia cùm Deus ſit ipſa bonitas, ex hoc ipſo eſt aliquod malum, quod contra ipſum eſt: & ideo cùm pœna non debeatur actui, niſi quia malus eſt; decet, vt ipſe ſe vindicet puniendo peccatum, quod contra ipſum commiſſum eſt: ſecus autem eſt de homine, vnde homo non debet punire quaſi ſe vindicans; ſed quaſi Deum vindicans, ſi hoc ex officio habet. Vnde dicitur in textu ſecundùm aliam literam, *Mihi vindicta & ego retribuam. Lib.* *Ex Heb. textu & Rom.* 11. *v.* 19. 3. *ſent. diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 2. *ad quantum.*

Mea eſt vltio. Videtur quòd omnis ira ſit mala; nam quicunque vſurpat ſibi quod Dei eſt, peccat: ſed quicunque iraſcitur, vſurpat ſibi vindictam quæ competit ſoli Deo, vt patet in textu; ergo quicunque iraſcitur peccat.

Dicendum quòd in ira, ſicut in qualibet alia paſſione, duo poſſumus conſiderare: vnum quod eſt quaſi formale, aliud quod eſt quaſi materiale. Formale quidem in ira eſt id quod eſt ex parte animæ appetitiua, quod ſcilicet ira ſit appetitus vindictæ. Materiale autem id quod pertinet ad commotionem corporalem, ſcilicet quòd ira ſit accenſio ſanguinis circa cor. *Iræ deſcriptio.*

Ira ergo ſi conſideretur ſecundùm id quod eſt formale in ea, ſic poteſt eſſe & in appetitu ſenſitiuo, & in appetitu intellectiuo, qui eſt voluntas, ſecundùm quam aliquis poteſt velle ſumere vindictam. Et ſecundùm hoc manifeſtum eſt quòd ira poteſt eſſe & bona & mala.

Manifeſtum eſt enim quòd quando aliquis quærit vindictam ſecundùm debitum iuſtitiæ ordinem, hoc eſt virtutis, putà cùm vindictam quærit ad correctionem peccati ſaluato ordine iuris: & hoc eſt

Digitized by Google

iraſci contra peccatum.

Cùm autem aliquis inordinatè appetit vindictam, eſt peccatum, vel quia quærit vindictam præter ordinem iuris; vel quia quærit vindictam magis intendens exterminationem peccantis quàm abolitionem peccati; & hoc eſt iraſci in fratrem.

Ad argum. R. quòd ille qui iraſcitur de peccato fratris ſui, non quærit vindictam ſui, ſed vindictam Dei; Peccatum enim nihil aliud eſt quam offenſa Dei. Et ita ille qui iuſtè iraſcitur, non vſurpat illud ſibi quod Dei eſt. *In quæſt. diſput. q. 12. de malo art. 1. Vid. 22. q. 108. art. 1. & q. 158. art. 1.*

Devter. Cap. 32. v. 38.

De quorum victimis comedebant adipes.

Explicatur ſupra *Exodi cap. 12. v. 19.*

Devter. Cap. 32. v. 40.

Viuo ego in æternum.

Deus ex neceſſitate eſt viuens; quia eſt intelligens & volens: intelligere autem & velle non niſi viuentis eſt, eſt ergo Deus viuens.

Adhuc, viuere ſecundùm hoc aliquibus attributum eſt quòd viſa ſunt per ſe, non ab alio moueri. Et propter hoc illa quæ videntur per ſe moueri, quorum motores vulgus non percipit, per ſimilitudinem dicimus viuere: ſicut aquam viuam fontis fluentis, non autem ciſternæ vel ſtagni ſtantis; & argentum viuum, quod motum quendam habere videtur.

Propriè enim illa ſola per ſe mouentur, quæ mouent ſeipſa, compoſita & motore & moto, ſicut animata. Vnde hæc ſola propriè viuere dicimus; alia verò omnia ab aliquo exteriori mouentur vel generante, vel renouante prohibens, vel impellente. Et quia operationes ſenſibiles cum motu ſunt vlteriùs, omne illud quod agit ſe ad proprias operationes, quamuis non ſit cum motu, dicitur viuere: vnde intelligere, appetere, & ſentire, actiones vitæ ſunt.

Sed Deus maximè non alio, ſed à ſeipſo operatur, cùm ſit prima cauſa agens; maximè ergo competit ei viuere. Item, diuinum eſſe omnem perfectionem eſſendi comprehendit: viuere autem eſt quoddam eſſe perfectum; vnde viuentia in ordinentium non viuentibus præferuntur; diuinum ergo eſſe eſt viuere; ipſe ergo eſt viuens.

Hoc autem confirmatur per textum, &, *Cor meum & caro mea* *Pſ 83. v. 3.*
exultauerunt in Deum viuum. Contra Gentiles lib. 1. cap. 97. Vid. 1. p. q. 18. art. 3.

Viuo ego in æternum. Vita Dei eſt ſempiterna; quia nihil deſinit viuere niſi per ſeparationem vitæ; nihil autem à ſeipſo ſeparari poteſt. Omnis enim ſeparatio fit per diuiſionem alicuius ab alio; impoſſibile eſt ergo quòd Deus deſinat viuere, cùm ipſe ſit ſua vita.

Item, omne illud quod quandoque eſt & quandoque non eſt, eſt per aliquam cauſam: nihil enim ſeipſum de non eſſe ad eſſe adducit; quia quod nondum eſt non agit. Diuina autem vita non habet aliquam cauſam, ſicut nec diuinum eſſe; non igitur quandoque eſt viuens & quandoque

Digitized by Google

quandoque non viuens, ſed ſemper viuit; eſt ergo vita eius ſempiterna.

Ampliùs, Deus omnino immobilis eſt: quod autem incipit aut deſinit viuere, vel in viuendo ſucceſſionem patitur, immutabile non eſt; nam vita alicuius incipit per generationem, deſinit autem per corruptionem: ſucceſſio autem propter motum aliquem eſt; Deus ergo neque incepit viuere, neque deſinet viuere, neque in viuendo ſucceſſionem patitur; eſt ergo Deus vita ſempiterna. *Contra Gentiles lib.* 1 *cap.* 99.

Devter. Cap. 32. v. 42.

De captiuitate nudati inimicorum capitis.

Videtur quòd ordinati non debeant coronæ tonſuram habere; quia Dominus captiuitatem comminatur; & diſperſionem his qui ſic attondantur, vt patet in textu, & *Diſpergam in omnem ventum eos qui in comam attonſi ſunt*: ſed miniſtris Chriſti non debetur captiuitas, ſed libertas, ergo corona, tonſura, & raſura eis non competit. *Ierem.* 49. *v.* 32

2. Veritas debet reſpondere figuræ: ſed figura coronæ præceſſit in veteri lege in tonſura Nazaræorum; cùm ergo Nazaræi non eſſent ordinati ad miniſterium diuinum; videtur quòd miniſtris Eccleſiæ non debeatur tonſura vel raſura coronæ. Et hoc etiam videtur per hoc quòd conuerſi, qui non ſunt miniſtri Eccleſiæ, tondentur in religionibus.

3. Per capillos ſuperflua ſignantur; quia capilli ex ſuperfluis generantur: ſed miniſtri altaris omnes ſuperfluitates à ſe debent abiicere; ergo totaliter debent caput tondere, & non in modum coronæ.

Sed contra, capilli in velamentum dati ſunt vt patet: ſed miniſtri altaris debent habere mentem velatam; ergo competit eis raſura coronæ. *1 Cor.* 11. *v.* 15.

Dicendum quòd eis qui ad diuina miniſteria applicantur competit tonſura & raſura in modum coronæ, & ratione figuræ; quia corona eſt ſignum regni & perfectionis, cùm ſit circularis. Illi autem qui diuinis miniſteriis applicantur adipiſcuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute eſſe debent. Corona miniſtris Eccleſię conuenit.

Competit etiam eis ratione ſubtractionis capillorum, & ex parte ſuperiori per raſuram; ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione diuinorum retardetur: & ex parte inferiori per tonſuram, ne eorum ſenſus temporalibus obvoluantur.

Ad 1. R. quòd Dominus comminatur illis, qui hoc ad cultum dæmonum faciebant.

Ad 2. R. quòd ea quæ fiebant in veteri Teſtamento, imperfectè repræſentant ea quæ ſunt in nouo Teſtamento. Et ideo ea quæ pertinent ad miniſtros noui Teſtamenti, non ſolùm ſignantur per officia Leuitarum; ſed per omnes illos qui aliquam perfectionem profitebantur. Nazaræi autem profitebantur perfectionem quandam in depoſitione comæ, ſignantes temporalium contemptum; quamuis non in modum coronæ deponerent, ſed omnino totum; quia nondum erat tempus regalis & perfecti ſacerdotii.

Et ſimiliter etiam conuerſi tondentur propter renuntiationem temporalium: ſed non raduntur; quia non occupantur diuinis mini-

Digitized by Google

ſteriis, in quibus diuina oporteat eos mente contemplari.

Ad 3. R. quòd non ſolùm debet ſignificari temporalium abiectio; ſed etiam regalis dignitas in forma coronæ. Et ideo non debet totaliter coma tolli; & etiam ne indecens videatur. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 24. *q.* 3. *art.* 1. *& ſupplem. q.* 40. *art.* 1.

DEVTER. Cap. XXXIII. *v.* 9.

Qui dixerit patri ſuo & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis ignorò illos, & neſcierunt filios ſuos; hi cuſtodierunt eloquium tuum.

VIdetur quòd occaſione religionis ſint prætermittenda pietatis officia in parentes, hoc patet in textu, & dicit Dominus, *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vnde & in laudem Iacobi & Ioannis dicitur quòd *relictis retibus & patre ſecuti ſunt Chriſtum.*

Luca 14 *v.* 16.

Matth. 4. *v.* 22.

2. Deus per excellentiam dicitur pater noſter: ſed ſicut per pietatis obſequia colimus parentes, ita per religionem colimus Deum; ergo prætermittenda ſunt pietatis obſequia propter religionis cultum.

3. Religioſi tenentur ex voto, quod tranſgredi non licet, ſuæ religionis obſeruantias implere, ſecundùm quas ſuis parentibus ſubuenire impediuntur; tum propter paupertatem; quia proprio carent: tum etiam propter obedientiam; quia ſine licentia ſuorum prælatorum eis clauſtrum exire non licet; ergo propter religionem prætermittenda ſunt pietatis officia in parentes.

Dicendum quòd religio & pietas ſunt duæ virtutes: nulla autem virtus alii virtuti contrariatur aut repugnat; quia bonum non eſt bono contrarium. Vnde non poteſt eſſe quòd pietas, & religio ſe mutuò impediant; vt propter actum vnius, actus alterius excludatur: cuiuſlibet enim virtutis actus debitis circunſtantiis limitatur; quas ſi prætereat, iam non erit virtutis actus, ſed vitii.

Filiorū pietas erga parētes.

Vnde ad pietatem pertinet, officium & cultum parentum exhibere, ſecundùm debitum modum. Non eſt autem debitus modus vt plus homo tendat ad colendum patrem, quàm ad colendum Deum. Si ergo cultus parentum abſtrahat nos à cultu Dei; iam non eſſet pietatis, parentum inſiſtere cultui contra Deum. Et ideo in tali caſu dimittenda ſunt officia pietatis in parentes propter diuinum religionis cultum.

Si verò exhibendo debita obſequia parentibus, non abſtrahamur à diuino cultu, hoc iam pertinebit ad pietatem: & ſic non oportebit propter religionem pietatem deſerere.

Ad 1. R. quòd parentes, quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſcire debemus. Si enim parentes noſtri nos prouocent ad peccandum, & abſtrahant nos à cultu diuino, debemus quantùm ad hoc, eos deſerere & odire. Iacobus autem & Ioannes laudantur ex hoc quòd ſunt ſecuti Dominum dimiſſo parente; non quia eorum pater eos prouocaret ad

Digitized by Google

malum; ſed quia aliter æſtimabant ipſum poſſe vitam tranſigere, eis Chriſtum ſequentibus.

Ad 2. R. quòd hoc ipſum quod parentibus carnalibus ex pietate exhibemus, in Deum referimus; ſicut & alia miſericordiæ opera, quæ quibuſcumque proximis impendimus, Deo exhibita videntur, ſecundum illud *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Et ideo ſi carnalibus parentibus noſtra obſequia ſunt neceſſaria, vt ſine his ſuſtentari non poſſint; nec nos ad aliquid contra Deum inducant; non debemus intuitu religionis eos deſerere. Si autem ſine peccato eorum obſequiis vacare non poſſumus; vel etiam ſi abſque noſtro obſequio poſſint ſuſtentari; licitum eſt eorum obſequia prætermittere ad hoc, quòd amplius religioni vacemus.

Matth. 25. v. 40

Ad 3. R. quòd aliud dicendum eſt de eo qui eſt adhuc in ſeculo conſtitutus, & aliud de eo qui iam eſt in religione profeſſus. Ille enim qui eſt in ſeculo conſtitutus, ſi habet parentes, qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt; non debet eis relictis religionem intrare; quia tranſgrederetur præceptum de honoratione parentum. Si verò ſine eo parentes vitam tranſigere poſſint, licitum eſſet ei deſertis parentibus religionem intrare; quia filii non tenentur ad ſuſtentationem parentum, niſi cauſâ neceſſitatis.

Ille verò qui iam eſt in religione profeſſus, reputatur iam quaſi mortuus mundo. Vnde non debet occaſione ſuſtentationis parentum, exire clauſtrum; in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſecularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, ſaluâ ſui prælati obedientiâ, & ſuæ religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter eius parentibus ſubueniatur. 22. q. 101. art. 4. *Idem explicatur ſupra exodi capite 20. v. 12.*

DEVTER. Cap. 33. v. 15.

De pomis c[illegible] num æternorum.

EXplicatur infra *Iob 24. v. 19. ex 1. p. q. 10. art. 3.*

DEVTER. Cap. 33. v. 26.

Aſcenſor cœli, auxiliator tuus.

EXplicatur infra *Pſ. 46. v. 6. ex. 3. p. q. 57. art. 2.*

DEVTER. Cap. XXXIV. v. 10.

Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes.

EXplicatur ſupra *Numer. cap. 12. v. 6. & 8.*

Libri Deuteronomij finis.

Digitized by Google

10-6-K-1

INDEX MATERIARVM

P. Paginam C. Columnam indicat.

Abraham.

ABrahæ lymbus explicatur. *p.* 208. *col.* 1
Abſolutio Sarament. Sunt 5. caſus in quibus ſimplex ſacerdos pœnitentem ad ſuperiorem remittit. *p.* 317. *c.* 1

Acceptio perſonarum.
Acceptio perſonarum peccatum eſt. *p.* 311. *c.* 1. *pag.* 417. *c.* 1. *& pag.* 461. *c.* 1

Accidens.
Accidens 4. modis deficit. *pag.* 436. *c.* 1

Accuſatio.
Accuſare aliquem quomodo & quando licet. *p.* 339. *c.* 1

Acquirere.
Acquiruntur malè aliqua dupliciter. *p.* 195. *c.* 1

Adamus.
Adami in ſtatu innocentiæ cognitio actiua. *p.* 101. *c.* 1

Admiratio.
Admiratio ex duobus cauſatur. *p.* 379. *c.* 1

Adoratio.
Adoratio Deo debetur. *p.* 176. *c.* 2
Chriſti imago quomodo adoranda. *p.* 267. *c.* 1
Quare versùs occidentem adoramus. *p.* 321. *c.* 1

Æqualis.
Quomodo vir & vxor ſunt æquales. *p.* 99. *c.* 2

Æternus.
Mundus non eſt æternus. *p.* 2. *c.* 1
Damnatorum pœna æterna. *p.* 105. *c.* 1
Damnatorum pœna cur æterna. *p.* 480. *c.* 1.

Affinitas.
Affinitas quomodo matrimonium impedit. *p.* 351. *c.* 1

Agere.
Omne agens agit propter bonum & finem. *p.* 3. *col.* 2. *p.* 66. *c.* 1

Angelus.
In Creatione non fit mentio de Angelis, & quare. *p.* 2. *c.* 2
Angeli non peccauerunt in primo inſtanti. *p.* 11. *c.* 1
Quomodo Angeli & homines cognoſcunt futura. *p.* 110. *c.* 1
Angeli non poſſunt generare. *p.* 149. *c.* 2
Angeli poſſunt corpora aſſumere. *p.* 175. *c.* 2
Angeli non exercent opera vitæ in corporibus aſſumptis. *p.* 177. *c.* 2
Deus punit per bonos & malos Angelos. *p.* 180. *c.* 2
Angeli quomodo mediatores *p.* 429. *c.* 1.

Digitized by Google

Angelorum Cuſtodia.
De cuſtodia Angelorum. p. 314 c. 1
Amicitia. Amor.
Amicitiæ & amoris differentia. p. 55. c. 1
Anima.
Per aduentum animæ excluduntur omnes formæ quæ priùs inerant. p. 76. c. 1
Anima humana producitur in eſſe à Deo per Creationem. p. 81. c. 2
Anima humana eſt incorruptibilis. p. 82. c. 2
Cibus quomodo inquinat Animam. p. 344. c. 2
Animal.
Animalia homini naturaliter ſubiecta. p. 38. c. 1
De animalibus in ſacrificio oblatis. p. 221. c. 2
Animal non eſt liberi arbitrii. p. 257. c. 2
Arbitrium Liberum.
animal non eſt liberi Arbitrii, p. 257. c. 2
Augurium.
Virginitati aureola debetur. p. 51. c. 1
Aureola quibus debeatur. pag. 319. c. 1 Aureola.
Auguria quomodo licita. p. 188. c. 1
Azimus.
Chriſtus Euchariſtiam confecit in azimo. p. 225. c. 1
Baptiſatus, Baptiſmus.
Baptizare,
Circuncifio erat præparatoria ad Baptiſmum. p. 171. c 2
Baptiſari non poſſunt paruuli in vteris maternis exiſtentes. p. 205. c. 2
Baptiſmus Ioannis fuit à Deo. p. 218. c. 2
Cur Chriſtus Baptizatus in Iordane. p. 251. c. 1
Blaſphemia.
Blaſphemia eſt peccatum morta-le. p. 372. c. 1
Bonum.
Omne agens agit propter Bonum. p. 67. c. 2
Bonum duplex. p. 285. c. 1
Peccatum eſt grauius, ex eo quòd maiori bono opponitur. p. 394. c. 2
Bonum hominis triplex. p. 482. c. 2
Bona Temporalia V. Temporalia bona.
Cæremoniæ.
Cæremoniæ vnde dictæ. p. 423. c. 1
Diuiſio cæremoniarum veteris legis. p. 449. c. 2
Carcer.
Incarcerare licet malos. p. 371. c. 1
Charitas.
Nos ipſos ex charitate debemus diligere. p. 360. c. 2
Charitatis præcepta p. 453 c. 1. & 2
Chriſtianus.
De ieiuniis Iudæorum & Chriſtianorum. p 329. c. 2
Chriſtus.
Chriſti præſentatio in templo. p. 246. c. 2
Cur Chriſtus baptizatus in Iordane. p. 251. c. 1
Chriſti Sacerdotium ſempiternum. p. 348. c. 1
Chriſti doctrina non fuit occulta. p. 377. c. 1
Prophetia fuit in Chriſto. p. 390. c. 1
Chriſtus non eſt filius Spiritus-Sancti Deuter. cap. 32. v. 6
Quomodo Chriſtus eſt filius Beatæ Virginis. ibid.
Chriſti corpus. V. Euchariſtia.
Cibus.
Homo in ſtatu innocentiæ indigebat cibis. p. 89. c. 1
Cibus quomodo animam inquinat. p. 344. c. 2

Circuncifio.

Circuncifio erat præparatoria ad baptiſmum. p. 171. c. 2

Circunciſionis inſtitutio. p. 237. c. 1

Circuncifio octauo die fiebat & quare. p. 369. c. 2

Ciuis.

Ciuis dupliciter intelligitur. pag. 246. c. 1

Clauis.

Claues regni cœlorum non habebant ſacerdotes veteris legis. pag. 340. c. 2

Clericus.

Decimæ clericis debentur. p. 397. c. 1

Per acceptionem coronæ Clericus non renuntiat temporalibus bonis. p. 397. c. 2

Clerici non tenentur decimas dare. p. 398. c. 1

Cœlum.

Motus cœli ceſſabit homine glorificato. p. 20. c. 1

Cognitio.

Cognitio matutina & veſpertina. p. 14. c. 1

Cognitio Dei actiua. p. 61. c. 2

Coïtus.

In ſtatu innocentiæ generatio fuiſſet per Coïtum. p. 42. c. 1. p. 45. c. 1. & p. 48. c. 2

Concubina.

Concubina nunquam fuit licita. p. 167. c. 2

Concupiſcentia.

Concupiſcentia duplex. p. 386. c. 2

Confeſſio.

Non omnis circunſtantia confitenda. p. 172. c. 2

Confeſſio in lege Moyſi. p. 338. c. 2

Conſilia Euangelica.

Præcepta abſque conſiliis obſeruari poſſunt. p. 171. c. 1

Continentia.

Virginitas & continentia licitæ. p. 47. c. 1

Contritio.

Peccatorum contritio inæqualis. p. 477. c. 1

Corona.

Per acceptionem Coronæ clericus non renuntiat temporalibus bonis. p. 397. c. 2

Corona miniſtris Eccleſiæ conuenit. Deuter. cap. 32. v. 42

Corpus.

Deus corpora mouet. p. 17. c. 2

Deus non eſt corpus. p. 25. c. 2

Corpora omnia propter hominem. p. 76. c. 2

Angeli poſſunt corpora aſſumere. p. 173. c. 2

Diuina prouidentia diſponit corpora inferiora per corpora cœleſtia. p. 424. c. 2

Corpus Chriſti. V. Euchariſtia.

Correctio Fraterna.

Correctio fraterna quomodo facienda. p. 100. c. 1

Creare Creatio.

Tria opera tribus diuinis perſonis appropriantur, Creatio patri, recreatio Filio, glorificatio Spiritui ſancto. p. 2. c. 1

In Creatione non fit mentio de Angelis, & quare. p. 2. c. 2

Creare quid ſit. Ibid.

Creatio eſt in inſtanti. p. 3. c. 1

Creatio eſt propria Dei actio. pag. 3. c. 2

Creatura.

Deus & homo finis creaturarum. p. 40. c. 1

Creatura corporalis eſt à Deo. p. 71. c. 2

Maledicere creaturam propter tria licet. p. 127. c. 1

Quomodo Deus dicitur pater creaturarum. V. Pater.

Digitized by Google

Culpa.

Culpa plus habet de ratione mali quàm pœna. p. 146. c. 1

Dæmon.

Dæmonum cognitio actiua. pag. 16. c. 16

Tentare proprium diaboli. pag. 182. c. 1

Dæmones non operantur ad miracula facienda. p. 216. c. 1

Dæmon aliquando verum dicit. p. 405. c. 1

Damnatus.

Damnatorum pœna æterna, & quare. p. 480. c. 2

Debitum.

Debitum petens die feſto non peccat. p. 258. c. 2

Quando non licet mulieri menſtruatæ debitum petere. p. 352. c. 1

Decalogus *V. Præceptum.*

Decimæ.

Præceptum de ſolutione decimarum eſt iudiciale. p. 163. c. 2

Homines de omnibus decimas dare debent. p. 194. c. 2

Decimas dare eſt de iure diuino. p. 307. c. 2

Decimæ Clericis debentur. pag. 397. c. 1

Clerici non tenentur Decimas dare. p. 398. c. 1

Deſperatio.

Deſperatio ſine infidelitate eſſe poteſt. p. 147. c. 2

Detractor.

Detractoris deſcriptio. p. 355. c. 2

Deuotio.

Deuotionis deſcriptio. p. 336. c. 2

Deus.

Deus corpora mouet. p. 17. c. 2

Deus non eſt corpus. p. 25. c. 2

Deus & homo, finis creaturarum. p. 40. c. 1.

Dei cognitio actiua. p. 61. c. 2

Deus ſuâ prouidentiâ gubernat vniuerſa. p. 70. c. 2

Voluntas à ſolo Deo mouetur. p. 73. c. 2

Paſſiones quomodo ſunt in Deo. p. 150. c. 2

Voluntas Dei eſt immutabilis. p. 151. c. 2

Dei omnipotentia ſuadetur. pag. 178. c. 1

Deus in hac vita per eſſentiam non poteſt videri. p. 198. c. 1

Deus eſt quinque rationibus probatur. p. 213. c. 1

Quomodo Deus eſt cauſa obdurationis. p. 216. c. 2

Deus quomodo poteſt nominari à nobis. p. 252. c. 1

Deus vnus eſt. p. 265. c. 1. & p. 431. c. 1

Veritas Deus eſt. p. 404. c. 1

Deus quomodo dicitur pater filii ſui & creaturarum. *Deuter. cap.* 32. *v.* 6.

Deus vita eſt. *Deuter. cap.* 31. *v.* 40

Diabolus *V. Dæmon.*

Dilectio Diligere.

Dilectio Dei duplex, generalis & ſpecialis. p. 75. c. 1. & p. 205. c. 2

Comparatio dilectionis parentum & vxoris. p. 113. c. 1

Inimicorum dilectio. p. 356. c. 1. & p. 360. c. 1

Nos ipſos ex charitate diligere debemus. p. 360. c. 2

Tria quæ requiruntur ad diligendum Deum. p. 453. c. 2

Diſcretio.

Naſus diſcretionis Symbolum. p. 325. c. 1

Diſpenſare.

Rector multitudinis poteſt in ſuis legibus diſpenſare. p. 414. c. 1

Doctrina.

Chriſti doctrina non fuit occul-

ta. p. 377. c. 1

Dubium.

Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda. p. 153. c. 2

Ebrietas.

Ebrietas quomodo excuſat à peccato. p. 180. c. 2

Electio.

Regis electio. p. 256. c. 2

Eleemoſina.

Eleemoſina ex turpi lucro an licita. p. 470. c. 1

Euchariſtia.

Euchariſtia continet verum corpus Chriſti. p. 223. c. 2

Euchariſtiam Chriſtus confecit in azimo. p. 225. c. 2

Corpus Chriſti non eſt mobiliter in Sacramento Euchariſtiæ. pag. 229. c. 1

Chriſtus ſub vtraque ſpecie Euchariſtiæ continetur. p. 143. c. 2

Excommunicare Excommunicatio.

Excommunicari non debet vniuerſitas. p. 172. c. 1

Schiſmaticorum pœna excommunicatio. p. 393. c. 2

Falſum Teſtimonium.

V. Teſtimonium falſum.

Fama.

Fama hominis conſeruanda. pag. 201. c. 1

Famæ reſtitutio quomodo facienda. p. 299. c. 2

Feſtum.

Debitum petens die feſto non peccat. p. 258. c. 2

Fides.

Symboli fidei neceſſitas. p. 417. c. 2

Filius.

Quomodo filius punitur pro patre. p. 271. c. 2

Quomodo Deus dicitur pater filii ſui & creaturarum. *Deuter. cap.* 32. *v.* 6.

Quomodo Chriſtus eſt filius B. Virginis. *Ibid.*

Filiorum pietas erga parentes. *Deuter. cap.* 33. *v.* 9.

Finis.

Deus & homo finis creaturarum. p. 40. c. 1

Omne agens agit propter finem. pag. 67. c. 2

Legis humanæ & diuinæ finis. p. 185. c. 1

Fœmina. *V. Mulier.*

Fœminæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ. p. 44. c. 1

Forma.

Per aduentum animæ excluduntur omnes formæ quæ priùs inerant. p. 79. c. 1

Fornicatio.

Fornicatio peccatum mortale eſt. p. 100. c. 1. p. 169. c. 2. & p. 203. c. 1. & 2

Fortitudo.

Fortitudinis neceſſitas. p. 463. c. 2

Frater.

Frater quatuor modis dicitur. pag. 160. c. 2

Furtum.

Aduersùs furtum. p. 281. c. 2

Futurus.

Quomodo Angeli & homines cognoſcunt futura. p. 110. c. 1

Futurorum cognitio. p. 405. c. 2

Futura præexiſtunt in duobus. *Ib.*

Generare, Generatio.

In ſtatu innocentiæ generatio fuiſſet per coitum. p. 42. c. 1. p. 45. c. 1. p. 48. c. 2

Angeli non poſſunt generare. p. 149. c. 2

Gratia.

Gratia eſt aliquid creatum in anima. p. 60. c. 1

Gratia eſt in ſubſtantia ani-

mæ. p. 138. c. 1
Gratia tria ſignificat. p. 205. c. 1
Gratia eſt accidens. p. 385. c. 1

Gubernare.

Deus ſuâ prouidentiâ gubernat vniuerſa. p. 70. c. 2

Gula.

Gula non eſt peccatum mortale ex genere ſuo. p. 328. c. 2

Hæreticus.

Hæretici ad Eccleſiam redeuntes, quomodo recipiendi. p. 416. c. 1

Homicidium.

Homicidium quomodo voluntarium. p. 148. c. 2
Periurium eſt grauius peccatum quàm homicidium. p. 27. 2. c. 2
Aduersùs homicidium. p. 280. c. 1. p. 304. c. 1. 311. c. 2. p. 333. c. 1. & p. 465. c. 1
Quomodo licitum homicidium. p. 504. c. 2. p. 333. c. 1

Homo.

Motus cœli ceſſabit Homine glorificato. p 20. c. 1
Animalia homini naturaliter ſubiecta. p. 38. c. 1
Deus & homo finis creaturarum. p 40 c. 1
Omnia propter hominem. pag. 76. c. 2

Homo primus. V. Adamus & *Innocentiæ ſtatus.*

Homo in ſtatu innocentiæ indigebat cibis. p 89. c. 1
Homo in ſtatu innocentiæ immortalis. p. 99. c. 1
Homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter. p. 118. c. 1
Hominis punitio poſt peccatum. p. 127. c. 2
Primum hominis peccatum inobedientia, ſiue ſuperbia. p. 90. c. 2. & p. 119 c. 1

Honor Honorare.

Quomodo peccatores honorandi. p. 186. c. 1
Honor parentum. p. 276. c. 2
Honoris deſcriptio. p. 277. c. 1

Humilitas.

Humilitas ſuadetur. p. 151. c. 2

Ieiunium.

Ieiunia Iudæorum & Chriſtianorum. p. 329. c. 2
Ieiunii hora nona ad comedendum. p. 370. c. 1

Ignorantia.

Non omnis ignorantia culpabilis. p. 264. c. 1

Imago.

Imago propriè quæ ſit. p. 22. c. 2. p. 18. c. 2. & p. 73. c. 1
Imago Dei tripliciter in homine. p. 29. c. 2
Imago Dei quomodo in homine. p. 30. c. 1, & p. 33. c. 1
Imago & veſtigium quomodo differunt. p. 31. c. 1
Imago propriè eſt intellectualis naturæ. p. 36. c. 1
Imago Chriſti quomodo adoranda. p. 267. c. 1
Inſtitutionis imaginum in Eccleſia ratio triplex. p. 267 c. 2

Immortalis.

1. Homo in ſtatu innocentiæ immortalis. p. 99. c. 1
2. Anima humana eſt immortalis & incorruptibilis. p. 82. c. 2

Inceſtus.

Inceſtus eſt ſpecies determinata luxuriæ. p. 350. c. 1

Indulgentiæ.

Indulgentiæ ad quid valent. p. 478. c. 1

Infidelis Infidelitas.

Deſperatio ſine infidelitate eſſe poteſt. p. 147. c. 2
Infidelitas grauius peccatum quàm

Digitized by Google

Schiſma. p. 330. c. 2
Communio cum infidelibus dupliciter interdicitur. p. 447. c. 2

Inimicus.

Inimicorum dilectio. p. 356. c. 1. & p. 360. c. 1

Innocens.

Innocentem occidere non licet. p. 311. c. 2
Innocentiæ ſtatus. *V. Homo primus.*
In ſtatu innocentiæ generatio fuiſſet per coïtum. *V. Coitus.*
Fœminæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ. p. 44. c. 1

Inobedientia.

Primum hominis peccatum inobedientia, ſiue ſuperbia. p. 90. c. 2. & p. 119. c. 1

Ioannes Baptiſta.

Baptiſmus Ioannis fuit à Deo. pag. 28. c. 1

Ioſeph.

Fuit verum matrimonium inter Ioſeph & B. Virginem. p. 467. c. 2

Ira.

Iræ deſcriptio. *Deuter. cap. 32. v. 35*

Iris.

Iridis formatio. p. 156. c. 2

Iudæus.

Iudæorum ieiunia. *V. Ieiunium.*

Iudex.

Iudex quomodo debet iudicare. p. 145. c. 1
Iudicis officium. 455. & 459. c. 1

Iudicium.

Iudicium ferendum ſecundùm leges ſcriptas. p. 209. c. 2
Iudicium triplex malum. p. 458. c. 1
Iudicium vltimum. *V. meritum.*

Iuramentum, Iurare.

Iurare quandoque licitum. p. 197. c. 2
Iuramentum quid ſit. p. 206. c. 2
Iuramentum quomodo licitum. p. 445. c. 2.

Labor.

Labor manuum ad tria prodeſt. p. 129. c. 1
Quomodo obligat. p. 136. c. 1

Latria.

Latriæ cultus ſoli Deo debetur. p. 265. c. 2

Lex.

1. Lex naturæ non poteſt mutari. p. 183. c. 1
2. Rector multitudinis poteſt in ſuis legibus diſpenſare. p. 414. c. 1
3. Iudicium ferendum ſecundùm leges ſcriptas. p. 209. c. 2
4. Legis humanæ & diuinæ finis p. 185. c. 1
5. Legis deſcriptio. p. 451. c. 1

Lex vetus & Noua.

Lex noua non debuit dari à principio mundi. p. 52. c. 2
Lex vetus conuenienti tempore data. p. 158. c. 2
Lex vetus promittebat æterna in figura. p. 164. c. 2
Lex noua tribus modis differt à veteri. p. 211. c. 1. & p. 442. c. 1
Lex noua quomodo differt à veteri. p. 287. c. 2
Triplex genus præceptorum in veteri lege. p. 308. c. 1
Lex ſcripta cur data. p. 315. c. 2
Pontificis antiquæ legis veſtimenta octo. p. 314. c. 1
Claues regni cœlorum non habebant ſacerdotes veteris legis. p. 340. c. 2
Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam. p. 342. c. 2
Sacramentorum veteris legis effectus. p. 339. c. 1
Omnes homines non obligabantur ad obſeruandam legem veterem. p. 421. c. 1
In quibus lex noua eſt facilior lege veteri. *Deuter. cap. 28. v. 1*

Digitized by Google

Liber vitæ.

Liber vitæ quis ſit. p. 334. c. 1

Liberum Arbitrium. *V. Arbitrium Liberum.*

Luxuria.

Aduerſus peccatum Luxuriæ p. 281. c. 2

Inceſtus eſt ſpecies determinata luxuriæ. p. 350. c. 1

Lymbus. *V. Abraham.*

Magus.

Magi miracula facere non poſſunt. p. 219. c. 1. & 220. c. 1

Maledicere.

Maledicere creaturam propter tria licet. p. 127. c. 1

Malus, Malum.

Culpa plus habet de ratione mali quàm pœna. p. 146. c. 1

Prælati honorandi etiam mali. pag. 276. c. 2

Mali miniſtrantes Sacramenta peccant. p. 352. c. 1

Maria Virgo. *V. Virgo Maria.*

Matrimonium.

Matrimonium debet eſſe per totam vitam. p. 111. c. 2

Carnalis commiſtio non eſt de integritate matrimonij. p. 114. c. 2

Triplex matrimonii bonum, proles, fides, Sacramentum. p. 115. c. 1

Matrimonium quando inſtitutum. p. 51. c. 1

Matrimonium liberè contrahendum. p. 192. c. 2

Matrimonium contrahere non poteſt fidelis cum infideli. p. 206. c. 1

Matrimonium non debet fieri inter propinquos. p. 349. c. 1

Affinitas quomodo matrimonium impedit. p. 351. c. 1

Matrimonii perfectio duplex. pag. 468. c. 1

Mediator.

Mediatoris officium. p. 429. c. 1

Angeli quomodo mediatores. *Ibid.*

Mendacium.

Omne mendacium eſt peccatum. p. 159. c. 1. & p. 192. c. 1

Meritum.

Rerum diſtinctio non proceſſit ex meritorum diuerſitate. p. 63. c. 1

Meritum nullum erit poſt iudicium. p. 125. c. 1

Miraculum.

Dæmones non operantur ad miracula facienda. p. 216. c. 1

Magi miracula facere non poſſunt. p. 219. c. 2. & 220. c. 1

Miraculi definitio. p. 220. c. 2. & 379. c. 1

Miraculi conditiones. p. 379. c. 2

Monachus.

Monachi tripliciter oblationes recipiunt. p. 427. c. 1

Mori Mors.

Moriendi neceſſitas ex duobus. pag. 133. c. 2

Mors ex peccato originali. p. 93. c. 1

Mors eſt pœna peccati. p. 96. c. 2. & p. 132. c. 1

Motus.

Motus cœli ceſſabit homine glorificato. p. 10. c. 1

Moyſes.

Moyſes fuit excellentior aliis prophetis & quomodo. p. 391. c. 1

Mulier. *V. fœmina, & vxor.*

Mulier facta ex viro & quare. pag. 108. c. 2

Mulier grauiùs punita quàm vir, & quare. p. 120. c. 2. & p. 125. c. 2

Quando non licet mulieri menſtruatæ debitum petere. p. 352. c. 1

Mundus.

Mundus non eſt æternus. p. 2. c. 1

Mundum incepiſſe demonſtrari non poteſt. p. 5 c. 2

Naſus *V. Diſcretio.*

Nomen Dei. *V. Deus.*

Nouitas.

Digitized by Google

Nouitas & vetuſtas quadruplex. p. 373. c. 1

Numerus.

Prædeſtinatorum numerus eſt certus. p. 413. c. 1

Nuptiæ.

Nuptiæ ſecundæ licitæ. p. 189. c. 2

Obduratio.

Quando Deus eſt cauſa obdurationis. p. 216. c. 2

Obedientia.

Quando inferior tenetur obedire ſuperiori. p. 427. c. 2

Obedientia triplex. p. 428. c. 1

Oblationes.

Homines tenentur ad oblationes neceſſitate præcepti. p. 312. c. 2

Monachi tripliciter oblationes recipiunt. p. 427. c. 1

Occaſio.

Tentationis occaſio duplex. p. 180. c. 1

Occidens.

Adoratio cur ad occidentem. pag. 321. c. 1

Occidere. v. *Homicidium.*

Occidere viuentia non eſt illicitum. p. 53. c. 2

Omnipotentia.

Omnipotentia Dei ſuadetur. pag. 178. c. 1

Ordo Sacramentum.

Ordinum diſtinctio probatur. pag. 383 c. 2

Illegitimè nati arcentur à ſacris ordinibus. p. 469. c. 1

Originale peccatum. v. *Peccatum originale.*

Paradiſus Terreſtris.

Paradiſus voluptatis eſt locus corporalis. p. 85. c. 1

Parentes.

Comparatio dilectionis parentum & vxoris. p. 113. c. 1

Paruuli cur puniantur cum parentibus. p. 180 c. 1

Parentum honor. p. 176. c. 2. & p. 277. c. 1

Filiorum pietas erga parentes. *Deuter. cap.* 33. v. 9

Paruuli v. *Filius.*

Paruuli cur puniantur cum parentibus. p. 180 c. 1

Baptiſari non poſſunt paruuli in vteris maternis exiſtentes. p. 203. c. 2

Paſſiones.

Peccatum ex paſſione dicitur ex infirmitate. p. 144. c. 1

Paſſiones quomodo ſunt in Deo. p. 150. c. 2

Paſtor.

Tres paſtoris qualitates. p. 197. c. 1

Pater.

Quomodo filius punitur pro patre. p. 271. c. 2

Quomodo Deus dicitur pater filii ſui & creaturarum. *Deuter. cap.* 32. v. 6.

Spiritus-Sanctus non eſt pater Chriſti. *Ibid.*

Peccator.

Quomodo peccatores honorandi. p. 186. c. 1

Peccare, Peccatum.

Sacramenta non homini neceſſaria ante peccatum. p. 113. c. 2

Homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter. p. 118. c. 1

Peccatum ex paſſione dicitur ex infirmitate. p. 144. c. 1

Peccatum eſt grauius ex eo quòd maiori bono opponitur. pag. 394. c. 2

Peccati cauſa interior & exterior. p. 411. c. 1

Peccati pœna qualis. *Deuter. cap.* 25. v. 2

Peccatorum contritio inæqualis. *Ibid.*

Peccatum Originale.
Mors ex peccato originali. p. 93. c. 1
Pœna originalis peccati eſt carentia diuinæ viſionis. p. 123. c. 1
Periurium.
Periurium eſt grauius peccatum quàm homicidium. p. 272. c. 2
Periurium eſt peccatum mortale. p. 354. c. 1
Perſona.
Tria opera tribus perſonis appropriantur. V. Trinitas.
Tres perſonæ sũt vnus Deus. p. 24. c. 1
Acceptio perſonarum peccatum eſt. V. Acceptio perſonarum.
Philoſophus.
Philoſophi non cognouerunt Trinitatem. p. 221. c. 1
Pœna.
Mors eſt pœna peccati. p. 96. c. 2. & p. 132. c. 1
Pœna originalis peccati eſt carentia diuinæ viſionis. p. 123. c. 1
Culpa plus habet de ratione mali quàm pœna. p. 146. c. 1
Pœna dupliciter conſideranda. pag. 157. c. 1
Damnatorum pœna qualis & cur æterna. p. 475. c. 1. & p. 480. c. 1
Pœnitentia.
Pœnitentia ſolemnis non iteranda. p. 135. c. 2
Pœnitentiæ principium ex timore. p. 430. c. 1
Pœnitentiæ ſex actus. p. 430. c. 2
Pontifex.
Pontificis antiquæ legis veſtimenta octo. p. 324. c. 1
Præceptum.
Præcepta abſque conſiliis obſeruari poſſunt. p. 171. c. 1
Præcepta non ſunt diſpenſabilia. p. 215. c. 1
Præceptorum genus triplex in veteri lege. p. 308. c. 1
Prædeſtinatus.
Numerus prædeſtinatorum eſt certus. p. 413. c. 1
Prælatus.
Prælati honorãdi etiã mali. p. 276. c. 2
Primitiæ.
Primitiæ cur Deo debeantur. pag. 248. c. 1
Propheta, Prophetia.
Prophetiæ deſcriptio p. 190. c. 2. & p. 328 c. 1
Prophetia fuit in Chriſto p. 300. c. 1
Moyſes fuit excellentior aliis Prophetis & quomodo p. 391. c. 1
Prophetia naturalis & ſupernaturalis. p. 406. c. 1
Prouidentia.
Deus ſuâ prouidentiâ gubernat vniuerſa. p. 70. c. 2
Prouidentia diuina diſponit corpora inferiora per corpora cœleſtia & quomodo. p. 424. c. 2
Voluntates humanæ ſubduntur diuinæ prouidentiæ. Deuter. cap. 30. v. 15
Punire, Punitio.
Mulier grauiùs punita quàm vir & quare. p. 120. c. 2. & p. 125. c. 2
Hominis punitio poſt peccatum. p. 127. c. 2
Paruuli cur puniantur cum parentibus. p. 180. c. 1
Deus punit per bonos & malos Angelos. p. 180 c. 2
Quomodo filius punitur pro patre. p. 271. c. 2
Reconciliatio.
Recõciliationis deſcriptio. p. 299 c. 2
Religio clauſtralis.
Vota paupertatis, continentiæ & obedientiæ requiruntur ad perfectionem religionis. p. 381. c. 1
Reſtitutio.
Reſtitutio quomodo facienda. pag. 298. c. 2

Digitized by Google

Reſtitutio ſtatim facienda. p. 355 c. 1

Sabbatum.

Sabbati ſanctificatio. p. 173. c. 1

Sacerdos, Sacerdotium.

Caſus 1. ſunt in quibus ſimplex ſacerdos pœnitentem ad ſuperiorem remittit. p 317. c. 2

Claues regni cœlorum non habebant ſacerdotes veteris legis. pag. 340. c. 2

Chriſti ſacerdotium ſempiternum. p. 348. c. 1

Sacerdotum poteſtas. p. 260. c. 1

Sacramentum.

Sacramenta non homini neceſſaria ante peccatum. p. 113 c. 2

Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam. p. 342. c. 2

Mali miniſtrantes Sacramenta peccant. p. 352. c. 1

In ſignificatione Sacramentorum requiruntur verba. p 381. c. 2

Sacramenta tripliciter conſiderantur. p. 382. c. 1

Sacramentorum veteris legis effectus. p. 399. c. 2

Sacramentum diuerſa ſignificat. p. 401. c. 1

Sacrificium.

Sacrificium Deo debetur. p. 161. c 2

De animalibus in ſacrificio oblatis. p. 221. c. 1

Sacrificiorũ genus triplex. p. 231. c. 1

Sacrificium ſoli Deo offerendum. p. 305. c. 1

Schiſma, Schiſmaticus.

Infidelitas grauius peccatum quàm ſchiſma. p. 330. c 2

Schiſmaticorum pœna excommunicatio. p. 393. c. 2

Seruitus.

Seruitus triplex. p. 275. c. 1

Signum.

Signum triplex. p. 400. c. 2

Similis, Similitudo.

Similia tripliciter dicuntur. p 27. c. 1

Similitudo Dei duplex. p. 34. c 2

Simonia.

Spiritalia vendi non poſſunt. p. 187. col. 1

Simulatio.

Simulatio eſt peccatum p. 184. c. 2

Sobrietas.

Sobrietas ſuadetur. p 364. c. 2

Spiritus.

Spiritus multa ſignificat. p. 7. c. 1

Spiritus-Sanctus.

Glorificatio Spiritui-Sancto appriatur. p. 2. c. 1

Spiritus-Sancti proceſſio p. 6. c. 2

Spiritus-Sanctus eſt Deus. p. 7. c. 1. & p. 365. c. 2

Hoc nomen *Spiritus-Sanctus* quomodo eſt nomen proprium alicuius diuinæ perſonæ. p. 385. c. 2

Chriſtus non eſt filius Spiritus Sancti. *Deuter. cap.* 32. v. 6

Subiectio, Subiectus.

Subiectio duplex ſeruilis & ciuilis. p. 100. c. 2

Subiectus non poteſt vouere. *V. Vouere.*

Superbia.

Primum hominis peccatum ſuperbia. p. 90. c. 2. & p. 119. c. 1

Symbolum.

Symboli fidei neceſſitas. p. 417. c. 2

Templum.

Chriſti præſẽtatio in tẽplo. p. 146. c. 2

Temporalia bona. *V. Clericus.*

Tentare Tentatio.

1. Tentatio prodeſt p. 115. c. 2

2. Tentatio Chriſti ſimilis tentationi Adæ. p. 117. c. 2

3. Tentare quid ſit. p. 165. c. 2. & p. 181. c. 2

4. Tentare propriũ diaboli. p. 182. c. 1

5. Tẽtationis occaſio duplex p. 80. c. 1

Teſtimonium falſum.

Teſtimonium falſum habet tripli-

cem deformitatem. p. 283. c. 1

Timor.

Pœnitentiæ principium ex timore. p 430. c. 1

Timor duplex ſeruilis & filialis. p. 452. c. 2

Trinitas.

Tria opera tribus perſonis appropriantur, creatio Patri, recreatio Filio, glorificatio Spiritui ſancto. p 2. c. 1

Tres perſonæ ſũt vnus Deus p. 24. c 1

Trinitatis myſterium credere neceſſe eſt. p. 33. c. 2

Philoſophi non cognouerunt Trinitatem. p. 121. c. 1

Verbum.

In ſignificatione Sacramentorum requiruntur verba. p. 381. c 2

Veritas, Verus.

Dæmõ aliquãdo verũ dicit. p. 403. c. 1

Veritas Deus eſt. p. 404. c. 1

Veſtigium. V. imago.

Veſtimentum.

Pontificis antiquæ legis veſtimenta octo. p. 324. c. 1

Vetuſtas. V. Nouitas.

Videre Viſio.

Pœna originalis peccati eſt carentia diuinæ viſionis. p. 123. c. 1

Deus in hac vita per eſſentiam non poteſt videri. p. 198. c. 1

Vir.

Quomodo vir & vxor ſunt æquales. p. 99. c. 2

Mulier facta ex viro & quare. pag. 108. c. 2

Virginitas.

Virginitas & continentia licitæ. pag. 47. c. 1

Virginitas ſuadetur. p. 50. c. 1

Virginitati aureola debetur. p. 51. c. 1

Virginitas eſt virtus. p. 52. c. 1

Virgo Maria.

Virgo Maria ſine dolore peperit. p. 126. c. 1

Quomodo Chriſtus eſt filius B. Virginis. Deuter. cap. 32. v. 6

De voto virginitatis B. Virginis. p. 447. c. 2

Matrimonium B. Virginis. V. Ioſeph.

Vita. V. Liber.

Dei vita. Deuter. cap. 32. v. 40.

Voluntas.

Voluntas à ſolo Deo mouetur. pag. 73. c. 2

Creatura non poteſt immutare voluntatem. p. 140 c. 1

Quomodo paſſio mouet voluntatem. p. 142. c. 2

Voluntas Dei eſt immutabilis. pag. 151. c. 2

Voluntates humanæ ſubduntur diuinæ prouidentiæ. Deuter. cap. 30. v. 15

Vouere Votum.

Votum eſt de meliori bono. p. 193. c. 1

Votũ obligat. p. 193. c. 2. & p 408. c. 1

Voti commutatio. p. 373. c. 2

In voto ſolemni non poteſt fieri diſpenſatio. p 374. c. 1

Vota religionis. V. Religio clauſtralis.

Votum ſolemne & ſimplex p 383 c. 1

Qui eſt alterius poteſtati ſubiectus non poteſt vouere. p. 409. c. 2

Vxor. V. Mulier.

Quomodo vir & vxor ſunt æquales. p. 99 c. 2

Comparatio dilectionis parentum & vxoris. p. 113. c. 1

Habere plures vxores non licet. p. 115. c. 1

Quomodo licita fuit vxorum pluralitas. p 167. c. 1

FINIS.

Digitized by Google